




# **Pauli Jovii Novocomensis Episcopi Nucerini, Historiarum sui Temporis.**

<https://hdl.handle.net/1874/425989>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

S. oct.  
850

22  
L. 1000000

[The main body of the page contains extremely faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the leaf.]


[The bottom edge of the page shows the binding structure, including the spine and the edges of the text block.]


97.

Young

A.A.

050







nos suos et spera

res i

Abli

uoc

deri

Cu

eū: et desertus e est

co: Crav

ergo et

et tamen

eruebantur

ex discipulis meis tunc

me hodie ve illi per

que traxer ego nich

illi erat si uatus no

fuisse v Cui itingit

merū manu i paraphite

hic me traditur e in

manus p̄ox meli **P̄vi****A**ly tuncētes con

fenebant et vi

uebāt: et tū ipi ab

iunio absorbēbāt

Oculi eruebantur:

uinctos absorbēbāt

Inde est illa vox gra

tulacionis: forsitan

ab sorbuisset

go hoc orat

in Amore

ripe adim

o ut me no

uauat inimicus: sed

no tuncē omdē

inimicū **Ecce**

a et q̄ uobāt uitas

et dū app̄q̄ret ad

illū ut eū ostri laret: illo

dixit ad eū uita oculo

tradis filiū hoīs ad cen

nfigendū v̄ filius q̄dē

hoīs uadit sicut scriptū ē

te illo ve ar̄ hoī illi per

que t̄et: **Ad R̄ Ecce f̄ In****O**ri inquis noluerū

loqui adūsus deū n̄ q̄m

tem̄ **C**olitebim̄ **T**erra

tremuit et q̄euit dū re

surgeret i iudicio d̄sp̄

Romis i uo **A** In die

tribulacionis mee tēū ex

quiliū manib: meis

Historia Cestium

Octavo n°. 850.

S. oct.  
850

Universiteitsbibliotheek  
 utrecht

N. 80 b.

see  
PAVLIOVII

NOVOCOMENSIS EPI

SCOPI NV CERINI, HI

storiarum sui Tem

poris.

*Ex dono Buechelij.*

TOMVS PRIMVS.

ARGENTORATI

apud Augustinum

Frisium.

Anno

M. D. LVI.



PAVILLON

NOVOCOMENSIS

SCOPUS INVENTUS

1788

Paris

Ex Typo Bessely

TOMUS PRIMUS

ARGUMENTA

quae continentur

in

hunc

M. D. C. C. C.



ANDREAS ALCIA

TVS PAVLO IO

VIO. SPD.



X LITERIS TVIS

tertio Calen. Septembris

Romæ datis, tuam erga

me benivolentiam miris

sice confirmatam perspe

xi, quum rationum tuar

um & suscepti consilij

decretum benignè communices. Scribis

enim te graui iniuriã permotũ, Vrbe (quod

nunquam fieri posse putaram) propediem

excessurum, ne diutius acceptæ contumes

liæ deformis testis in ea aula specteris, in

qua per multos annos (uti mihi uidetur) cũ

aureæ mediocritatis bonis planè beatus, tũ

studiorum tuorum authoritate clarus has

ctenus fuisti. Mirum profectò uideri potest,

quòd tibi doctrinæ ac ætatis honore maio

ra promerito, in petitione Pontificatus pas

triæ tuæ Paulus Pontifex quendam prætus

lerit. At quem hominem? qui Comi neque

natus, neque unquam uisus sit, & qui (sicut

à multis audio) ex arcanis cubiculij sordibus

in lucem repente sit productus. Quis in

) ( ij hoc

hoc Pontificē ἀμισότρερον non iudicet. Non enim hostis bonarum literarū & planè ferus esse non potest, qui te grauissimarum rerum scriptorem intempestiue contempserit. Hinc est ut arbitrer (contra ac rebar) eum non putare sua interesse, quid de ipso hinc ad sexcentos annos (ut Ciceronis uerbo utar) historiae loquantur. Qua in re Carolum Caesarem Pontifice ab æquitate iudicij sapientiozem existimare fas est, qui competitorum tuum cum multa inuidia antistitem renunciatum sacerdotij possessione indignum censeat. Ego uerò te hac offensus uicula multò beatiorem factum esse puto, quòd tui ordinis personam, hoc est, non insulsi philosophi, desumpisti, ut te diu seruum honestissimo commeatus nomine, tandem in libertatem uendicares. Quid enim tibi Diij aut fortuna, quæ cuncta iure suo sibi uendicat, melius atque præstantius tribuere possuerunt, quàm ut mentem darent, qua opportunè tibi sapere ostenderes. Effregisti nanque ergastulum & fortiter compedes exuisti, ut liber exiliens apud Larium Musæumque tuum, literati otij tranquillitate fruerere. Nunquam profectò uel podagra tentatus senex, tibi rude donandus esse uidebare

bare, nisi te hærentem ambiciosius quàm  
philosophum deceret, & diu restitantiem, es  
ludens fortuna illinc abtraxisset. Sed dices  
te indignè deceptum ab inueterati astus se-  
ne Principe, qui blandis promissis uota tua  
honestè concepta iniquè fefellerit. Qua in  
re mihi gratulor, quod ab eo me decipi non  
sim passus, quum me, uti scis, magnis pro-  
positis præmijs Ticino, Ferrara, atq; Bono-  
nia, in Urbem accerferet. Tum enim ex iu-  
re meo magis cautus fui, quàm tu ex sapien-  
tiæ præceptis prudens philosophus. Cur  
enim pro inani aut incerta spe purpure, hos  
tantos primè suggestus honores relinque-  
rem: opimis præsertim firmatos stipendijs.  
Cur has tantas contemnerem circumfusæ  
iuuentutis salutationes: et hanc denique tot  
consultoribus ianuam pulsantibus, existi-  
mationem magno lucro, & non obscura cū  
laude quæsitā, ineptè stultèque desererem?  
Quandoquidem nemo commodè se uixisse  
testetur, quum in aliena terra degens, mors  
tem à suis desertus, et miser expectet, ut eius  
tota supellex, ab alieno inopinatóque hære-  
de rapiatur. Quòd uerò historiæ tuæ uolus-  
men COSMO Principi dicatum, Floren-  
tiā deferas ut chalcographo tradatur, magis



nopere laudo proboque: Nam incomparabilis oblectationis munus cunctis propè gentibus sic imparties, ut gloriæ tuæ incubulis interfuturus uideare, si qua tamen euenire potest ante fata meritum ingenui laboris fructum expectanti. In hac causa, quæ multos uilitigatores habitura sit, uideo te cautissimè præmunitum, quando ante omnia longè optimum patronum delegeris. Est enim COSMVS inter huius ætatis Príncipes, stabili ingenio sibi constans, sine ullo fuce ueræ laudis appetens, & gloriæ maiorum suorū grauis emulator. Propter quas dotes ego iam pridem honorario, ut iurisconsulti uocant, inuitatus, ad proficendum Pisano in gymnasio ad eum iturus eram, nisi inclementis cæli oram timidius fortasse quàm oporteret, reformidasssem. Quod uerò ad elegantiam dignitatè que uoluminis multum pertinet, Ethrusci præli typos Venetis & Germanicis antepono: sic enim oculos meos delectant, ut minimè fatigent. Hac nanque estate librum Florentiæ excusum, quem de Vita & rebus gestis insigniū uirorum edidisti, multa cum uoluptate percucurri: scis quàm auidus sim librorum heluo, & tum maxime quum nouitas excitat  
palas

palatum. In his libris quod mei iudicij est,  
solidum dicendi genus, planéque robustū,  
& uerè tuum agnoui, & id non sine erudi-  
to lepore, quo te prorsus Plutarcho Græco  
equauerim. Sed te incursum prouideo in  
quosdam críticos malignè curiosos, qui te  
castrasse historias tuas dicant, ut Vitas per  
se graciles, alieno adipe suffarcies, quod &  
mihi accidit: Nam ex libris meis Præter-  
missorum, Dispunctionumque & Parado-  
xorum, integras medullas in Parerga me  
contulisse prædicabant. Quibus uno Mar-  
tialis uersiculo respondebam, nihil ad eos  
pertinere, de cute quid faciat ille, uel ille sua,  
Superbi enim ac impudentis præscripti res  
est, quum quis sua re, ut lubet, bono iure uti  
uetatur: Quod enim flagitium esse potest,  
si quis ex sua lacinia sagū conficiat? Quan-  
tum autem ad Historiam pertinet, de his te  
amicè admonebo, de quibus coram te ex-  
petente disputauimus, quum fortè Medio-  
lani cum Sfondrato, & Valterio eruditis se-  
natoribus apud Bonromeum antistitè cœ-  
nassemus. Tum enim multa me dixisse re-  
colo de toto elocutionis genere, quo mediā,  
uti reor, inter antiquos & ueteres scriptores  
laudem assequere: Quando pellectis ali-

quot historię tuę libris, reliqua etiam uaria  
rum descriptionum ornamenta commenda-  
rentur. Id autem á te præcipue desidera-  
bam, ut ad illud quod Gręci πρέπον uocant,  
non absurdè responderes. Sicuti in ea ora-  
tione animaduertebam, quę á Marconio  
gregario milite, ad legiones iam planè con-  
sternatas & ad seditionem spectantes habebatur,  
quum Solymano Pannoniæ finibus  
excedente, Carolus Cęsar Vienna profes-  
ctus in Italiam rediret. In ea siquidem con-  
suetudine omnes artis neruos numerosque ita  
expressisti, ut ille Marconius nequaquam  
ab aratro Volaterrani agri ad signa uoca-  
tus: sed ex schola Ciceronis & Hermoge-  
nis ad suggestum raptus esse uideatur, quū  
passim exactę eloquentię schemata internis-  
teant, quę peroranti turbam parere coęger-  
int. De hoc uerò & multis similibus, qui ti-  
bi sapię recte consules. In uerborum autem  
delectu noui mores, noua arma, nouaque  
castrensium præsertim rerum uocabula, te  
satis excusabunt, si cum præfatione, & par-  
cè quidem, illis utare. Idcirco quosdam infec-  
cundos, & qui uixdum subodorati literas  
cuncta passim condemnant, facile contemp-  
nes. Hi enim, ut in adagio est, *Αδωvid Θ κήποι*  
steriliores

steriliores euadunt, quando sira non profes-  
rant & aliena odiose iudicent, hos nanque  
illos esse puto, quos tu in Academiam Ro-  
manam ultrò nomen dantes, urbano sale  
Eunuchos appellare soles, serotinis utique  
cucurbitis similes, que nunquam matures-  
cente semine, ante medium autumnum sic-  
catæ & iactatę uento, cum sonitu inanes de-  
cidunt. Illi porrò qui rerum & locorum nos-  
titia gaudent, nec affectatas exornationes  
admittunt, non reposcent à te rationem, cur  
lacteam Liiij ubertatem non sis assecutus:  
postquam & te omnino piguerit Salustij so-  
brietatem imitari, & satis tibi fuerit paucis  
los tantum flores ex Q. Curtij pratis, sæpius  
quàm ex Cor. Taciti senticetis, arguta ma-  
nu decerpisse. Quandoquidem C. Cæsar  
ipse, ut uideo, à purissimo opere suo, reie-  
ctis styli bracteolis, modum contexendæ,  
aptisque periodis terminandæ orationis, tibi  
accurato & perspicaci dissimulanter ostē-  
derit. Cæterum nos omnes supra totum Hi-  
storiæ munus, quod inæstimabile censeri  
potest, hoc uno tibi, si ingrati esse nolumus,  
plurimum debere fatebitur, quòd ad singu-  
larem legentium utilitatem per totum fere  
terrarum orbem, Prouincijs, Urbibus, Flu-  
uijs,

uñs, atque Insulis, antiqua nomina, aut cor-  
rupta æuo, aut penitus extincta, reddideris.  
Verùm de his disertius atq; iucundius age-  
mus, quã te in Musæo complectar, ad quod  
iam me inuitas, propediem ex Ticino seces-  
surum in Buccinascum meum. Inde enim  
per Alciatem gentiliùm meorum pagum,  
tribus horis uel segni mula uectus ad te per  
uenire possum. Tum unà piscabimur, &  
hercle utriq; nostrum pedibus egro, com-  
modius erit nauiculis, quàm mulabus uehi:  
Tum molliores iocos seremus, licebitque  
mihi tot imagines clarorum uirorum collu-  
stranti, me ipsum aliquanto, quàm sim fa-  
cie formosiorẽ intueri. Nam, ut audio, me  
inter Erasmum atque Budæum æterni no-  
minis uiros, mediũ collocasti: sic ut uiuus  
inter bonos mortuos honoris causa  
spectet, quod uni M. Varroni in  
Augusti Bibliotheca contis-  
git. Vale. Datum Ti-  
cini Nonas Octo-  
bris.

M. D. XLIX.

PRAEFACTIONE

PAVLI LOVITII NOVI

COGNOME ET BELLECORI

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

IN THEATRUM PUBLICUM

AD COENAM MEDICAM

PRAEFATIO,  
PAVLI IOVII NOVO  
COMENSIS EPISCOPI  
Nucerini, in Libros Historiarum  
sui Temporis Praefatio.

AD COSMVM MEDICEM  
Reipublicę Florentię Prin-  
cipem.



MAGNOS PRO FECTO  
et longe honestissimos optimorū  
studiorum fructus, magnanime  
COSME, illi ante alios in hac ui-  
ta cepisse existimātur, qui omnes  
ingenij facultates in id maxime  
opus sanctissimo fine proposito contulerunt,  
quo & prodesse bonis mortalibus ingenuo labo-  
re possent, & sui memoriam præclaro literarum  
testimonio posteris cōmendare niterentur. Quan-  
do in hac uita, quam natura incertis breuis cui an-  
gustijs humano generi præscripsit, nihil beatius ef-  
se potest, quā nominis famam immortalibus in-  
uicti animi monumentis ad non incertam spem  
sempiternę laudis extendisse. Hac opinione ab  
ipsa statim adolescentia imbutus, & post aliquot  
annos magis ac magis non ignobili ratione con-  
firmatus, impellente Genio, conscribendę histo-  
rię negotium suscepi: quum animus in philoso-  
phię et medicinę studijs Romę docēdo agendoq̃,  
certiore aliquanto quęstu, quam gloria uersare-  
tur, ad idēq̃ me laudis & famę cupidum uehemen-  
ter incitarent nostrę tempestatis res bello gestę,  
quę

## P R A E F A T I O.

quæ ab aduentu Caroli Octauæ Gallicæ Regis in Ita-  
 liam, propter uarietatem & magnitudinem tot  
 præliorum & casuum, uberrimam ingenij ma-  
 teriam præbere uidebantur. Sperabam enim hûc  
 laborem meum quadam ingenij liberalitate spon-  
 te susceptum, multo utiliorem atq; iucundio-  
 rem posteris futurum, quam si earum artium præcep-  
 ta nouis commentarijs locupletare contēdissem.  
 In hoc itaq; nobile decretum pertinaci studio om-  
 nes ingenij neruos contendenti ita boni euentus  
 numen affulsit, ut qui res gestas nostri seculi con-  
 scribere (quod uel grauissimis atq; doctissimis ui-  
 ris arduum semper fuit) ausus sim: absoluto tan-  
 dem opere id in publicum edere non dubitem,  
 magno hercle incorruptæ ueritatis argumento:  
 Quandoquidem plerique eorum, qui hæc bello  
 paceque gesserunt, ad huc uiuant, ac idcirco gra-  
 ui existimationis meæ cum periculo mentientem  
 refellere possint. Sed ut plane reor, factiosa & re-  
 tro liuore contaminata ingenia occurrent, quæ  
 uel recte & fideliter scripta seuo dente commor-  
 deant, ubi aliquid paulo diuersius ab eo quod au-  
 dierint, aut certe rursus & licentiosius dictum (id  
 ad delicatos attinet) offenderint: sic ut nimis a-  
 trox & plane miserum scriptori uideatur, pro sum-  
 mæ utilitatis, & iucundæ oblectationis beneficio,  
 ubi gratiam speret, agrestis inuidiæ & diræ maligni-  
 tatis contumeliam referre. Verum hæc ciuili ani-  
 mo ita contempserim, ut Marcellini, Spartiani, &  
 Pollionis collatione me consolet: qui contra Go-  
 thorum rabiem & uetustatis iniuriam, nullo sub-  
 nixi impressoriæ artis præsidio, quo iam plane li-  
terg



## P R A E F A T I O

teræ ab interitu uindicantur, hæcenus uixerunt,  
 & uti arbitror, diu etiam uiuent. Tantus enim est  
 honos historiæ, ut uel inepte scripta, non inuisos  
 homines magnopere delectet. Neque adeo sum  
 impudens, ut procacemulatione ad Cæsaris atq;  
 Sallustij & Liuij decus aspirem. Huius uero secu-  
 li scriptoribus, neque me comparo, neq; compa-  
 rari uelim, quum plerique eorum nequaquam  
 tantam, uti nos, locorum, rerum, atque hominũ  
 noticiam, aut opulentiorẽ uigentis memorię  
 thesaurum, quem cęlo datum, & figuratis sedium  
 artificijs diligenter adauctum fatemur, ad scriben-  
 dum attulerint: nec in ea luce domicilij totius or-  
 bis, Vaticanęq; aulę, ubi per triginta septem an-  
 nos multa opportunęq; didicerim, uersati sint: ut  
 hic omittantur optimarum disciplinarum præsi-  
 dia, quibus non obscure muniti sumus. Maximo  
 rum autem regum atq; pontificum, insigniumq;  
 bello ducum familiaritatem ac amicitiam prome-  
 riti, ex eorumq; ore hæc hausimus, quę amore uel  
 odio nusquam distracti, fideli literarum memo-  
 rię mandauimus. Ad id quoq; explendum mu-  
 nus, mirifice me adiuuit Principes dominos in  
 prouincias ad bella secutum, castra, acies, prælia,  
 expugnationes urbium, campos in uictoria cada-  
 ueribus stratos, admirandęq; obiter utriusq; For-  
 tunę militaris exempla spectauisse. Cęterum hoc  
 qualecunq; est opus, si non felici, ingenuo certe  
 labore, ad spem promerendę saltem apud poste-  
 ros honestę laudis susceptum, tibi iure optimo  
 dicamus: uel ob id præcipue, quod læto quodam  
 auspicio aspirante Leone, in maiorum tuorum  
domo,

## P R A E F A T I O.

domo, quæ præcellentium artium celebre domici-  
lium semper fuit, inchoatum elucubratumque est.  
Nec dubito, quin decora progenitorum tuorum  
uestigia secutus, magno mihi præsidio sis futurus,  
postquam eadem Musarum studia, quæ familiam  
tuam ad ciuitatis principatum, indeque ex gemina  
to & prope coniuncto summo pontificatu, ad cel-  
sissimum rerum fastigium extulerunt: religiose et  
liberaliter colis, totque Ethruriæ urbes & Floren-  
tiam patriam, summa æquitate, sapientia, pieta-  
teque gubernes: ac domesticam insignis aulæ atque  
familiæ disciplinam, ad incorrupti pudoris decus,  
multo quam alij luculentius atque splendidius tua  
re. Id uero in te Principe admirabile prorsus ac  
inustratum conspiciamus, quod in hac nu-  
merose decorisque prolis felicitate una  
prorsus tua uirtute, quam ipsa E-  
thrusci imperij fortuna,  
maior atque bea-  
tior euadis,  
Vale.



# PAVLI IOVII NOVO-

COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI

*Historiarum sui temporis.*

## LIBER PRIMVS.



**QUIESCEBAT TERRA**

rum orbis, nullis bellorum pro-  
cellis agitatus, ac in primis, Ita-  
lia quassata paulò antè intestinis  
malis, opima pace florebat, quū,  
bellum, opinione hominum ma-  
ius ac atrocius in Italia exarsit,  
quod postea Europam non mo-

do omnē, uerūm Astæ atq; Aphricæ longinquas partes, con-  
cussis ubiq; uel euersis clarissimarū gentium imperijs, pau-  
corum annorū curriculo perturbauit. Quin & peruagata  
quoq; est eadem fatalis bellorum lues, quicquid terrarum  
Oceano alluitur, incognitosq; antea populos nobis aperuit,  
ad quos neq; Romana uirtus, neq; ulla priscorū literæ pe-  
netrarant. Ita ut his quinquaginta annis, in quos uniuersa  
cōfertur historia, nihil reliquū tot cladibus, afflicto terrarū  
orbi Mars & Fortuna secisse uideantur, quū remotissima  
quæq; prouinciarū, ab ortu solis ad occasum per ipsos etiam  
paulo antè fabulosos Antipodas bello tacta, suo, uel externo  
cruore maduerit. Sed priusquàm tantarū rerum initia me-  
morie prodantur, ut omnia ad cognoscendū clara atq; illu-  
stria in aperto sint, operæ precii erit quenā gentiū opes,  
quiue reges nostra tempestate floruerint, ordine recensere.

PAULI IOVII HISTOR.

Nam postquam Cesarū potentia Fato cecidit, quæ, quondam sublati undiq; regibus, cuncta uni parere coegerat, quum ferocissimi quiq; populi pristinae libertatis memoria rebellarent, nobilissimū Imperiū, alio atq; alio Barbarorū impetu conuulsum atq; dilaceratū, in minora regna & multorum ditionē abisse manifestum est. Fuere exinde res Gothorum maximè illustres, qui ut totius orbis iniurias ulcisci uiderentur, egregijs uirtutis atq; amplitudinis Romanae monumentis immani rabie deuastatis, uni hominū, de uictore gentium Populo triumpharūt. Athila quoq; Hunnorum imperator, quum à Riphæis mōtib; ad Pyrenæos, cuncta, rapidissimi torrentis more, prostrauisset, insignē rerum ab se gestarum memoriam reliquit. Fuit & longè memorabilis Gallorum expeditio, qua Gottifredus Bolionius, pietate & uirtute bellica insignis, supra quadringenta milia uoluntariorum militum, Syria terrestri itinere petita, ad condendum Hierosolymitanum imperiū adduxit. Claruere multis inde annis & Scytarum arma, Tamerlanis maximè ductu, quibus Armenia, Syria atq; Aegyptus aliquando ceaserunt. Sed ne postea Gothorum, Hunnorumue, aut Gallorum, uel Scytarum alienis in terris diuturna fuere imperia. Nam sicuti ab initio ea bella uehementes & repentinos impetus habuerant, ita non multo post, quum nullis certis opibus inniterentur, breui temporis spacio consenuerunt. Certatumq; subinde est, minore aliquanto seuitia, usq; ad patrum nostrorum memoriam, quum & suis terris redditæ nationes, ac frequētes atq; ob id inualidi ubiq; terrarum noui reges, qui sibi armis atq; uirtute regna pepererant, ad prolatandos fines nec ingenti apparatu, nec ullis paulo acerbioribus odijs inter se dimicaret. Sapeq; accidit, sicuti naturæ huma-

ne uariantis uicissitudo semper tulit, ut dum aliqua natio-  
 nes post longa bellorum incommoda, parta pace frueren-  
 tur, alia atq; alia, quæ paulò ante conqueuissent, externis  
 aut ciuilibus bellis deflagarent. Sed is annus qui fuit à par-  
 tu uirginis quadringentesimus nonagesimus quartus, supra  
 milleimum, letissimam pacem, qualem ab Augusto nulla  
 maiorum atas ante meminerat, uniuersis gentibus dedit.  
 Verum ea mox, quæ primo aspectu secura ac florens, bo-  
 na spe tranquillitatis, atque opulentiæ mortales impleue-  
 rat, portento similis, quòd uasitatem terris denunciaret, in-  
 omnes prouincias maxime atrox & diuturnum bellum dif-  
 fudit. Regnabant tum ad Orientem tres maximi reges, am-  
 plitudine imperij, & claritate rerum gestarũ ferme pares,  
 Baiazetes Turcarũ Imperator, Caytbeius Aegypti Syriæq;  
 Sulthanus, & Iacuppus in Persis magni Assimbeij cogno-  
 mento Vssumcassani filius. Baiazeti quicquid Euphrate &  
 Amano monte Cilicioq; mari ac Euxino continetur, Græ-  
 ciq; omnis, Thracia & Mœsia, cum Illirici parte, & ad  
 Istrum latè omnia per Pontũ usq; ad Theodosiam Tauricæ  
 Chersonesi emporium, parebant. Huius ante alios finitimis  
 feruidanda opes erant: Nam ingentes equitum ac peditum  
 copias uirtute ac disciplina firmissimas, certis semper bello  
 paceq; stipendijs alebat, quibus & Amurathes auus, & pa-  
 ter Mahometes paulo antè tantum sibi ditionis & gloriæ  
 peperissent. Verum Baiazetes, ut erat ingenio mitis, ac reli-  
 gioni philosophicq; studijs intemperanter deditus, post de-  
 uictum pulsumq; Asia Gemem fratrem, qui res nouas in  
 Bythinia atq; Cilicia molitus fuerat, pacatis circũ omnibus  
 finitimis, quiete atq; ocio fruebatur. Caytbei autem impe-  
 rium à Cyrenis finibusq; Aphricæ per orã ad Isycum sinum,

PAULI IOVII HISTOR.

qui Ciliciam à Syria disiungit, & introrsus hinc ad Euphratem & Desertæ Arabia terminos, illinc aduerso Nilo usq; ad harenarum solitudines, & leua dextraq; per Arabicum sinum ad Erythræas angustias extendebatur. Fuit Caytbeius natione Cercasius & conditione seruus, cæterum bello acer & uirtute magnitudineq; animi maximorū regum nemini secundus. Is ut tum in Aegypto seruorum tyrannide oppressa mos erat, Manaluchorum suffragijs regnum adeptus, plurima ac difficillima bella singulari felicitate confecit. Nam & Baiazetis ingentes copias, Cherseogle eius genero fortissimo duce capto, ad Tarsum late cæciderat: & Assimbei regis, qui è Mesopotamia, Biriha urbe in Euphratis ripis occupata, Syriam inuadebat, conatus infregerat, domuerat utramq; Arabiam, & seruile bellum oppresserat quo nullum periculosius fuit, quum innumerabiles subserui Aethiopes, coniuratione facta, captis armis ad delendos Manaluchos in unum ex repentina fuga coiussent. Porrò Iacuppus in Maiore Armenia, Media, Perside, Mesopotamia atq; Assyria rerū potiebatur: Vir belli audius, sed vssum cassano patre, à quo regnū acceperat, uirtute atq; fortuna inferior, ut qui, nulla re memorabili gesta, impudicæ uxoris fraude perierit scz ut regnum Hismaëli Sopho sororis filio, qui demum terrarū orbem nominis sui fama cõpleuit, inuadendum occupandumq; relinqueret. Assimbeius enim pater Magni cognomine dignus, Hiberos & Hyrcanos Cassij maris accolæ Armenia sinibus imminentes, cladibus illatis, longe summouerat, & pulso Mahomete Baiazetis patre: duobus secundis prælijs Ottomannorum opes attriuerat, sed pleniorē rei bellicæ gloriam fuisset adeptus, nisi ad Arsengam (dum tertio summi certaminis fortunam periclitatur

elitatur) multitudine tormētorū expugnatus, in foelici exitu  
 superiores uictorias corrupisset. Aphricam ab Aegypti fini-  
 bus ad Atlanticum Oceanum multi reges obtinebāt, omnes  
 infirmis opibus & bello ignobiles, cum his Getuli & Numi-  
 dæ aliq; populi mediterranea Aphrica colentes, qui uno no-  
 mine Arabes hodie nuncupantur, continuè per latrocinia,  
 & repentinas incursiones bella gerunt. Gens etenim nullis  
 certis sedibus assueta, mutando loca atq; euagando, cuncta  
 populatur, ac tum maxime Aphris acre bellum incumbit,  
 quum maturas in agris segetes tutari oportet aduersus Ara-  
 bum iniurias, qui ut alieni laboris fructus intercipient, ex  
 insidijs & summis aliquādo uiribus, messorum oppidanorum  
 praesidio confirmatos adoriuntur: Inter tot reges, Maho-  
 metes qui ad Tuneta supra Carthaginem regnabat, ubertate  
 agri, diuitijs atq; authoritate longe clarissimus habebatur,  
 quāquam & Fessano regi Mauritania Tingitanae, atq; item  
 finitimo regi Marochio ad Atlātem ac Oceanū permagnis  
 equitum copijs ualido, opulenta regiones pareant. Sed emi-  
 net Tunetanus, quum ab eo sacra petantur. At citra fretum  
 Herculeum, Hispania omnis, praeter exiguam ueteris Lusit-  
 aniae partem, qua tum Ioānes rex Portugalliae potiebatur,  
 cum ipsa etiam Sicilia atq; Sardinia & Balearibus, in ditio-  
 nem Ferdinandi concesserat. Is è Tarroconensi ubi tum Ioan-  
 nes pater imperabat, in ulterioris Hispaniae regnum, quod  
 Elisabethae uxoris dotale fuerat, transgressus, Lusitanos pro-  
 uinciā suam inuadētes, aliquot praelijs superatos expulerat.  
 Nouissimè autem quum Maurorum imperium in Bethica  
 opulentum & florens continuis decem annis ab se oppug-  
 natum, eiecto Rege, & tota gēte deuicta, funditus euertisset,  
 tantam bellicae uirtutis atq; prudētia opinionē apud omnes



PAULI IOVII HISTOR.

adeptus est, ut nemo illi Christianorū regum uel altitudine ingenij, uel industria, uel rebus gestis conferendus esse uideretur. In Gallia autem longē lateq; imperabat Carolus eius nominis octauus, qui tametsi neq; manu neq; cōsilio multum ualebat, tamē ut mox dicemus amplissimis maximi atq; opulenti regni uiribus innixus, uiginti trium annorū adolefcens, & pacem in Italia euertit, & rem Gallicam quæ nobis erat obscurior, armis atq; ausu plurimum illustrauit. Britāniam uerò ab ea parte quæ continētem Gallia prospicit, atq; alio nomine Anglia nuncupatur, Henricus septimus bello & pace insignis, ac in primis auri ditissimus obtinebat. Scotis autem qui extrema insula ad Caledoniā sylvā & Orcadicum Oceanum incolunt, Iacobus Stuardus paternæ cædis scelere, ac ipso postea uita exitu infœlix, dominabatur. Belgæ, Batauiq; & Burgundi Heluetijs & Tulingis proximi, post Carolum Belgarum principem in mediomatricibus ad Nansim cum exercitu ab Heluetijs cæsum, Philippo Maximiliani Cæsaris filio parebant. Ipse Cæsar totius Germaniæ imperio potiebatur, ita ut eius nomen in honore sit, sed non inania iubendi iura, ueræq; opes apud liberas Ciuitates cēseantur, quæ mutuo scedere consociatis uiribus, septuaginta urbium insignium numerū implent, atq; uno consensu insuperabiles libertatem defendunt. Ceterum Maximilianus multarum uirtutum laude inclytus, se ipso maior haberetur, nisi fortuna, quæ pulcherrimis iuuenta cceptis adsuerat, postrema eius consilia & nouissimos conatus penitus elusisset. In Pannoniæ regno, Matthia Coruino uita functo, qui gloria clarissimis belli pacisq; artibus quæsitæ, omnes eius ætatis reges superauit, Vladislaus Rex Bohemorum successerat. In Polonia uerò Alexander, eodem quo & Vladislaus Casimiro patre

patre genitus, imperabat. Fuit hæc olim Sarmatia, quæ nunc ab Oderâ flumine, id in Venedicum sinum decurrit, ad Borysthenem usq; & Rosolanorum fines extenditur. Supra Tanaim & Borysthenis fontes ad Boreâ, Moschi Scytharum finitimi, late omnia tenent, attinguntq; Volgam amnẽ, Rhæ ab antiquis nuncupatum. Moschorum tum rex erat Ioannes Basilius, sanè Christianæ religionis cultor egregius, nisi Grecanicos ritus, qui minus ab Romano Pontifice probantur, pertinaci superstitione sequeretur: Is equitatu maxime abundat, & cum Polonis & Scythis continenter bella gerit. Supra Moschos, qui hodie Moschouitæ appellatur, ab Aquilone ad occasum tendentibus, Suetia occurrit, ignota quondam Romanis scriptoribus, & huic proxima, nostroq; maloclarior Gothia, quæ circumfluo & restagnante Oceano munita est. Ultra uerò Suetiam Noruegia longissimo tractu portenta ad Caledonij maris terminos, ingentem sinum efficit, atq; inclusis innumerabilibus insulis, contra ultimum Cimbricæ Chersonesi promontoriũ irrumpente, demum Oceano recuruatur, & Daniæ regna cõcludit. De natura eius terræ atq; his gentibus, quæ supra Noruegios existunt, Ictiophagis atq; Pygmeis nuper repertis, apud quos certa cœli ratione per coniunctas inter se noctes & perpetuos Soles, totus annus alterna uarietate reuoluitur, suo loco memorabimus. In Italia autem ea tempestate Veneti & magnitudine opum & diuturnitate Imperij, & rebus terra mariq; sæliciter gestis summam auctoritatem obtinebant. Vrbs eorum ampla atq; magnifica, mercaturæ & rei naualis studio à paruis initijs creuit. Sed ea propter incredibilem situs munitionem, ante alias & beata & admirabilis existimatur, q̄ interfluentis Hadriæ paludibus cineta, nullisq; ob id oportuna hostiũ

PAULI IOVII HISTOR.

iniurijs, ueteres thesauros domestica in pace cumulatōs, periculosis etiam temporibus conseruari. Nulli etenim à terra aditus, intercedēte quādraginta stadiorum pelago, nulli peritus à mari ingressus propter cæca atq; humilia uada, usque tantum indigenis nota, aut ingruentium barbarorum auiditiae, aut magnis ab alto clasibus patuerunt. Veneti homines in uniuersum, consilio sunt graues, seueri in iudicijs, & in aduersa rerum fortuna constantes, in altera nunquam immodici. Omnibus quum idem sit conseruandæ libertatis & augendi imperij incredibile studium, in senatu liberè & sepius acerrimè sententias dicunt, nec quenquam temere ex optimatibus, qui uel insigni uirtute, uel spiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus crescere, uel collecta gratia potentè & clarum fieri patiūtur: Quibus institutis, dū seruitutis metu, aliena uirtute quàm sua, terrestri in bello uti longe utilius & tutius putāt, togati omnes per octingentos amplius annos, rempublicam nullis ferè intestinis seditionibus exagitatam, administrarunt. Ceterum ipsa nobilitas totius maritimi negotij & naualis disciplinæ munera nauiter implet, exutisq; togis arma desumit. Paruere eis ab initio, quo tēpore maxime clasibus ualebat, Istri, Liburni, Dalmatiæ atq; Illyrici ora, multa itē nobiles Græciæ urbes, cum Eubœa Cretaq; insulis. Mox transgressis in proximam continentem, Patauium, Verona, Taruisum atq; Vicentia, quæ ab infirmis regulis tenebantur, accesserunt. His quoq; Rauenna addita est regia quondam Gothorum, atq; alterum totius Italiae nauale pulcherrimum. Quo rerum successu euecti, & terrestribus aucti copijs, non multo post Philippo Vicecomiti pluribus bellis defatigato, Brixiam & Bergomum ademere. Cessit & eis Crema, Francisco Sfortia concedente

concedente. Exinde Venetorū potētia cunctis in Italia maxi-  
mo terrori esse cœpit. Nam finitimus quisq; pro se, ut pericu-  
lo proximus, suspectas eorū vires habere, quæ paulo antè ser-  
pēdo atq; aliena appetendo in tantā magnitudinē excreuis-  
sent: ac plurimū uereri, ne quæ ipsi per socordiā adolēscere  
sincerēt, ea sibi mox uel tenui rerū occasione exorta, in perni-  
ciem uerterentur. Quando omnes qui humanarū rerū usu  
periti essent, uim illam inueterate reipublicæ nō caduci ali-  
cuius hominis ingenio atq; industria regi, sicuti cætera impe-  
ria, quæ à uirtute uel ignauia principū fortunā sortiuntur,  
sed uno atq; eodem immortalī perpetui Senatus consilio gu-  
bernari manifestē prospicerent. Quamobrem consternati  
aliquando Italiæ principes uno consensu eorum conatibus  
obstitere: ac nouissimè quū Ferrariā nobilem atq; opulentam  
urbem pertinacius oppugnarent, authore Xysto pontifice,  
consociatis uiribus, libidini atq; potētiæ eorū obuiam itur.  
Secundas autem authoritatis atq; opulentiæ partes in Italia  
Ferdinandus Aragonius obtinebat. Is Neapolitanū regnum  
Alfonsi patris uirtute partum, deuictis proceribus, qui re-  
bellionē facta Andegauēsem ducem secuti, grauissimum bel-  
lum excitarant, cum magna gloria conseruarat. Ferdinando  
filius erat Alfonsus, etate integra, manu promptus, atq; inge-  
nio ferox, omnium qui tum in Italia exercitus ductarent, lon-  
gè clarissimus. Huius uirtute audaciāq; usus Ferdinandus,  
quū ipse Neapoli iam senex prudentiæ plenus in exæquādis  
Italiæ rebus omnium vires singulari iudicio metiretur, cum  
Florentinis & Venetis duobusq; pontificibus bella gessit.  
Quo tempore Aragonia res adeò firmata stabilitaq; est, ut  
quum domi consiliū uigeret, & foris arma florerent, nullam  
mutationem unquam ea hominū etate habitura uideretur.

## PAULI IOVII HISTOR.

Regnum eius multis insignibus atq; opportunis urbibus nobile, atq; undiq; à Supero atq; Infero mari portuosum, omni genere commeatus, acribus uiris, & militaribus equis abundabat. Idq; à Tarraconensi saltu, Pontinisq; paludibus per Volscorum fines transuersis, Sabinorum ac Marsorum iugis per Furconenses & Ferenlanos, ad Truentum anem, Romani pontificis terminos attingit. Cetera ab ipso Sicilia freto, hinc Thyrreno, atq; illinc Hadriatico ambiuntur. Pontificie uerò dititionis erat Picenus ager, Umbria, Flaminia, Aemilia, Latium, cum multo maxima Tuscia parte. Verum nobiles ac liberae ciuitates incuria uel imbecillitate ueterum pontificum, passim impotentibus tyrannis seruebant: aut propter dira odia, immortalium factionum cruentis seditio nibus agitabantur. Inter ceteros moderate admodum Urbinatibus Guido Felatrius, Camertibus uerò Iulius Varanius imperabat. Ioannes Bentiuolus apud Bononienses principem agebat. Foroliuij et Forocornelij Caterina Sfortia dominabatur. Fauentiae Manfredi, Pisauri Sfortiani, & Malatestae Arimini principes erant, sed qui iam uetere potentia & claritudine decidissent, Perusiae Baleonũ familia multis fortibus uiris, sed admodum sanguinarijs ampla & florens: pulsa Odorũ factione, ciuibus suis leges dabat. Tiferni Vitelliorum nomẽ clarũ erat atq; illustre: Sed ea mox domus, quae multos simul duces insigni gloria tulerat, miserabili eorum interitu funesta atq; infœlix fuit. Populus autem Romanus in partes discissus, Vrsinae aut Columniae factionis studia sequebatur. Columnijs Sabelli uetustate familiae & frequenti sobole militarium iuuenũ potentes, Vrsinis uerò, comites cognomẽto Grapelli claritate atq; opibus ferme pares, adhibebant. Nobilissimi procerum tunc erant, quiq; postea domi ac foris milita

tia claruerunt, Verginius & Nicolaus Vrsini: Colūna uerò  
 Prossper atq; Fabritius: Iacobus item Comes, Antonellusq;  
 Sabellus. Horū opibus, Romani pontifices, dum per uarias  
 temporū ac bellorū occasiones licuit, semper insensī infestiq;  
 fuerant: nihilq; unquam antiquius habuerunt, quā factio-  
 nem fouere atq; alere eorum controuersias: ut quum attrite  
 mutuis cædibus atq; iacturis amborum uires forent, ipsi po-  
 stea deletis reliquijs, oppidis eorum, ut proximis, potirētur.  
 Romani etenim, siue pristini decoris antiquæ libertatis me-  
 mores, siue ut sunt natura turbidi atq; feroces, sacerdotū im-  
 peria, q; pleriq; eorū parū moderate auareq; imperitent, a-  
 quo animo ferre nō possunt. Propterea, quū iniurijs aut con-  
 tumelijs exagitati fuerint, quo minus omni maleficio dese-  
 uiant, neq; ui, neq; legibus, neq; sacrosancti pontificis autho-  
 ritate deterrentur. Cepere aliquando, atq; interemere Boni-  
 facium Octauum, hominem quanquā factiosum, morum  
 tamē ac literarū dignitate uenerabilem: Quin et Eugenium  
 eximia uirtutis pontificem, sede atque urbe inmaniter ex-  
 pulere: alios palam oppugnauere armis, alios coniuratione  
 facta, ab obcessis itineribus in maxima uite atq; amittendæ  
 dignitatis pericula cōiecere. Præerat tunc Christianis sacris  
 Alexander Sextus, natione Hispanus, antea Rodericus Bor-  
 gia nuncupatus, qui præ alto ingenio, eoq; semper astutē li-  
 berali, quibusdam Senatoribus per comitiales dies non oc-  
 culta largitione corruptis, quum potiores eius ordinis,  
 solis innixi uirtutibus, repulsam tulissent, pontificatum  
 adeptus est. Is ab immani cupiditate maiores opes affe-  
 ctans, ut mox dicemus, Columnios pariter atq; Vrsinos ua-  
 rijs afflixit claudibus, pontificatuq; uaria labe polluto, cuius  
 antea nomen sanctius ac uenerabilius fuerat, Italicarum re-

## PAULI IOVII HISTOR.

rum statum magnopere conturbauit. Senensium libertatem, quã plebeij nouiq; homines cum optimatibus, & rursus inter se nobiles uaria fortuna per aliquot annos cõtendissent, Pandulfus Petrutius, uir apprimè sagax paulo antè sustulerat. Florentina autem respublica, Petri medicis consilio atq; auspicijs regebatur, eam biennio antè uita excedens Laurentius pater, in quo summa sapientia, eximia uirtus, & singularis humanitas fuit, optimis cõstitutam legibus, opulentam florentemq; reliquerat. Tum primum enim Florentini pace parta, quã domi forisq; industrij, et in mercatura maxime diligètes, publicè ac priuatim res suas mirũ in modũ auxissent, elegantius et sumptuosius quàm ceteræ gentes edificare, excolere dignissimarũ artiũ artifices: et quod incomparabili gloriæ eis cecidit, Græcas atq; Latinas literas illustrare cœperũt. Lucensium ciuitas, ut sese à Florentinorũ iniurijs, qui libertati eorum semper inuiderunt, tueretur, Maximiliano Cesari & nonnunquam Mediolanensium principibus tributa pendebat. Genuenses uerò qui cuncta quondam maria peruagati, relictis ubiq; clarissimarum uictoriarum monumentis, ceteras gentes omni tempore nauali gloria superarãt, quã domi seditiosi atq; discordes seuissimis factionum fluctibus mergerentur, in clientelam Sfortianorum concesserant. Vigebãt tum in Luguria duæ factiones, Adurnia atq; Fregostia, ambæ populares & Gibellini nominis: ipsa enim ciuitas in nobiles & populares familias plebẽq; tripartitò diuiditur. Nobilitas duplici factionũ morbo laborabat: nam patritij quum ex professo partim Guelfi essent, partim Gibellini, etiam Adurnium, aut Fregostium nomen pertinaci quadam insania sequebantur, accidebatq; sepius, ut Guelfi Gibellinos quos maxime odio habere consueuissent, nouarũ

partium

partium libidine caci, acerrimis studiis iuuant. Idque propterea fiebat, quod nobiles lege quadam antiquitus lata, supremum in ciuitate magistratum qui ad solos Gibellinos pertineret, capere non licebat: plebs quoque, quae mirum in modum incertis rumoribus seruit, incredibili mobilitate tumultum excitare, ad arma discurrere, atque eodem nonnunquam die commutatis uoluntatibus, modo his modo illis fauere consueuerat. Quibus de causis effectum est, ut quum discordia atque intestinis confecti malis sese regere non possent, dissociatis animis attenuatisque opibus, facile ueram libertatem amiserint. Arcem quae urbi imminet, Ludouicus Sfortia praesidio munitam obtinebat: Praetoriani milites Augustini et Ioannis Adurniorum, qui Ludouici clientes erant, iussa faciebant: actum omnibus una atque eadem cura inerat, ut Fregosios quos ante expulerant, urbe prohiberent, et Senatus Populusque omnis Ludouici consilia sequeretur. Porro Ferraria, Mutina, Regium, Lepidi Herculis Atestini. Mantua Francisci Gonzagae. Vercellae, Augusta Praetoria, Taurinum, Iporegia, Subalpinaque oppida Philippi Allobrogum principis, cuius imperium per Graias Alpes usque ad Genuam et Lemanum lacum extenditur, ditionis erant. In Gallia autem Cisalpina, quae nunc Lombardia à Longobardis, qui ibidem sedes imperiumque tenuerunt, recentiore nomine nuncupatur, Mediolanensium princeps erat Ioanes Galeacius Galeacio Sfortia genitus, qui à coniuratis in templo diui Stephani in ipso aetate flore trucidatus est. Caeterum Ludouicus patruus, ad quem summa rerum omium respiciebat, imperio potiebatur, uir singulari prudentia, sed profunda ambitione ad exitium Italiae natus. Is multis ante annis animo agitans, quibus maxime consilijs imperium adsequeretur, Cicchum Simonetam uirum



## PAULI IOVII HISTOR.

grauem, & pro puero tum Ioanne Galeacio, rem Mediola-  
 nensem sincera fide administrantem, falsis obiectis crimini-  
 bus, capitali supplicio affecerat: Mediolani, opportunisq;  
 alijs in locis ueteres ac puero fidos custodes arcibus eiece-  
 rat: Praefecerat copijs atq; urbibus novos homines: & quos  
 coeptis suis obstare prouidebat, uarijs circumuentos artibus  
 oppresserat. Eo modo ad imperij procurationem euectus,  
 quum Veneti caeterorum Italiae principum armis in Ferria-  
 riensi & Brixiano premerentur, resq; eorum in angusto si-  
 ta, ac plurimum diuturno ac ancipiti bello attrita essent,  
 primus a foederatis impudentissimè desciiuit, & pace ad Bal-  
 neolum oppidū firmata, explorata uictoriae cursum inter-  
 rupit: scilicet ut Veneti hostes immortalī beneficio sibi ob-  
 stringerentur, quorum ope atq; auxilijs, Mediolanense im-  
 perium, amoto fratris filio se adepturum confidebat. Ea res  
 Xysto pōtifici tantum mœroris attulit, ut intra paucos dies  
 ingenti dolore uictus interierit, & Alfonso, qui sociorum  
 ductabat exercitum, erepti sibi è manibus triumphī contu-  
 melia accēsus, nunquā se eam iniuriam animo depositurum  
 esse iureiurando affirmauerit. Erant pleriq; eo tempore qui  
 Ludouicum amplissima prudentiae laude cumularent, quod  
 eam belli flammam, qua permobilis Italiae tractus deflagatu-  
 rus esse uideretur, foelici diligentia restinxisset: unde sibi, uti  
 rerum æquus arbiter ac moderator, summam consilij atq;  
 uirtutis opinionem apud omnes esset consecutus. Id quoq;  
 ad amplificandam eius existimationem pertinebat, q, Asca-  
 nius frater ipso impetrante cardinalatus honorem fuerat  
 adeptus: qui tum & summa gratia apud Alexandrum pon-  
 tificem ualebat, & propter immensas opes atq; animi mag-  
 nitudinē, eius ordinis facile princeps habebatur. Nec multis  
 antē

ante annis Sedunos Heluetiorum socios, in Italiam irrum-  
 pentes, supra Verbanum lacum acie profligarat: et Retho-  
 rum impetum qui Clauennam oppidum inuaserant, armis  
 atq; pecunia fregerat: quum aduersus similes barbarorum  
 irruptiones, imperij fines faucesq; Alpiū mirificis operibus  
 atq; arcibus erectis egregiè muniuisset. Quibus de rebus  
 magna illi indies potètia, singularis auctoritas, cum ingenti  
 et lan gloria crescebant. Enimuerò tametsi ambitione præ-  
 ceptus in diuersum ab æquo & bono rapiebatur, multis tamè  
 optimis artibus abūde instructus, flagitiosa consilia mirificè  
 cōtegebat. Erat in primis, quod maxime popularè gratiam  
 fauorèq; conciliat, aditu alloquioq; perhumanus & facilis:  
 nunquam eius animus iracundia superabatur: moderatè ac  
 patienter ius dicebat: Ingenia quæ uel literis, uel exquisitis  
 artibus claruissent singulari liberalitate prosequeretur. Po-  
 stremo quum fames pestilentiaue ingruerent, maxima an-  
 noniæ & sedubritatis cura habita, sublatiisq; latrocinijs, atq;  
 enormibus urbis ædificijs ad lineam directis, tantum splendo-  
 ris ac opulentiæ Cisalpinæ Gallie inuexit, ut ab omnibus  
 aureæ pacis & publicæ securitatis atq; elegantie conditor  
 esse diceretur. Id modo summam illi apud honestos ciues con-  
 flabat inuidiam, quod Ioannem Galeacium egregia mitiq;  
 indole iuuenem, iam tum quatuor & uiginti annos natum,  
 sceptrum tenere, atq; obire principis munia, minime permit-  
 tebat, ceu ille propter ingenij ac ætatis imbecillitatem, ma-  
 ximarum rerum curis tantoq; oneri, impar foret. Nec iuue-  
 nis paternorum amicorum auxilio destitutus, quos antea  
 Ludouicus sustulerat, aut specie honoris, per causam geren-  
 di magistratus ablegarat, reposcere imperij iura, aut quic-  
 quam principe dignum eloqui audebat. Siquidem à Ludo-

## PAULI IOVII HISTOR.

uico summissi speculatores, qui eius dicta factaq; notarent,  
 in aula haud quaquam dissimulanter obuersabantur. Iamq;  
 eo contumeliarum erat peruentum, ut Ludouici quaestores,  
 inspectis sumptuarijs rationibus, quæ etiam pertenues erant,  
 nimij luxus eum castigarent, certamq; tantum expendendæ  
 pecuniæ summam præscriberent. Ita miserrimus princeps  
 odio impotentis Patru subactus, neq; ulla amicis aut clien-  
 tibus beneficia collocabat, neq; præ inopia quicquam ægti  
 mæstæq; familiæ largiebatur. At in aula Ludouici, quæ hila-  
 ritatis atq; opulentiæ plena erat, unis subteclis cuncta luxu  
 & continuo liberalitatis splendore magnifica atq; illustra  
 uisebatur, quodq; magnoperè mœrorem accumulabat, Bea-  
 trix Ludouici uxor (erat hæc Herculis Atestini filia) fastu  
 atq; luxuria ingenti mulier, plerumq; grauioribus consilijs  
 sese arrogantius quàm mulierem deceret, immiscere, deman-  
 dare præturas, & capitalium ciuiliuq; rerum iudicibus  
 plane dominari ita consueuerat, ut Ludouicus qui iam tum  
 blanditijs eius delinitus, uxorius habebatur, importunæ mu-  
 lieris libidini nonnunquam obtemperare cogereetur. Præser-  
 tim, quod ei filium, cui postea Maximiliano nomen fuit,  
 paulo antè pepererat. Vnde, quum magna ludorum celebra-  
 tate puerperæ atq; infanti principalia ornamenta collata  
 essent, manauit in uulgo fama, Ludouicū Papiæ urbis prin-  
 cipatum, ut inde more maiorū puer ueluti è proximo gradu  
 ad imperium eueheretur, infanti filio destinasse. Ea res Ioan-  
 nis Galeacij et præsertim Isabelle uxoris animos magnope-  
 re exulcerauit: Ipsa quod & patrē Alonsum et auū haberet  
 Ferdinandum, & iam Franciscum auitæ indolis puerum in  
 spem sibi debiti imperij primo partu peperisset, maiores,  
 quàm muliebris animus ferret, ad uindicandā contumeliam

spiritus

spiritus gerebat, eoque grauius ac infestius, quod Ludouici opera per sagas, ipso nuptiarum die magicis cantaminibus & ueneficijs, quibus fecunditatem impedirent, se pariter & cōiugem petitos esse persuasum habebat: & tum cuncta patrii consilia eò ferri manifestè perspiceret, unde ipsi circumuenti omnibus dolis atq; artibus e medio tollerentur. Itaq; Isabella impotenti dolore acta, ad patrem auumq; in hanc sententiam literas cōscribit, & spectatae fidei clienti suo, quū id sepius tentare periculosum foret, Neapolim deferendas tradit. Scio uos qui & claritudinis Aragoniæ domus, & regiæ dignitatis memores semper fuistis, nunquam me prolem uestram, atq; in sinibus uestris educatā, Ioanni Galeacio fuisse desponsuros, si quem paterno atq; auito imperio, quum per ætatem licuisset, successurum arbitrabamini, eum exacta adolescentiā, liberisq; susceptis ambitiosissimo atq; scuisimo patrio seruiturum putassetis. Ludouicus enim non iam patruus, sed immitis & atrox hostis, nunc primum aperte, & multis antè annis, longa gubernandi consuetudine alleclus percupidè semper affectauit, Mediolanēsis imperij sceptrum solus obtinet, & cuncta cum uxore ad arbitriū moderatur. Illi custodes arcium, copiarum duces, magistratus, atque omnes prouinciæ ciuitates parent. Ipse principum legatos audit, belli et pacis fert leges, & denique necis ac uitæ, uectigalium atque ærarij supremā habet potestatem. Nos miseri ab ipso circumscripti, & destituti ab omnibus, quum solis rerum inanium titulis decoremur, in obscuro luctuosam ac miserabilem uitam agimus, sollicitiq; etiam de salute quæ imperio atque honoribus amissis reliqua est, nisi mature operimur feratis, duriores indies afflictis rebus exitum operimur. Eripite obsecro natam, generumq; uestrum his ærumnis, &

## PAULI IOVII HISTOR.

si uos diuina uel humana iura permouent, si qua iustitia & pietatis, si qua deniq; in illis uestris regijs animis pristini decoris cura residet, libertati atq; imperio restituite. Non desunt nobis studia optimorū ciuū: in Ioāne Galeacio animus uiget curarum atque imperij capax, ueteres amici, qui nunc tyrāni seuitiam reformidant, promptam ac fidelem ex occasione operā nobis taciti pollicentur, atq; omnes peregregia erga nos uoluntate ciuitates existunt, quibus ille inuisitata & pręgrau acerbitate pecuniam imperauit. Postremò Dij ipsi immortales scelerum uindices nobis non decrunt, si uos, qui alienissimis etiam misera atque indigna seruitute oppressis præsidio esse æquum & regium semper existimastis, sanguini uestro, & iustissimæ causæ minime defueritis. Ferdinandus & Alfonso, qui multum antea illa uera esse multorum literis & fama cognouerant, rei indignitate permoti, legatos ad Ludouicū decernunt, qui Ioannis Galeacij causam agant, sed amicè atque lenissimè negocium pertractent, quòd uim eius hominis in ipso metu suspiciosi atque precipitis, neque minis, neque ulla denunciatione periculi exagitant. Mittuntur itaque Antonius & Ferdinandus Gennarij uiri graues: li Mediolani magnificè suscepti, luculentam de Ludouici laudibus in confessu primorum ordinum orationem habuerunt, quæ eò pertinebat, ut æger ambitione animus, postquam nihil aliæ artes ualuisse, gloriæ ac laudis mentione sanaretur. Erat enim Ludouicus æternitatis appetens & gloriæ audus, sed qui peruersis rationibus inanem pro solida sectaretur, ut plerique principum solent, qui adepto statim rerum fastigio, dum ueræ uirtutis obliuiscuntur, per superbiam atque animi uanitatē insanunt. Cæterum exitus orationis fuit, Fer-  
 dinan-

linandum regem atque Alfonso obnixè rogare, ut impe-  
 rium quod multos annos adolescenti Ioanni Galeacio singu-  
 lari uirtute ac uigilantia conseruasset, eidem qui & uir &  
 pater esset effectus, iam tandem restitueret. Id si faceret, uti  
 humana iura postularent, ipsum, sicuti antea sapientis, ita  
 humo uiri optimi nomen insigni cum laude consecuturum.  
 Aragonios uerò reges, qui sfortianis coniunctissimi semper  
 extitissent, eo singulari accepto beneficio, immortales gra-  
 tias habituros. Ad ea Ludouicus respondit se ab ineunte eta-  
 te in unam eam curam totis sensibus semper excubasse, ne res  
 Mediolanensis aut intestinis insidijs turbari, aut ullis affici  
 detrimentis ex opportunitate pueri principis ab hostibus  
 posset: Id se Dijs bene iuuantibus abundè præstitisse: Veri  
 principis nomen penes Ioannem Galeacium fuisse semper,  
 atque in posterum futurum, se interea nihil præter labores,  
 & difficillimarum rerum curas usurpasse unquam, & id  
 cum summa animi sollicitudine, ualitudinisq; iactura, neque  
 esse commissurum, qui multis æquitatis atque modestie ex-  
 emplis honestissimam apud omnes existimationem esset ade-  
 ptus, uti aliquo suo paulo iniquiore factò superioris uitæ  
 gloria scèdaretur, proinde se breui, postquam fratris filius  
 sua cura ac diligentia in eam spem adoleuisset, administran-  
 di imperij graue & permolestum onus esse depositurum, ut  
 non modo Aragonij reges, qui id obnixè postulare uideren-  
 tur, sed ceteri etiam principes, priuatiq; omnes se nulla am-  
 bitione, uerum officij necessitate adductum, ad id muneris  
 accessisse intelligerent, quando res suæ haud mediocriter ali-  
 quorum perfidia labefactatæ, dubijs temporibus pro salute  
 pueri atque imperij maiora præsidia flagitassent. At Gen-  
 narij, quum ceteris diebus per priuata colloquia agendo

PAULI IOVII HISTOR.

atque adhortando apud animum ea libidine duratum nihil profecissent, speciosaq; tantum uerba factis contraria sibi dari manifeste perspicerent, re infecta Neapolim reuertuntur. Ex eo tempore Aragonij haud dissimulante cum Ludouico inimicitias gerere, comminari aliquando illi acriter uerbis, & tandem postquam legationibus nihil impe-  
 trabant de inferendo bello agitare coeperunt. Ferdinandus tamen, ut sunt lentiora senū consilia, omnia alia prius quam bellum experiri malebat. Verum Alfonsus in quo etas & militare studium uigebant, quum & priuatas etiam cum Ludouico simultates ex Balneolana pace conceptas exerceret, rem ad arma deducere properabat. Nec desuere qui diceret Alfonsum auidius atq; ardentius sumenda arma decreuisse, quod inani quadam occupandi Mediolanensis imperij fiducia duceretur: Id enim sibi deberi haud obscuro iure predicabat, quonia Philippus Mediolanensium princeps, in quo Vicecomitum progenies defecit, Alfonsum regem ipsius auum, ut Venetorum conatus, qui tum Mediolano imminabant, eius uiri uirtute frangerentur, primis ac uerioribus testamenti tabulis heredem imperij reliquisset. Igitur Ludouicus qui Ferdinandi experientis & callidi senis consilia, & uim Alfonsi acerrimi ducis, maximasq; eius regni opes formidabat, quum sensim arma & classes aduersum se Neapoli pararentur, praeruertendum sibi ratus, ut sese aduersus omnem eorum iniuriam muniret, bellicosam atq; insensam Italico nomini Gallorum gentem, in Italiam euocandam existimauit: quod consiliū tam sibi postea ac suis exitiabile, quam toti Italiae calamitosum fuit. Vendicabat sibi Neapolitanum Regnum rex Carolus repetito iure ab Andegauensibus prouinciae regulis, qui à Ioanna regina per adoptionem in re-  
 gnum

gnum adsciti fuerant. Ioanna etenim Ladislao rege fratre  
 extincto, quum Iacobum uirum Gallum, cui nupserat, inso-  
 lentius secum agentem repudiasset, & paulò post muliebri  
 leuitate palàm insanis amoribus seruiret, à Martino pontifi-  
 ce Maximo & Ludouico Andegauense, armis petita est, sci-  
 licet, ut impudicus reginæ animus, qui uerecundia ac pudore  
 moueri non poterat, metu belli in ipso amittendi regni pe-  
 riculo sanaretur. Eam ob causam regina timore implicita,  
 Alfonsum citerioris Hispaniæ regis fratrem, qui tum in Cor-  
 sica magno apparatu Bonifacium urbem oppugnabat, cum  
 ualida atq; expedita classe Neapolim accersuit, cuius uirtu-  
 te & Gallorum & sfortiæ tunc longè omnium in Italia for-  
 tissimi ducis conatus repressit, ipseq; ut antea per cõditiones  
 regina promiserat, ob nauatam egregiè operam, in filium  
 adoptatus est. Sed Alfonsus paulo post Ioannam, Carraccio-  
 lo eius amatore in uincula coniecto, oppugnauit armis, Nea-  
 poli q; expulit: siue quòd male testas reginæ libidines, saluo  
 regio pudore, ferre non poterat: siue quòd iam solus domina-  
 ri & cuncta regere uolebat, ut sunt impotentia atq; impe-  
 randi auida ingenia Hispanorũ, qui cum semel irrepserint,  
 ad summam semper potentiam cunctis artibus contendunt.  
 Itaq; Ioanna circumueta omnibus malis Alfonsum tanquam  
 impium & ingratum apud Pontificem accusauit, & rescis-  
 sa priore adoptione, Ludouicum Andegauensem in Alfonsi  
 locum sibi substituit. Inde grauissima secuta sunt bella, mor-  
 tuoq; Ludouico ad Renatum eius fratrem bellum eodem iure  
 translatum. Durauitq; ea contentio usq; ad Ioannem Re-  
 nati filium, qui ab excessu Alfonsi, cum hoc Ferdinando ue-  
 hementi impetu & magnis partium uiribus per aliquot an-  
 nos, sed parum prospero successu bellum gessit: quorum mo-



PAULI IOVII HISTOR.

§
 tum causas atq; euentus, Iouianus Pontanus, uir ad omne  
 genus eloquentiae natus, in historijs explicauit. At Ioannes  
 regno atq; Aenaria insula pulsus, quum in Galliam adnauiga-  
 sset, non mulo post febre correptus interiit, superstiti ad-  
 huc Renato patre, qui mox & ipse, sine liberis atq; nepoti-  
 bus uita excedens, Ludouicum Galliae regem huius Caroli  
 patrem testamento reliquit heredem. Fuit post haec non se-  
 mel regio in concilio de repetenda Neapoli magnis proce-  
 rum studijs actum. Sed Ludouicus qui diu domestico & Bel-  
 gico simul bello implicitus fuerat, totam eius consilij ratio-  
 nem & damnosam & perdifficilem multis de causis semper  
 existimauit. Mortuo autem Ludouico, qui sublatis infensio-  
 ribus regulis & rebus singulari prudentia constitutis, Caro-  
 lo filio regnum Galliae omni bellico motu uacuum pacatumq;  
 reliquerat. Non desuere proceres qui Galliae uires extollen-  
 do, quod nuper Britones citerioris Britanniae gentem, quae  
 in Gallia est, ad sanctum Albinum Rhedonum oppidum, me-  
 morabili prelio deuicissent, ad suscipiendum parandumq;  
 bellum adolescentem incitarent. Namq; uiri militiae dediti &  
 continuis superiorum temporum exercitati bellis, quum par-  
 ta pace quietem atq; otium ferre nescirent, nouum bellum  
 quo ditari & uirtutem ostendere possent, exoptabant. Neq;  
 gens alacritatis & perample fiducia plena, mirumq; in mo-  
 dum dedita regibus suis, quibus diuinum quendam animi uigo-  
 rem inesse persuasum habent, rege duce quicquam sibi ar-  
 duum aut factu difficile fore existimabant. Peruaserat quoq;  
 in uulgus hominum ex antiquis quorundam uatum carmini-  
 bus celebris fana, Carolo Gallorum regi maximum totius  
 orbis imperium portendi, illumq; esse eius nominis octauum,  
 cui Mathematicorum testimonio fatum foret, occidentis si-  
mul

mul atq; orientis imperio potiri. Nec deerant qui nobilissimum quondam Græcorum imperium, quod Mahometes Otomanus, Byzantio capto, et cæso Constantino Græcorum imperatore, non multis antea annis occupauerat, ad Gallos pertinere iactarent. Turcæ quoq; per eos dies subitis incursionibus Dalmatiam atq; eam Illyrici partem, quæ Pannonios attingit, direptis atq; incensis pluribus uicis, afflixerāt, & iam maius bellum Barbarus hostis aduersus Christianos, adauctis copijs ac ingenti classe comparata, moliri dicebatur: quæ res in Galliam delata multis sermonibus materiam præbebat. Nam qui pacem oderant, publicam omnium incuriam & segnitiam principum incusabant: futurumq; esse dicebant, ut Christiana respublica, postquã omnes Europæ reges pristinae pietatis atq; uirtutis obliuiscerentur, aliud quod insigne detrimentum acciperet. Nec tantam, si ab eo hoste lethale uulnus infligeretur, ad alias gentes, quantam ad Gallos, uel infamiam uel publici decoris iacturam esse peruenturam: Quando uni omnium Galli omni tempore rem Christianam aduersus Barbarorum iniurias peculiari studio protexissent. Cæterum quanquam ea transmarini belli desiderio dici uiderentur, omnes tamen his de causis quas superius attulimus incitati, ad inuadendam Italianam, quam prouinciarum opulentissimam intelligebant, animos intenderant, quod prius & constandum & conficiendum Neapolitanum bellum foret, quàm in Græciam aduersus Turcas liberandis eius prouinciæ populis arma transferrentur. Antonellus quoque Salernitanus princeps, & plerique alij cum eo Neapolitani exules, repetendæ patriæ desiderio, id bellum, nullius prope negotij fore prædicabant: pluresq; populos, apud quos ipsi propter factiones non mediocrem obti-

## PAULI IOVII HISTOR.

nerent auctoritatem, si semel in Italia Gallorum signa conspicerent, continuo ab Aragonijs defecturos esse pollicebantur. Is erat animorum habitus regia in aula, quum ad cohortandum atq; impellendum regem, Carolus Balbianus Ludouici sortis legatus superuenit, qui ut erat in eo munere admodum paratus, non prius sibi in concilio, cui proceres cum rege ac intimi amicorum intererant, de bello differendum arbitratus est, quàm singulos quos gratia atq; auctoritate potentes esse cognouerat, pollicendo præmia atque docendo quàm facilis ac expedita uictoria foret, ad capeßendum bellum accendisset. Igitur Balbianus quum secretò ac palam propensis animis audiretur, sæpiusq; in Aragonios acerbe inuectus, eos omnium qui unquam in Italia fuissent superbissimos & crudelissimos tyrannos esse, miscendo falsa ueris, ostendisset, ad extremum in concilium uocatus, talem habuit orationem. Si quid reges, qui haud dubie non hominum consilij, sed deorum immortalium prouidentia & munere, supremum generis humani fastigium consequuntur, non ingrati neq; impij superis debent, te unum felicissime Carole ante omnes, Deo summo maxime debere, fatendum est: Si quidem quum prætextatus penè puer ad imperium accesseris, tantus tibi fauor sola oris indole conciliatus est, ut tumultuantes paulo ante, et uarijs belli motibus excite gentes, ipsiq; proceres natura insensu regibus, quos idem prudens atque eximie fortis pater tuus uix armis & multa solertis ingenij arte domuerit, statim uno consensu, atq; incredibili studio te regem exceperint, quo maxime tempore, & rebellandi, & noua agendi consilia ex ipsa morte patris, occasio nata uidebatur. Quinetiam dum in citeriores Britannos arma moueres, secuti auspicia tua, belloq; secundissime confecto, pro-

uinciam illam Oceani & fluminum opportunitate opulentam ueteri Gallie imperio adiecerint. Ea res totius Gallie populos in tui admirationem adduxit: Te externi principes inde suscipere coeperunt, & nunc maxime quum uigere in animo tuo, non regios tantum atq; uiriles, sed humana uirtute augustiores spiritus aperte conspiciat, te maiori rerum imperio destinare non dubitant. Iamq; si ausu aperire fata uolueris, te Magni Caroli progenitoris tui nomen & gloriam aequaturum pollicentur. Tibi enim praecleara & constans fama hominum, sacri belli prouinciam decernit, ut Constantinopolim, ubi maiores tui aliquandiu regnauerunt, e manibus inmanium Barbarorum eripias, atq; inde demum profectus, sacrosanctum Christi sepulchrum Christiano nomini uindices: Id de te non uana auguria, responsa uatum & antiqua carmina diuino sacratorum hominum ingenio conscripta praeuunciant: iubentq; te explicare uela, ut quod fata uocant in altum ad quarendos immortalis gloriae titulos felicior aurea proueharis. Nec quemquam e tota Gallia fore putarim, qui te maximi ac opulentissimi regni regem, ueterani inuictiq; exercitus imperatorem, in hoc eximio studio atq; incredibili cupiditate ducum & militum, omnes continuo terras quas armatus adire uolueris, secundo uictoriae cursu peruagaturum esse non intelligat. Transiuere aliquando maria maiores tui Galli heroës, aut ultro in Syria, Aegypto, Africa, Barbaras gentes, quae nec occidentales quidem populos fama cognouerant, armis petiuere, quum certatim omnes celeberrimis Magni Caroli trophaeis ad uirtutem accenderentur, & proferre Christianae religionis terminos, satis dignam belli causam, pro qua & superanda maria longissimi tractus, & petendae alieni coeli regiones forent, du-

## PAULI IOVII HISTOR.

bijs etiam atq; incertis rebus existimarent. Quòd si hæc animi-  
 mum minime permouent, utpote quæ ab aliquot sæculis uti-  
 nimis uetusta, excidisse hominum memoriæ uideri possint, te  
 profectò uel non ultrò inflammatum pulcherrimo studio ge-  
 rendarum rerum, nec unquam ignobili ocio defluentem, tro-  
 phæa Batica uicini regis excitabunt. Is enim Mauro diro ho-  
 ste Hispania depulso, terram patriam gloriose liberauit: ma-  
 gna hercle cum laude, sed quæ minime conferenda uideatur,  
 si tota Græcia Turcicum nomen expuleris, quod equidem  
 uotis piè conceptis facile cedit. Epirotæ enim Aetoli, & Pe-  
 loponnesi gentes suppliciter opem tuam implorant, ut te  
 authore cõsilia repetendæ libertatis audacter explicent, atq;  
 obiter fortia arma aduersus Barbaros conspectis uexillis tuis  
 expediant. Sed liberandũ prius nobilissimum Italia regnum  
 ab Aragonijs tyrannis esse censemus, ut cum illud heredita-  
 rio iure Galliæ regibus attributum, à miserabili seruitute in  
 libertatem uendicaueris, continuò ex Apulia, unde breuissi-  
 mus in Epirum et Macedoniam traiectus, legionibus trans-  
 portatis, ui & fama uictoris exercitus, ac deorum atq; ho-  
 minum immenso fauore terribilis, Byzantium recta conten-  
 das. Implorant abs te auxiliũ Calabri, Lucani, Brutij, Sam-  
 nites, Campani, cæteræq; eius regni gentes, quæ quondam  
 Andegauensum nomen secuta, aduerso belli exitu, iniquam  
 Fortunæ conditionem subierunt. Horum omnium sanguine  
 ac fortunis Aragonij scruisimi regnatores, per multos an-  
 nos ita crudelitatem atq; auaritiam expleuere, ut nihil iam  
 præter ueteres animos, quibus constantissimè semper Galli-  
 cas partes coluerunt, uictis ac miseris reliquerint. Horret  
 animus recensere, quot proceres, quotq; præclaros duces,  
 interposita fide & sacramenti religione, in gratiã receptos,  
 quòd

quòd antea Gallicarum partium fuissent, uiolato iure, non modo hospitij, sed ipsius regie mensæ, crudeliter enecarint. Horum porro cadauera, tremendum uisu, siccata & condita odoribus, in eo habitu quo uiui fuerat, iisdemq; insignibus exornata, adseruari atq; ostentari ferunt, ut eo execrabili tyrannicæ immanitatis atq; perfidiæ exemplo, paria timeant qui seruire noluerint. Contra hos summè scelestos homines, & quod à uobis uiris fortibus nisi indignanter ferri non potest, per contumeliam Gallicæ gentis irrisores, gladium scelerum conscientia, nec consilia in negotio, neq; arma opportunè unquam expedient. Tibi quoq; aderit Ludouicus sfortia prudentis ingenij authoritate atq; opibus clarus, ac in primis decoris tui, & Gallici nominis apprimè studiosus. Siquidem uetere suo instituto, nihil unquam amicitia Gallorum antiquius duxit: Francisci sfortiæ magnanimi patris uestigia subsecutus, qui Ludouicum patrem tuum, quum ille Gallico tumultu & in multa procerum perfidia penè obrutus summis omnium rerum difficultatibus laboraret, & consilio admodum salubri, et quanta potuit pecunia, & ueteranis maximè copijs, Galeacio filio duce in Galliam transmissis, opportunissime iuuuit. Is igitur summa fide singulariq; studio fessum exercitum, quum Alpes transcenderis, fertilissimæ prouinciæ copijs recreabit: commeatus passim expediet: in Liguria ualidam classem exornabit: non contemnendas copias, ac duces locorum, Italicarumq; artium peritos adiunget: & principes Italiæ qui fermè omnes ipsius auctoritatem sequuntur, tibi foedere uel amicitia consociabit. Hoc deniq; opulento fidelisq; socio, cuncta facilia ac explorata erunt ad incomparabilem uictoriam, cuius uel præcipuum

## PAULI IOVII HISTOR.

fructum, non in presenti tantum gloria & commodo, sed in ipsa spe sempiternæ laudis magnanimi reges posuerunt. Postquam Balbianus dicendi finem fecit, Carolus Gallorum regum more per epistolarum Magistrum respondit, se plurimum debere Ludouico Sfortiæ, quod eo studio atq; ea fide Gallorum amicitiam coleret, uti Franciscus eius pater instituisset: ob idq; ea omnia quæ regiam respiceret dignitatem, & ad summam Gallici nominis amplitudinem pertinere uiderentur, amicissimè commemorasset. Proinde se rem integram ad maius atq; frequentius concilium esse delaturum, ut morem superiorum regum imitaretur, qui uti regni proceres uiriq; prudentes, humanis ac diuinis legibus mature perspectis, faciendum esse censerent, bella iuste suscipere consueuissent. Nec multo post totius Galliæ concilium apud Turonos indicitur, ubi quum reguli ferme omnes & sacriati uiri sacerdotijs insignes conuenissent, Carolus de suscipiendo bello magnificè disseruit, ab his instructus qui eius adolescentiam regebant, atque obuentura sibi ex bello ingentia commoda arbitrabantur. Initio autem orationis quum Neapolitanum bellum per facile in primis, ac honesto cause nomine sibi ac uniuersæ Gallorum genti maxime decorum fore, multis rationibus ostendisset, ad extremum dixit, se non modo uillas, prædæ, & domos eorum qui pro hostibus haberentur, uerum totius regni oppida, urbes ipsas, sacerdotia, & præfecturas pro nauata opera amicis ac ducibus esse diuisurum: se solis recepti regni titulis contentum fore: ac mox postquam ad certio rem atq; amplio rem gerendarum rerum gloriam diuino monitu uocaretur, aduersus Turcas, traiectis in Macedoniam maioribus copijs, ad ulteriora præmia milites perducturum. Qua oratione Galli omnes, qui

uerba,

uerba, habitū, oris effigiem, et cuncta deniq; religione quædam in regibus suis admirantur, facile permoti, regium decretum diſtis ſententijs confirmant, miriſq; laudibus extollūt: Ipſiq; ante alios qui ſumma freti authoritate, facile quouolunt dubiorum animos proclinant: li tum erant, quos Balbianus aut largitione, aut promiſſis accenderat, Stephanus Belcarius à pueritia regio cubiculo aſſuetus, qui nutritij nomen atq; inde ſumman conſulendi authoritatem collegerat, & Guilielmus Briſſonetus ararij præfectus, quæſtorumq; omnium magiſter, uir calliditatis atq; ſolertiæ ſingularis, qui ex humili loco pertinaci quadã induſtria, diuitias quàm ampliſſimas conſecutus, ad maximos honores ambitioſe, contendebat, quæ omnia, ſi bellum eſſet ingenio atq; pecunijs ſuis conſiſſus, ſe facile multis de cauſis adepturum arbitrabatur. Horum maxime impulſu regem uel nihil de Neapolitani regni hereditate cogitantem, ſuſcepſiſſe bellum, Philippus Argentonus in historijs Gallica lingua perſcribit. Cæterū id probabat ex ordine militari Petrus Robanius, quem Gienſem Mareſcalcum uocabant: Eo enim nemo dacum regendis exercitijs in tota Gallia peritior habebatur: Ideoq; primas ſecundum regem imperij partes cæterorū omnium conſeſſione ſibi deberi intelligebat. Hos quoq; pleno aſſenſu Petrus Borbonius ſummæ claritatis regulus ſequebatur, haud uana ſpe ductus totius Gallie adminiſtrãde, quòd diſcedente in Italianam rege cuius ſororem in matrimonio haberet, propter aſſinitatem in Gallia cum imperio haud dubie eſſet permannurus. Cæteri erãt Gilbertus Mompenerius, Ludouicus Ligninus, Eberardus Obigninus, & duo germani fratres Perſiuus atq; Palicia, uiri egregie ſortes, qui primos honores in exercitu, atq; urbium & regionum præfecturas



## PAULI IOVII HISTOR.

*ex regia liberalitate sibi destinabant. Itaq; bellum in proximum annū decernitur, ut eo temporis spatio exornari Gallicus equitatus, pedestres copiae acciri ex Heluetijs atq; Germanis, parari classes, & quod summum in negotio momentum habebat, ut finitimi reges conciliari, & foedere adiungi possent: ne illi diuersas Galliae prouinciae partes solitis nudatas praesidijs, atq; ob id iniuriae atq; periculo expositas, ab Hispania uel Germania inuaderent: Siquidem cum Maximiliano iustae grauesq; inimicitiae intercedebant: Nam Carolus paucis ante annis Margaritam Maximiliani filiam, apud se in Gallia ab incunabulis enutritam, quanquam suauissimis moribus atq; insigni forma praestantem, repudiarat, ut Annam Francisci citerioris Britanniae reguli filiam, quae Maximiliano desponsata fuerat, uxorem duceret, quod per eandem dotis nomine subactae nuper, neq; adhuc satis pacatae Britanniae citerioris imperio potiretur: adeo ut Maximilianus, duplici contumelia affectus, propter acerbissimarum offensionum magnitudinē in tam iusto atq; inexpiabili dolore nunquam eas iniurias memoria depositurus esse uideretur. Verum Ludouicus Sfortia, qui per eos dies Blancā Ioannis Galeacij sororem Maximiliano in matrimonium collocarat, et cum eo Heluetiorum legati, qui magnam apud utrumq; regem auctoritatem obtinebant, omnem eorum controuersiam composuerunt: quum Carolus remissa in Germaniam puella, & restitutis dotalibus oppidis cum multo uerborum honore Maximiliano satisfecisset: Atq; in excusationem inhumanioris facti, se non regia libidine aut superbia inductum, sed impulsum temporum ac bellorum necessitate, ad eas nuptias descendisse fateretur, ut prouincia illa tantae opportunitatis ad arcendas Britannorum classes, pro qua toties*

res cruentè admodum decertassent, redemptis eo coniugio provincialium animis, pristinae quieti redderetur: spolia quoque Casarem monebat, ne cum Gallo, in ea temporum conditione, uanas et nihil profuturas similitates exercere uellet: quando omnibus rebus imparatus, illum iam transcendentem Alpes, in Gallia non esset retenturus, futurumque esse si pertinacius pacem abnueret, ut Gallus in Italia uictor, auream coronam & sceptrum, Romani imperatoris insignia, quæ post Carolum cognomento Magnum, Germani proceres adepti fuissent, ab inermi uel inuito pontifice sibi repetendam arbitraretur. Quibus de causis Caesar non solum iniurias in præsens dissimulauit, uerumetiam foedus atque amicitiam cum Gallo palam iniuit. Quæ res sicuti omnium opinionem fefellerat, ita mox Aragoniorum consilia magnopere perturbauit, quum illi Transalpinam pacem Italici belli & cladum suarum initium fore prouiderent. Foedere cum Maximiliano Casare Germanisque percussio, Carolus ad Hispanum regem, ut cum eo amicitiam pacemque firmaret, se conuertit: quoniam apparebat Ferdinandum eius animi atque prudentiæ regem, Aragonios consanguineos ac gentiles suos in eo discrimine minime deserturum esse, nec utique passurum, Gallos, qui aliquando etiam Siciliae rebus inhiassent, potiri Neapolitano regno, unde mox angustijs eius fracti facile superatis, facultas inuadendæ insulae præberetur. Ceterum Ferdinandus, cuius tale semper ingenium fuit, ut præsentia comoda, quæ à certa rerum occasione ostenderentur, omnibus alijs suis rationibus anteponenda esse censeret, neque pacem neque foedus detrectauit, modo oppida, quæ de Hispanis Galli obtinerent, sibi gratuito redderentur. Tenebant enim Perpennianum ditissimam urbem in ipso Hispaniæ adi-

PAULI IOVII HISTOR.

tu, qua Pyrensi montes supra Salsulas Narbonense littus attingunt, & cum eo Ruscimonensem agrum, opulentis pluribus castellis florentem, quæ ad Gerundam & ueteres Emporias spectant. Ea omnia à Ioanne patre multis antè annis Ludouico undecimo oppignorata fuerant, quum ille aliter, Celtiberico bello, in summa rei pecuniarie difficultate constitutus, Caroli filij, qui à se patre regeq; cum multo maxima nobilitatis parte desciuerat, uim atq; impetum sustinere non posset. Verum Ioannes Gallorum pecunijs atq; auxilijs opportunè adiutus, belloq; ex sententia confecto, quum post aliquot annos, collecta atq; oblata Gallis ea pecunie summa, oppida redimere uellet, surdas Ludouici aures semper inuenit, qui opportunitate eius regionis longè maxima captus, parum syncera fide, ueteris pacti conditionem, quò minus ea restitueret, multis iuris cauillationibus inuoluebat. Vnde postea Ioannes et Ferdinandus filius, quòd sepius legatos ad repetendas res suas frustra misissent, ad arma descenderunt. Sed ea res parum feliciter armis tentata est, ita ut Ferdinandus tum Bethico defunctus bello, quo tantum sibi nominis in re militari uindicaret, ualido aduersus Gallos exercitu comparato, ea mox repetiturus esse uideretur. Ergo dum Galli omnes Italici belli cupidine deflagrarent, & Carolus retentorum contra ius oppidorum infamia permotus Perpenniano cæterisq; oppidis insigni liberalitate decedendum esse decreuisset, omnis cum Hispano controuersia sublata est: Fœdusq; solenne ictum, quo Ferdinandus ac Elisabetha uxor, nihil se interea, dum à Gallis in Italia bellum aduersus Aragonios gereretur, hostile molituros esse, iureiurando promiserunt. Cæterum Perpenniani, aut stolidè aut certè nimis propere restituti, grauis inuidia perstrinxit

Stephanum Petritium, inter præcipuos consiliarios note  
 auaritiæ questorem: Sed & hac pariter arsit Ambrosius  
 Albiensis cucullatus, professione sanctitatis à confessione cri-  
 minum Ludouicum regem expiare solitus: quòd utrumq;  
 rex hispanus singulis lagenis signato auro pro uino repletis  
 callidè corrupisset, ut adolescentis regis animo religionem  
 incuterent, contestando scilicet eum impiè facturum, nisi  
 manes patris apud Tartara cruciatos eo atroci piaculo exol-  
 ueret: quoniam morientis Ludouici suprema uoluntas ex-  
 cepta pijs alloquijs fuisset, ut Perpennianum tanquam malè  
 partum, ueteri domino redderetur. Per hunc modum Hispa-  
 niæ atq; Germaniæ regibus in amicitiam receptis, quum  
 nihil sibi ab Henrico Britanniæ rege, qui nuper eius benefi-  
 cio & Gallicis armis memorabilem de Ricardo rege uictori-  
 am & Britanniæ imperium fuerat consecutus, in Gallia  
 tinendū arbitraretur, tentādos sibi atq; explorādos Italico-  
 rum principū animos existimauit. Itaq; mittitur Venetias Phi-  
 lippus Argentonas, qui historiam Gallica lingua scitè con-  
 scripsit, ut Senatū ad ineundam societatem, & bellum  
 communi consilio aduersus Aragonios gerendū per amplis  
 propositis conditionibus inuitet. Ad Alexandrum uerò Pon-  
 tificem, Eberardus Obigninus, uir Scotus è Stuarda regia  
 familia bello illustris, destinatur: qui ex itinere Ioannem  
 Bentiuolum, Herculem Atestinum, Petrum Medicem, Pan-  
 dulphumq; Petrucium conueniat, aditisq; singulis urbibus,  
 quinam hominum animi, quæ urbium facultates, & quæ  
 demum itinera in Alpibus forent collustrando, cuncta ocu-  
 lis diligenter exploret. Veneti, qui ex aliorum ruina atq; in-  
 commodis tantum imperium magna ex parte condiderant,  
 & ipsas semper maturis temporibus gerendi belli occasio-

PAULI IOVII HISTOR.

nes captādo, atq; alienæ fortunæ circumspēctando euentus, res suas amplificare didicerant, responderunt: Si rex Gallus in Italianam transfret, & Aragonios bello persequeretur, se pro uetere amicitia, quæ senatui cum ambobus regibus esset, neutris præbituros auxilia, & ab omni prorsus contentione abfuturos. Quoniam & sibi terra mariq; paranda arma aduersus Turcas forent, qui proximè peracerbam Dalmatiæ atq; Illirici populis cladem intulissent, & tum maxime terrestribus copijs in Græcia coactis, & classe deducta insulis & urbibus, quas in Peloponneso atq; Aetolia tenebant, Christianis intestino bello implicitis, imminerent. Porro Bentiuolus qui eo tempore Ludouici iussa faciebat, & Hercules omnium Ludouici consiliorum particeps, atque unus ante omnes Gallici belli concitator, Obignino amicam fidelemq; operam obtulerunt, sed id Hercules aliquanto prolixius, quod per Carolum, ad quem iam Ferdinandum filium amicitiaē obsidem in Galliam miserat, si semel Italia iusto armorum tumultu quateretur, peninsulam Rodiginam de Venetis recepturum se confidebat. Florentiæ autem Petrus Medices, quum cum Obigninus deprecando, ne ueteris necessitudinis, quæ Mediceæ familiæ et Florentiæ ciuitati cum Gallie regibus semper extitisset, obliuisci uellet, atq; etiam non obscure bellum comminādo, in partes traducere conaretur, negauit se ulla denunciatione periculi fœdus esse uiolaturum, quod Laurentius pater, Florentinusq; senatus antiquitus cum Aragonijs regibus percussissent. Propterea non debere sibi succensere Gallie regem, si iusurandum coleret, fidemq; seruaret: qua uiolata, non mediocre rerum suarum periculum esset aditurus: Quando in tanta propinquitate Aragonij ad ulciscendam iniuriam, uti superioribus temporibus

ribus fecissent, inferre arma, atq; omnem Ethrurie statum  
 perturbare facile possent. Senenses rem Gallicam omni ope  
 se adiuturos esse dixerunt, ceterum nō prius ex tuto se pos-  
 se profiteri Gallicas partes, quā ualidam Gallorum ma-  
 num in Ethruria conspicerent, ne ipsi propterea imparati,  
 opportuniq; iniuriā, à Florentinis æternis hostibus suis op-  
 primerentur. At Romæ Obigninus ueteri legato adiunctus  
 in senatu grauiter exposuit, quo iure Carolus repetendum  
 sibi armis Neapolitanum regnum iudicaret: & subinde Pon-  
 tificem patresq; hortatus est, ut amicitia potius quā uim  
 Gallorum experiri uellent, qui omni tempore Christiane re-  
 ligionis antistites cum summa ueneratione coluissent: adie-  
 citq; magni interesse ad augendam summi pontificis digni-  
 tatem exturbari Italia impios & execrabiles tyrannos, qui  
 toties pontificum & sacrosancti eius ordinis tranquillita-  
 tem nefarijs armis uexauissent. Erant uaria hominum stu-  
 dia: Cardinales proceresq; Romani, qui priuatæ libidini &  
 factionibus seruiebant, in diuersas partes trahabantur. Ipse  
 Pontifex ancipiti suspensus cura, quando in pari spe, &  
 æquali metu consilia malè explicentur, in incerto habebat,  
 Gallisne faueret, an Aragoniorum amicitiam sequeretur.  
 Timebat potentiam propinqui præualidiq; regis, si hostis  
 foret, qui paucis ante annis castra ad ipsa usq; Romana moe-  
 nia promouisset: perhorrebat ex aduerso Gallica arma, quæ  
 sine confusione rerum omnium in Italiam euocari non po-  
 terant. Quibus de causis uir eruditus artificio simulationis,  
 modo harum modo illarum partium legatos, alia palam, alia  
 secreto mentiendo ac pollicendo, ipsa spe ineundæ societatis  
 mirifice distinebat: ita tamen ut multi eum ad Aragonios  
 inclinare manifestè sentirent, et si quid propensius uel aper-

PAULI IOVII HISTOR.

*tius in causa Gallorum diceret aut faceret, id eo simulante fieri arbitrantur, ut anxii & dubitantibus Aragonijs, amicitiam suam grauioribus impositis cōditionibus uenditaret. Interea fama grauior indies ac ingens simul cura de aduentu Gallorū Aragonijs crescebat. Nam Venetos, quos multis legationibus ac precibus ad prohibendos Italia Gallos frustra fatigabant, in uetere suo consilio, ut alienæ fortunæ euentum extra belli discrimen positi ociose despectarēt, permansuros esse didicerant. Nec Cæsar et Ferdinandus Hispanus qui cum Gallis pacem precio pepigissent, quicquam opis uel extremis etiam eorum casibus allaturi uidebantur. Quibus de rebus Ferdinandus per eosdem Gennarios, & nouissimè per Camillum Pandonium excellenti dignitate, atq; ingenio uirum, qui ad Carolum in Galliam mittebatur, Ludouicum aggressus est, ut aliqua conditionum æquitate proposita, molliendo eius animum, ac suæ erga eum futuræ fidei obsides pollicendo, orientis flāmæ initia, propter quam omnia mox circum exarsura crudeli incendio forent, restingui possent. Postremò quum neq; Gennarij, neq; Pandonius hominem insanis consilijs pertinacius insistentem, expugnare ulla ratione potuissent, ipse trirēibus ultrò in Liguriam atq; inde Mediolanum ad exorandū placandumq; eum proficisci cogitauit: maturassetq; eò, & fortassis alloquio atque industria communes clades, quæ Italiæ fato destinabantur, auertisset, nisi amici filiusq; Alfonso senem septuagenarium tenuissima ualetudine, & super hæc grauibus affectum curis, Hyberno mari minime committendum esse censuissent. Nec multo post idem Pandonius, postquam Mediolani cuncta improspere tentata fuerant, cum amplissimis ad componendam controuersiam mandatis ad Carolum in ulteriorem*

*Gal-*

Galliam profectus est. Eorū summa erat, Ferdinandum omnesq; Aragonios, fœdus quod sibi cum Ludonico eius patre antiquitus ictum fuisset, omni tempore ac difficillimis praesertim illis tempestatibus, quibus totius ferme Gallie regulorum conspiratione periculose admodum fuisset iactatus, sanctissime coluisse, neq; ulla postea intercessisse iniurias, quibus à uetere amicitia diduci alienariq; debuerit. Propterea iniquum sibi admodum uideri, quod contra se arma pararentur, quando ipse nullo indigniore facto dictœ amicitie iura uiolasset. Quod si augendi imperij cupiditate indutus, aliquod sibi Neapolitano in regno, quod Aragonijs multis iam pontificum decretis esset adiudicatum, ius esse arbitrareretur, paratum se iure potius quam armis disceptare, ac protinus reiecturū ad arbitriū pontificis regnum ipsum, ut ab eo tanquam æquissimo maximeq; prudenti arbitro, sine ulla perturbatione humani generis, omnis controuersia finiretur. Se tum uel aduersum dijudicatae litis euentū æquo animo laturum esse, paternoq; se imperio continuo decessurum, si iure ac legibus iuberetur. Quod si antiquissimum quodq; tempus respicere, ac ob id incerti Martis fortunans omnino periclitari uellet, Aragonios neq; bellum deprecari, neq; magnopere Gallorum arma formidare, qui in Italia toties et pro ea ipsa causa, illatis iniuste bellis, infœlices exitus habuissent. Sed Carolus, qui iam sibi cuncta quæ armis aggredieretur, omnino cessura esse in animum induxerat, Bandonium frustra plures dies in aula uersatum, atq; exponende legationis potestatem sibi fieri demisse postulante, inauditum dimisit, omnesq; Neapolitani generis negotiatores intra certam diem decedere Gallie finibus iussit. Pandonius tamen, postquam regijs exclusus foribus, neq; officio,



## PAULI IOVII HISTOR.

neq; sibi, ut in negotij magnitudo flagitare uidebatur, satisfacere poterat, apud proceres cunctosq; eius aula ordines, querendo se contra gentium consuetudinem nō admissum, concionari in coronis hominum cœpit, ostentando utilia & decora Gallis de pace mandata, quibus nomen rex suus subscripsisset, ac Deos regie uoluntatis testes inuocando, testaturoq; non suam fore culpam, si pace turbata, cum multa cœde hominum diuina atq; humana permiscerentur: ac obiter, ut erat planè disertus, monendo Gallos, ne ad eō incaute Ludouico salutem atq; existimationem suam credere uellent: illum esse fluxa ac temporaria fide, qui proprijs magis commodis, quàm alienæ gloriæ uel amplitudini studere didicisset: Neq; eum etiam propter multiplicis affinitatis necessitudinem, Aragonijs, si certiora eorum rebus atq; Gallie à uis Gallorum pericula imminerent, esse defuturum: ipsumq; ac Venetos simul passuros nunquam, ut Gallus deuictis hostibus, rerum in Italia potiatur: Venetos enim cum eo, qui unâ animos haud obscure consociarint, tantummodo experiri cupere, & procul uidere quantum Aragonij duces uirtutis atq; animi, quantum ueteranus eorum exercitus uigoris ac disciplinæ aduersus ingruentium Gallorum impetum sint habituri. Ceterum quum Mars diu incertus in alterutram tandem partem inclinauerit, ipsos statim ex occasione consilia sua plena calliditatis, inclinate Fortune applicaturos, ut quum utrunq; mutuis incommodis defatigatum attritumq; cōspexerint, ipsi potentes atq; integri, ambobus, quas uoluerint belli et pacis pro libidine leges imponant. Postremò annales suos Galli euoluerent, & quot insignes clades omni tempore in Italia ipsorū exercitus accepissent, intuerentur: ac demum illud quod omnium sermone usurparetur,

uerum esse discerent, Gallorum corpora fato quodam Italiae ueluti propriae ac gentilitiae sepulturae demandari. Interea Alexander pontifex, quum saepe antea, Gallisne, an potius Aragonijs fauendum foret, Cardinales consulisset, & tum maxime Ascanius sforzia pro Gallis, contra uerò pro Aragonijs Franciscus Piccolhomineus Senatus princeps, patribus diductis, summis utrinque studijs contenderent, ad extremum pro Aragonijs stare constituit. Ratus se priuatis simul ac publicis rebus ea inclinatione consulturum: quoniam Aragoniorum liberalitate mediocres adhuc filiorum suorum fortunae, ad ampliorem statum perducere, & tueri pontificij nominis, ipsiusque Italiae dignitatem, aduersus insensissimam gentem, utile sibi in primis, ac demum apud omnes honorificum arbitrabatur. Nec multo post Ferdinandus curis & morbo praegratuus diem obiit, statimque Alfonso iustus regali pompa defuncto patri persolutis, ad imperium euectus est. Audite insuper gratulantium principum legationes, quae undique officij causa Neapolim coibant. Regni proceres sacramento adacti, lustratae copiae, ingentes pecuniae multatim acerbissime populis toto regno exactae, et cuncta demum quae terrestri maritimoque apparatus conducere uidebantur, summa cura & singulari celeritate administrata: Missusque subinde Verginius Ursinus ad Alexandrum, qui leges conditionesque renouandi foederis coram pertractaret. Idemque Pandonius Camillus, qui dudum in Gallia redierat, ad Baias etiam Turcarum imperatorem destinatus, qui doceret, quales quantique Gallorum apparatus, qui eius gentis animi, quae decreta regis ad inuadendam Macedoniam essent, hortareturque Barbarum regem ad transmittenda auxilia, quando una ratione, & tum, & in posterum Macedoniam ac Epirum omni

PAVLI IOVII HISTOR.

periculo esset liberaturus. Quòd si Calabriae & Apuleiae oram, quae proculdubio Graeciae & Constantinopolitani imperij munimenta forent, occupari à ualidissimo communi hoste pateretur, ipsum fero aduersus uictores Gallos, qui continuo in Graeciam essent traiekturi, cõsilia atq; opes suas oppositurum. Postulabat Alfonsus sena milia peditũ & equitum, quae ipse dum hostis in Italia foret, liberali stipendio esset aliturus. Erat enim præcipuus Turcarum uirtutis admirator, ut qui paucis antè annis Hydruntino bello, et mox ad Velitras iusta in acie eorum disciplina ac fortitudinis periculum fecisset. At Pontifex ob eas causas quas supra memorauimus, & cohortantibus maxime Florētinis, cum Alfonso his conditionibus foedus percussit, ut ipse Aragonios Florentinosq; illi uerò pariter pontificos fines, si bellum ingrueret, certis auxilijs tuerentur. Gothfredo item Borgiae Carinulae principatus dono datus, cui & Alfonsi filia obscura matre genita nupserat: Franciscus uerò Caudatus magno cum stipendio regiae adscitus militiae. Si pontificis filij erant, qui tum ex paterna fortuna ad insigne opum atq; potentiae fastigium nitebantur. Alfonsus quoq; paucos post dies coronam, ceteraq; Neapolitani imperij insignia à Pontifice impetrauit, missusq; Neapolim magno comitatu Ioannes Borgia Cardinalis, qui celebri pompa, et sacris de more peractis diademate regem insigniret, reclamantibus Gallorum legatis, qui pontificia concessione præiudicari sibi in ea ambigui iuris controuersia querebantur. Interim Alexander atq; Alfonsus, ut Caroli consilia disturbarent, Gallorumq; impetum, qui iam omnes ab insita eorum animis belli cupiditate, ad superandas Alpes incitabantur, aliqua ex parte retardarent, idem eos homines in Galliam miserunt, per quos secretò primo-

res regie aule, singulis premia pollicendo, ad impediendam aut differendam expeditionem inducebant: Briffonettoq; in primis rosei galeri dignitatem affectanti, si operam suam prestaret, Syngrapha cum breui epistola in fidem transmissa, eius insignis sacerdotij honor oblatuſ est. Nec desuere uiri militares, qui iam precipiti estate id bellu in proximum uernum tempus differendum esse dictarent. Nanq; partim largitione corrupti, partim occultis acti similitatibus, uoluntates facile commutabant. Aliqui etiam studio contradicendi, qui morbus ducum omnium maxime peculiaris est, pleraq; uera aut uero proxima suadendo, emulorum auctoritatem comminuere atq; obseruare nitebantur: In his erat Aurantius princeps, Miolanius regulus, & ante alios Philippus Dechordes militaris prudentia nomine facile primus, qui accurata oratione omnes eius belli difficultates explicando, grauem in Italia autumnum his fore disseruit, qui subito e saluberrimis Gallia regionibus, Alpes transiret, hinc me autem Apenninum tormentis currulibus inaccessum & penitus insuperabilem, omnesq; Togata Gallia, uel Ethruaria uias, perpetuo luto impeditas & inextricabiles, maioresq; aliquanto quam ipsi putarent Alfonsi opes, quum in Italia forent, inuenturos: Florentinis praesertim atq; pontifice adiunctis: qui animis ditionisq; finibus coniuncti, summas haberent expediende pecunie facultates, & maximam Italiae partem obtinerent. Nec satis sibi ad securitatem Gallici exercitus exploratas uideri Venetorum uoluntates, qui se in neutram inclinatuſ partem fallaci quadam specie quietis profiterentur, & arma tamen interim tenere, nec publicam fidem ullis certi foederis legibus obligare uellent. Ludouicum quoq; Sfortiam e commodo suo latebrosissimam

PAULI IOVII HISTOR.

per inuolutum consilijs, qui tantoperè ad profectiōem matis  
 randam regem accenderet, nihil magis exoptare, quàm Ara  
 goniorum opes sibi admodum formidabiles alieno periculo  
 attritas labefactasq; conspiceret. Ceterum hominem peracu-  
 tum ac insidiosum, confirmatis rebus suis conspecturum bel-  
 lici motus euentū, & Gallos, si ita casus ferret, iam demissos  
 in ultimam Italiam, non modo deserturum, sed (quod Dij  
 prohiberent) nouis occultisq; consilijs & palam armis op-  
 pugnaturum. Ea enim esse Italicorum principum ingenia,  
 ut externis nationibus, & ante alias Gallis, quas natura im-  
 placabili odio prosequantur, facillimè fidem fallant. Debere  
 esse documento Gallis omnibus tria bella superioris tempe-  
 statis cum summo detrimento suscepta, quum Galli ultrò in-  
 uitati à factiosis Italiae populis, ad Alexandriam, et aliquan-  
 to post ad Boscum, & postremò ad Genuam, dolo potius  
 quàm uirtute superati, Italicæ crudelitatis atq; perfidiæ su-  
 nestam admodum importuno aduentu suo memoriam reli-  
 quissent. Proinde Gallici imperij decus, ipsiusq; regis, & to-  
 tius Gallie nobilitatis salutem, incertæ fidei Italicorum prin-  
 cipum non esse committendam uideri. Id uerò se è republica,  
 dignitateq; magnanimi regis existimare, si in Sfortiam arma  
 conuerterentur, atq; eo pulso, Mediolanense imperium, uti  
 iura postularent, Ludouico Aurelianēsi attribuerent. Tum  
 enim Venetos, aut ui, aut uoluntate in belli societatem con-  
 cessuros. Mediolanū enim totius Italiae arcem esse, unde ipsi  
 comparatis tuto amplioribus copijs, & de Neapolitano re-  
 gno, et de trasmarinis etiam imperijs cogitare atq; decerne-  
 re possent. Allobrogum Salassorumq; Regulos, qui Sfortis  
 insensī essent, in Subalpina regione, comeatūs atq; omnis  
 generis auxilia cupidissimè præbituros: & satis superq; ual-  
 idas

lidas eas fore copias quæ tum in Gallia paratæ coactæq; ef-  
 sent, ad conficiendum intra autumnum tempus Mediolanense  
 bellū. Adepta uerò uictoria, fertilissimis in urbibus hyberna  
 turos milites, atq; inde eos omnibus rebus instructos, exter-  
 noq; insuefactos caelo, ad prima ueris signa melioribus auspi-  
 cijs, nullo metu suspectandæ socialis perfidiæ, quò uoluerint  
 penetraturos. Hæc apud regem in concilio, & passim in re-  
 gia domo & frequentioribus procerum conuiujs, summa  
 dicendi libertate differebatur. Nam Ludouico Aurelianen-  
 si, qui postea regnum Gallie & Mediolanense imperium  
 adeptus est, complures ingentibus studijs fauebant, & sfor-  
 tiam, ut sunt Galli firmè omnes natura aperti, & de alio fa-  
 cile suspicaces, propter uulgatã eius prudentiæ opinionem,  
 ueluti callidi occultiq; ingenij hominem oderant, et regi su-  
 spectum reddere conabantur. Nam Pandonij cõciones apud  
 omnes habitæ, cunctis propè eum inuisum reddiderant. Ac-  
 cidit quoq; per eos dies ad suspicionem augendam, ut Ioan-  
 nes Mattaronius apud Petrum Medicem Caroli legatus, Lu-  
 douicum sfortiam consilia perfidiæ plena agitare significa-  
 ret. Nanq; Petrus Medices, quum apud se Stephanus Taber-  
 nius, qui pro Ludouico legationis munere fungebatur, se-  
 cretiore in cubiculo de magnis rebus disputaret, Mattaro-  
 nium turpi quadam, aut certe parū uirili astutia sub auleis  
 condiderat, ut illo audiente arcana omnia sfortianiq; animi  
 recessus, quæ Tabernis ignarus fraudis ingenue proferebat  
 regi Gallo proderentur. Quæ res, sicuti Bernardus Ori-  
 cellarius, qui tum Florentiæ publicis concilijs interfuit, in  
 historijs asseuerat, Ludouico apud Carolum incertæ uolun-  
 tatis uel perfidiæ ignominiam conflauit. Postulabat Ludo-  
 uicus à Medice Florentinisq;, ne Alfonso contra se iurare

## PAULI IOVII HISTOR.

uellent, nec cum eo commiscere res suas properarent: coactum se minis atq; iniurijs Aragoniorum, aduersus eorum uim externa præsidia comparare, quibus dignitatem atq; salutem tueretur: Non esse se adeò insano perditòue consilio, ut Gallorū gentem in Italia dominari uelit, quæ sibi in primis magnitudine uirium atque ambitione latius imperandi esset suspecta, & maioribus suis insensissima semper extitisset: Possè eos qui & uim & auctoritatem ad cogendum haberent, monere ac inducere Alfonso, ut à ui paranda minisq; desisteret, & Mediolanensium rerum tandem obliuisceretur, quarū negocium Aragonijs rationibus esset penitus alienū. Debere Alfonso fortunæ suæ ac desiderijs abundè satisfactum arbitrari, quòd Neapolitano regno potiretur. Id si Florentini enixe curarent, & Alfonso salutaribus consilijs obtemperaret, se protinus Gallorum expeditionem interpositis difficultatibus impediturum, foreq; uti sua industria omnis Italia eo metu atq; periculo liberaretur. Quòd si obdurarent, nec longè perspicere uellent, dum facultatem considerandæ salutis haberent, se consulturum rebus suis: omnemq; eam tempestatem quæ ab Alpibus imminueret, pro auertenda clade, in alienos agros effusurum. His ferme sermonibus exceptis, Mataronius regem proceresq; monuerat, uti cautè ac maturè de expeditione acceleranda propter dubiam sociorum fidem deliberarent. Quibus omnibus de rebus, quas superius commemorauimus, magna est in ipso rege ac ducibus uoluntatum facta commutatio. Nam qui bellum tantopere suadebant, pristinum illum ardorem magna ex parte ita remiserant, ut terrestres & nauales apparatus tanto omnium studio cœpti, præfectis plura admodum tepidè administrantibus, intermitteri uiderentur. Eius rei fama Lu-

donicus

Louicum uehemeter perculit, quum sibi & Ascanio fratri  
 timere cogereetur, Aragonijs iam tum ad gerendum bellum  
 abunde instructis, nisi Carolus eo autumno transire Alpes  
 atque eos inuadere maturaret. Igitur in eam adductus soli-  
 citudinē, Galeacium Sanseuerinū ducem generumq; suum  
 in Galliam cum ornatissimo comitatu ad Carolum mittit:  
 qui publicē orando, ac priuatim largiendo, magnaq; equi-  
 tum auxilia, plures naues ingentemq; pecuniam in substi-  
 dium decreti belli pollicendo, aduersos de se rumores extin-  
 gueret: regemq; & ceteros proceres confutatis suspicioni-  
 bus, difficultatibusq; sublatis pristinae spei restitueret: atque  
 eos ad superandas Alpes, quanta maxima fieri celeritate pos-  
 set, hortaretur. Quae legatio ipsius regis atq; omnium erexit  
 animos, et breui maximum bellicis administrationibus, quae  
 quae uel incuria uel ultrò negligenter omnibus ferme locis re-  
 frixerant, momentum attulit. Nec diu in Gallia cunctatum  
 est: nam longarum aliarumq; nauium classis Massiliae deda-  
 cta exornataq; est, onerariae spectatae magnitudinis ab Armo-  
 rico Oceano in Mare nostrum accitae: et prima peditum ag-  
 mina cum nouo, ac ob id maximè formidabilis eneorum tor-  
 mentorum apparatu ad Coctias Alpes praemissa sunt. Dum  
 haec in Gallia parantur, Iulianus Rouereus Ostiensis Cardi-  
 nalis, qui postea ad pontificatum euectus, Italiae, & toti fer-  
 mē Europae magnorum motuum causam praebuit, dum in-  
 sidias pontificis perpetui hostis sui uereretur, clam celeri na-  
 uigio ab Ostia in Galliam profugit. Eius aduētū regem ma-  
 gnopere letatum ferunt, quoniam per eum qui potentia  
 atque auctoritate inter patres plurimum ualeret, Alexan-  
 dri pontificis consilia se uehementer turbaturum arbitra-  
 tur. Siquidem pleriq; e patribus non deerant, qui eum uitio



## PAULI IOVII HISTOR.

creatum dicerent, & propterea quòd sacrosanctum eius di-  
 gnitatis fastigium sibi pretio quæstiuisset, ueluti damnatum  
 ambitus lege, omnino gradu pellendum esse iudicarent. Igi-  
 tur Iulianus, uti erat inquieto uehementiq; ingenio, apud re-  
 gem ac proceres pontifici atq; Alfonso cunctis artibus odium  
 inuidiamq; conflare, concitare eis bellum, uictoriam terra  
 mariq; perfacilem fore polliceri, ac demum, qui militiæ usus  
 in Italia, quæ consilia & facultates sociorum atque hostium  
 essent, earum tum rerum imperitos & rudes Gallos sigil-  
 latim perdocere contendebat. Ipse uerò Ludouicus iam su-  
 pra quingentos grauis armaturæ equites ad signa uoca-  
 uerat. Genuæ sex triremes, quatuorq; trium milium am-  
 phorarum onerarias naues tormentis armisq; instruxerat,  
 coegerat undiq; pecuniam ad supplenda Gallorum stipen-  
 dia, & magnam uim omnis generis commeatus, qui terra  
 mariq; diuturno etiam bello sufficerent, in opportuna loca  
 contulerat. Romæ quoque per eos dies ab Ascanio cardina-  
 le atq; Obignino, Prosper & Fabritius Columnæ, & è Sa-  
 bella gente, Vrsinisq; aliquot obscurioris nominis duces,  
 itemq; Ioannes Rouerius Iuliani cardinalis frater cum sin-  
 gulis equitum turmis Regio Sfortianoq; stipendio additi:  
 Caterum iussi nō prius ostentare arma, aut Gallicarum par-  
 tium nomen profiteri, quàm Ostiæ uel Neptuni ad Antium  
 regia clas̄is appropinquaret, ne ipsi interea, si studiū suum  
 nudarent, à pontifice atque Aragonijs, quorum copiæ iam  
 instructæ in conspectu erant, opprimerentur. Sed dum Co-  
 lunnij in Vrbe et in Latio præsertim, ubi eorum sunt clien-  
 telæ, secretis admodum stipendijs equites conducunt, & de-  
 niq; omnia in aduentum Gallorum ad mouendum bellum  
 dissimulantes parant. Alexander ad oppugnandam Ostiam

Nicolaum Vrsinum Petilianum misit: tenebatur enim Iuliani praesidio, summamq; habebat opportunitatē ad suscipiendas Gallorum classes, urbemq; ipsam obseffo ac intercluso mari, fame & multarum rerum inopia subigendam. Perstiterē aliquamdiu in fide praesidiarij, quum Petilianus maioribus tormentis arcem continenter oppugnaret: Verum mox urgenti uitae periculo adducti, ea conditione arcem dederunt, uti senatui patribusq; publicē custodienda, donec Iulianus ad officium rediret, traderetur. Verum non multis interpositis diebus eadem arx, quae multo militum labore parta fuerat, dolis atq; ausu duorum militum recepta est, qui ab Ascanio ac Prospero haud dubiē summissi, simul utraque amicitia custodem arcis in lectulo quiescentem comprehenderunt, et Columnios milites ex condito ab oppido ad arcem conuolantes, praesidiarijs terrefactis introduxerunt. Vnde postea tantis incommodis rem Romanam atq; ipsum pontificem Guerra Monaldus afflixerit. Conatus est Alexander, qui eam iniuriam doloremq; animo sustinere non poterat, Ostianis suis quoque artibus recuperare, Ascanio & Prospero sub specie componendarum rerum fide data in Urbem euocatis, atque his continuo in Hadrani molem coniectis. Verum illi paulo post carcere sunt emissi, quum ob uiolatam fidem auxilia à Dijs ac hominibus & praesertim ab aduentante Carolo per Ludouicum sfortiam implorarent. Isdem ferme diebus Alfonsus, ut coram de bello consultaret, ad pontificem, qui tum in Tyburtij ad uicium Varronis secesserat, cum duabus expeditorum equitum alis peruenit. Affuere concilio Florentinorum legati, Cardinalesq; omnes, praeter eos qui Ascanium sequuti, Gallicis rebus sauebant. Ferūt Alfonsum, quum pro se fortiter & magnifice, tum pro Italiae sa-

PAULI IOVII HISTOR.

lute prudenter atq; diuinè perorasse: omniumq; animos eius oratione ita esse permotos, ut pontifex nulla interposita dubitatione, non modò bellum quod ingrueret constantissimè sustinendum, uerum hostes audaciore consilio, illatis ultrò armis præoccupandos esse decreuerit. Erat apud Alexandrū Paulus Fregosius cardinalis Genua ab Adurnijs pulsus: Is per Hybletum Eliscum clientesq; suos & nobiles aliquot Fregosie factionis ciues, qui Adurniorum potentie insensè erāt, se Genuam eiectis Adurnijs occupaturū pollicebatur, si ante Gallicarum nauium aduentum, ac priusquam sfortianæ triemes plane exornari, uel maiora præstia terrestri itinere ab ulteriore Gallia Genuam adduci possent, ipsi expedita classe in Liguriam aduolarent. Fore etenim ut ad primum Aragoniæ classis aduentum, cuncti inferioris Liguriæ populi, ipsiq; Genuenses metu aut uoluntate studia commutarent. Nec aliam postea Gallos gerendi belli rationem inuenturos, si Genua ceterisq; per oportunitis Liguriæ portibus excluderentur. Itaq; Alfonso Neapolim reuersus Ferdinandum filium, in quo mirifica indoles militaris uirtutis eminebat, terrestribus copijs, Federicum uerò fratrem toti maritimo negotio præfecit. Ceterum Petilianus, Alfonso Daualus Piscariæ Marchio, & Ioannes Iacobus Triuulcius, qui tum peregregij duces erant, & postea omnibus bellis cum summa imperatoris uirtutis laude claruerunt, Ferdinando attributi sunt, ut alacriores in iuvene spiritus maturo consilio temperarent. Is è Campania per Marsos et Sabinos Apenninum transgressus, adiunctisq; sibi in Umbria pontificiis aliquot turmis, per Aemiliam in Fauentium agrum, ut inde Cisalpina Gallie fines inuaderet, contendit. Porrò Federicus è Baiano sinu cum triginta quinque triremibus, & quatuordecim

tuordecim onerarijs, multisq; minoribus nauigijs profectus, lenissimis usus tempestatibus, Liburnum, quod olim fuit Labronæ statio, citra Arni ostium peruenit. Affuere illi Petrus Medices, legatiq; Florentini, & magna pars ciuitatis studio uisendæ classis eò prouecta: certatumq; est hinc inde liberalitate atq; modestia. Caterum repletis omni rerum copia naualibus socijs, quum secundi perflarent uenti, classis Liburno edueta, in Lunensem oram cursum tenuit. Erat in cõspectu Portus Veneris oppidum, quo si potiretur Aragonius, alios postea eius oræ populos paruo negotio in dititione eius concessuros apparebat. Id in faucibus Lunensis portus ad leuam positum est, contra eam insulam quæ portui obiecta, ab ipso memorabili Veneris templo, summam olim amœnitatis & religionis famam obtinuit. Hinc sinus ipse admirabili flexu latissimè introrsus aperitur, panditq; se ad latitudinem quadraginta stadiorum, ac demum curuatus in plenum orbem, ad portum Erycis & Coruum Lunæ promontorium extenditur, minores passim portus, & tutas ubiq; stationes efficiens, multis procurrentibus in mare apricis collibus, quos frequentes riui altioribus delapsi iugis, & nemorose passim ualles, amœnissimo quodam nature ordine distinguunt. Medio in sinu Spedia est, oppidum piscosum ac amabili uino maximè nobile. Ad dextram autem, non longè ab ostio Macræ amnis, Erycis uicus, traiectu admodum recto Veneris insulam, atq; ipsum portum contra respicit, ab eo qui in Sicilia est Eryx haud dubiè cognominatus. Igitur Federicus ad tentandam oppidanorū fidem, Fregosinum Pauli cardinalis filium Aloysiumq; Rapollum consiliarium suum singularis industriæ hominem in oppidum præmittit, qui eos ad deditionem faciendam, & Fregosios, quarum

## PAULI IOVII HISTOR.

partium nomen ipsi naturali studio colere consueuissent, portu atq; oppido recipiendos adhortentur: ac moneant ne inani & mox nihil profutura pertinacia, in summum periculum, quod à ualidissima classe statim immineret, sese ac fortunas suas deuocare uellent. Præerat oppido Balbus, qui è Cisalpina Gallia, transuersis Appennini iugis, eo cum deleta peditem manu, singulari celeritate conuolarat. Quum paulo ante Ludouicus, ad famam Aragoniæ classis, singulis totius oræ oppidis oportuna præsidia diligenter imposuisset. Is oppidanorum fidei & uirtuti militum confisus, respondit eam esse omnium Ligurum consuetudinem, ut nunquam in potestatem noui principis uoluntate concedant, quamdiu illi sint incolumes qui rerum Genuæ potiantur: Quòd si externa ui aut aliquo ciuium tumultu accidat, ut præsentium rerum status perturbetur, ipsos tum absq; defectionis infamia uictoribus cedere, quorum fortunam ex publico ciuitatis euentu sequerentur. Proinde non debere sibi irasci Federicum, si ipsum oppido portuq; recipere recusarent, quum Adurnium Sfortianumq; imperium Genuæ totaq; Liguria uigeret: pro quo ipsi extrema sustinere parati essent, ne primi omnium perfidia aut metu defecisse uideantur. Dirempto colloquio, Aragonij indignantes, quòd oppidum muro debile, & facultatibus modicum, tantæ classis uim atq; impetū morari auderet, confestim arma expediūt. Triremiū proras admouent: cohortes euectæ maioribus scaphis sub signis in proximum littus disiliunt, atq; oppidū terra mariq; uno tempore expugnare adoriuntur. Contra oppidani mixti militibus frequentes in muro esse, egregiè omnes propugnare, in classem è propugnaculis faces ac tela omnis generis iaculari, in subiectos qui scalis ascendere conabantur

ingentia saxa prouoluere: ipse mulieres singulari audacia in murū arma, ligna, lapides comportare, solari saucios ac defessos, ac demū cuncta nullo uirili officio prætermisso, laborantibus subministrare: Ipse Balbus ingenio uelox & manu promptus, huc & illuc pugnādo atq; adhortando ferebatur. Tormenta minora pro ea copia quā nactus erat, idoneis in locis, unde hostiū milites qui descenderant, et turba nauales destinato feriri possent, industrie collocabat: Neq; interim tormenta maiora nauibus emissa cessabant: Aragoniūq; admotis triremium proris certatim in terram desilire conabantur. Sed oppidani nouo astu, authore Frandania prædone insigni, à quo demum sene locus littoris cum risu nobis ostentatus est, scopulos saxaq; de industria, ad exilicendum in litore antiquitus collata, multo seuo conspenserāt: ita ut milites saltu incitati, desilire properantes, labentibus extemplo uestigijs in mare, interq; eminentes petras cum summa propugnantium uoluptate, & multo omnium risu præpedientibus armis laberentur. Pugnatum est continenter horis septem pari utrinq; uirtute: Verum ingruente nocte, quum Aragonij qui & iniquo loco, & sine idoneo apparatu pugnaerant, frustra omnes aditus pertentassent, nonnulliq; eorum occisi, plures consauciati, ceteri estu & labore defatigati essent, et Iulius Ursinus, qui cohortibus præerat, lapide ictus prelio excessisset, se ad naues, relicta oppugnatione receperunt. Ea nocte que secuta est, Federicus, sublatis anchoris Caluario uico classem appulit, mox inde citata remigatione in Rapallinum sinum profectus est. In eo situm est Rapallum oppidum edificijs admodum frequens, quod aequali ferme spatio à Delphini portu, & à Segesta Tiguliorum distat. Id in duas regiones diuiditur, quarū altera uocatur Guelpha,

## PAULI IOVII HISTOR.

altera autem Sibyllina à uetere factionū appellatione, quibus sese Ligures omni tempore ad lethalem insaniam exercuerunt. Aragonij nemine impediēte expositi in terram, celeriterq; eiectō præsidio quod paucorum erat militum, oppidum occupant: idq; tumultuario opere ad sustinendum hostium impetum, quod sine muro erat, communire celeriter parant. Nec multo labore milites, montaniq; homines, quos Hyblettus & Fregosinus è proximis castellis euocauerant, munitiones circumtulerunt. Erat earum ratio sicuti tum optima, ita nunc maximè ridenda. Furcis enim crassioribus solo defixis, ita ut ad umbelici mensuram extarent, longissimæ trabes continuato ordine confixæ clauis imponebantur. His se ab omni repentino hostium incursum tutos ac munitos esse antiquiores existimabant, ac pro his tuendis, quum eas transcendere aduersarij niterentur, acerrimè præliari consueuerant, foelici admodū tempestate, qua militum uirtus nullo tormentorum obiecta periculo, ex ipsis uirium & dextræ fortis operibus, ueluti ludicro in spectaculo, certa cum laude notabatur. At Genuæ quum multo antea de hostium classe cognouissent, terra mariq; arma parabatur. Iamq; Aurelianus Ludouicus, qui primus Alpes fuerat trāsgressus, ab Asta Colonia suæ ditionis, Genuam peruenerat, eumq; fuerat subsecutus cum septem Heluetiorum cohortibus Antonius Bassæus, quem à Magistratu in Heduis gesto, Diuioni Bailinum uocabant: Is & Germanicam callebat linguam, & summus artifex tractandis Heluetiorum ingenijs habebatur. Antonius quoq; Maria Sansseuerinus inter Sfortianos duces egregiè strenuus, alam unam equitum, & cohortes duas ueteranas adduxerat. Ad hæc onerarie duodecim, & decem & octo triremes militibus complebantur,

tur, eaq; tum apud omnes erat opinio, Aragoniam classẽ  
 quæ remigio tantum ualeret, posse à maximis atq; ualidissi-  
 mis Ligurum Gallorumq; nauibus facile superari, si aliqui  
 ab occidente perflarent uenti. Nam per eos dies tanta ma-  
 lacia ubiq; fuerat, ut in ea maria mirabili tranquillitate con-  
 strata, nulla penitus facultas educendæ classis alicuius auxilii  
 beneficio præberetur. Neq; ea res Federicum uel Aragonios  
 triser. archos fallebat, qui ne classis aduersis Austri uel Africi  
 flatibus in intimum sinum adigeretur, quo in loco effugijs  
 desperatis omnino pereundum foret, exposito statim exerci-  
 tu, ac prouisa maris commutatione, triremes, in altum extu-  
 lerant, unde hostilis classis motum, euentumq; suorum, qui  
 ad oppidum castra habebant, parati in utriusq; fortunæ con-  
 silium despectarent. Porro Adurnij & cæteri Galli duces,  
 postquam Aragonios ad Rapallum considere nunciatum  
 est, inter se rei gerendæ munia partiuntur, Aurelianus clas-  
 sem conscendit, in altumq; eam promouet, ut implendis ue-  
 lis terrestri auxilio potiatur, reliqui copias educunt, & prout  
 libido cuiq; fuit, Itali sermè omnes terrestri itinere, Heluetij  
 lembis actu. riujsq; nauigijs Rapallum proficiscuntur. Id ab-  
 est à Genua uiginti passuum milibus, uerùm iter adeò con-  
 cisum, confragosumq; est, adeoq; angusti in arduis rupibus  
 calles existunt, ut equites armatos, nisi summa cum difficul-  
 tate non admittant. Peruentum est in conspectum Aragonio-  
 rum, magna adhuc superante diei parte, quòd per noctem et  
 uitandi aestus & fallendi hostis causa iter illud tempestiue  
 confecerant. Erat proxima oppido satis lata planities, ubi  
 quum duces castrametari inciperent, quippe qui ea nocte  
 conuiescere, & inalbescente coelo recreatis militibus ho-  
 stes adoriri decreuerant, nata est paucorum audacia & te-



## PAULI IOVII HISTOR.

meritate occasio committendæ pugnae, sicuti plerunq; accidit, ut prælia casu potius quàm certo ducum decreto conferantur. Sfortiani nanq; milites in proximum hostilibus castris tumultum ad tendendum processerant, ut ante alios pro gloria inter prima pugnae pericula decertarent, quòd universi agminis frontem ipsaq; principia, propter inæteratam bellicæ laudis opinionem, tot asperis quæsitam bellis, sibi deberi honoris loco existimabant. Id non tulere Prætoriani, quòd sibi nimia sociorum arrogantiæ probandæ uirtutis atq; operæ facultas eriperetur: quû præsertim in oculis Genuensium, ac ipsius Ioannis Adurnis ducis sui, apud quos tot opima stipendia ociosa in pace meruissent, pro laude saluteq; foret dimicandum. Erant ij quadringenti fermè ueterani omnes & gladiatores eximij, qui sæpius in acie singulariq; certamine fortiter pugnando, spectatæ uirtutis famam ac uberiora stipendia fuerant consecuti. Sumptuose omnibus uestes & splendida arma conspiciebantur, utpote qui urbanæ militiæ assueti, nihil ad ornatum prætermittabant. Videre erat penulas militares coccinas aureis circumdatas limbis, argenteos passim gladiatorum capulos, inaurata scuta, thoraces serico purpurâq; contextos: ita ut milites qui hodie modico & uili admodum corio pro ueste contenti sunt, despiciendi tanquam egentissimi, eorum recordatione uideantur. In his erant Antonellus Potentianus, Beuilaqua Insuber, Franciscus Nardous, Auanzinus Cassiana, Thomas Firmianus, Honofrius Calaber, ipseq; Salernitanus cognomèto Præunus, & complures alij insignis audaciæ centuriones, qui ordines superioribus bellis in Italia duxerant. Ii itaq; quum tota acie fremerent, eumq; locum sub ipsis hostium munitionibus à Sfortianis occupari uehemèter indignarentur, rapiunt

omnes

omnes uesano gradu ac uix seruatis ordinibus, ut æquiores supra Sfortianos locum antecaperent, uersus castra hostium contenderunt. Nec dubitauerunt Aragonij, rati eos ad oppugnandas munitiones appropere, quin continuo erumpendum, & collato pede reprimendam subeuntium audaciam iudicarent: quoniam & ipsi temeritate per simili in munitiones repugnare parum decorum putabant: Presertim quum amissum decus ad portum Veneris, egregio aliquo facinore edito, resarcire cuperent ad retinendam uirtutis opinionem, quam de se apud omnes iactantius prædicando tota ea nauigatione præbuisent. Nec mora, disiectis statim trabium repagulis, patefactoq; exitu, infestis signis euolauerunt. Accinxere se prælio Prætoriani, quanquam Aragonios munitionibus egressuros esse minimè putarant, concursumq; est inopinantibus omnibus, ac diu maxima contentione dimicatum. Vtriq; duces quorum nullum ea die fuit imperium postquam neq; arte, neq; consilio, sed promiscua temeritate omnibus locis pugnabatur summittendo auxilia, adhortando quod regere non poterat, ac demum ipsi capeffendo pugnam periculo suorum militum occurrere nitebantur. Ad extremum Aragonij neq; Sfortianorum uirtutem, neq; Prætorianorum impetum tulerunt: loco etenim pulsæ, & deieci eo ponte, qui diuersas oppidi partes interfluente riuo disternat, terga uertere. Fusos fugatosq; totus exercitus per ruptis eorum munitionibus persecutus est, ingensq; ea die pro numero hostium cædes facta. Nam Heluetij qui tardius aduenerant, stratos à Prætorianis et uulneratos babara crudelitate mactabant. Ab his quoq; nobilis captiuus, quem Aloysius Pliscus unus è ducibus in equi clunes sustulerat, ut in pacatum abduceret, cum maximo ipsius confessoris

## PAULI IOVII HISTOR.

periculo trucidatus est, quanquã Aloysius sua claritate omnibus notus esset: ut qui Genuæ cunctis interfuerat consilijs, & tum magna aduersus Aragonios fratremq; Hyblettum auxilia montanorum adduxerat. In eo tumultu Hyblettus ipse prelio effugiens cum ea manu agrestium quam ex ditio nis suæ castellis accitam circa se presidij causa habebat, aspe ris inuisitatisq; tramitibus, per Lauaniæ amnis, quæ Entella olim fuit, ualles montesq; profugit. Iulius Ursinus Fregosinusq; uulnere tardatus, & Orlandus pariter Fregosius capiuntur, magnaq; Aragoniorum multitudo proiectis armis dedita est. Pauci ex uictoribus interfecti, sed in his Auanzi nus Castiana inter fortissimos centuriones annumeratus, & ex Sfortianorum, Pretorianorumq; numero supra sexaginta grauiter uulnerati discessere. Hinc ad prædam discursum, totumq; oppidum nullo discrimine amicæ partis ab Heluetijs direptum. Nullum Aragonijs ad mare, nisi paruorum admodum lemborum beneficio, effugium patuit. Quoniam Federicus ab alto Ligusticas conspiciatus naues, quæ secundo uento ferebantur, & iam tormenta procul euihrabant, in pacatiora littora ad Arni ostium & Liburnum retroces serat, unde mox etiam aduerso rerum euentu consternatus Neapolim repetiuit. Fuere tum complures qui eius amplissi mæ classis tanta impensa tantoq; studio comparatæ, uanos conatus & fœdum exitum riderent. Sed contrâ non deerant usu rerum periti atq; prudentes, qui nullis addicti partium studijs omnibus lugendum esse iudicarent, quum ab his rerum initijs supremas ac miserabiles ruituræ mox Italia clades ominarètur. Profligatis Aragonijs, exercituq; Genuam reuerso, cum maximo externorum militum discrimine in urbe tumultuatam, quum Heluetijs Gallisq; prædam uendi-

tanti

tantibus, Rapallini, uestes, uasa, suppellectilemque sua passim agnoscentes, implorato ab amicis affinibusque auxilio, res suas repeterent. Hinc abiurgijs ad arma populari furore discursum est, punctoque temporis diuersis in urbe locis nonnulli ex Heluetijs & Gallis trucidati: proculdubioque ea die externum militem incitatae plebis insania deleuisset, nisi Augustinus atque ipse Ioannes cum praetoria cohorte in publicum egressi, circummissis praecomibus, audacioribusque correptis, atque his protinus ad exemplum laqueo suspensis, iratae & seuentis multitudinis impetum repressissent. Rapallinae uictoriae nuncius, & Ludouicum incredibili affecit laetitia, & Carolum ueluti certo iam uictoriae omine accepto, ad maturandum in Italiam sollicitauit. Iam tota ferme Heluetiorum multitudo per Graias Alpes in Vercellensem agrum descenderat: & Obigninus cum ualida eorum manu atque ala sua Britannica, & trecentis ferme Gallis equitibus cataphractis in Flaminiam processerat: Quo paulo ante ad iungendas uires Ioannes Franciscus Sansuerinus Calatiae omnes fuerat profectus. Is tum Sfortianis copijs imperabat, in quibus grauis armaturae equites sexcenti, & termille pedites ueteraniscensebantur. Quibus uiribus in unum coactis, ut Ferdinandi conatibus obuiam irent, et fossam Giliolam in finibus Ferrariensis agri munitissimo loco castra posuerunt. Hisdem ferme diebus Ferdinandus e Tiferno, ubi cum Petro Medice apud Vitellios hospites fuerat collocutus, mollioribus Apenini iugis in Fauentinum agrum transcendit. Erant eius copiae equestres ferme omnes, equorum uirorumque robore praestantes, & apparatu longe omnium ornatissime: quibus ut primum in Aemiliam est deuentum, conscriptis ubique cohortibus, supra sexmilia peditum adiunxit ex Bononiensibus,

PAULI IOVII HISTOR.

hisq; populis qui Anemonis uallem, & sinistrum Apennini  
 latus incolunt. Eorum erant præfeti uiri fortes, Dionysius  
 Naldus & Vincentius eius frater. Præterea aderant Guido  
 Vrbinatum & Ioannes Sfortia Pisaurensium reguli. Acces-  
 sere quoq; ex Pontificijs tres equitum turma, Serræ Hispani  
 nobilis ductu: ex Florentinorum quoq; copijs quadringenti  
 utriusq; armaturæ equites, quibus Annibal Bentiuolus im-  
 perabat. His uiribus Ferdinandus in Parmensem agrum ir-  
 rumpere se posse crediderat, adiuuante uel permittente Io-  
 anne Bentiuolo, quem iam Alexander Pontifex à Ludouici  
 Gallorumq; amicitia magna ex parte diuellerat, quum Ga-  
 leacio eius filio purpurei galeri honorem, cæteris item filijs  
 uberiora stipendia promississet. Verum Bentiuolus ob res in  
 Liguria infœliciter motas, et Federici scædam fugam, itemq;  
 Caroli celeriore opinione omnium aduentum, & Obigni-  
 ni Calatiniq; præsentis exercitus, quando ex ipsa belli fortu-  
 na hominum uoluntates facile permutantur, omnem initi-  
 eius consilij cogitationem abiicit. At Ferdinandus ab Sapi-  
 anne, ubi per aliquos dies castra habuerat, in Fauentinos  
 campos eo consilio progressus est, ut quum primum dimi-  
 candi facultas præberetur, statim cum hoste confligeret,  
 quòd & regem transire Alpes, & se mox impari eius ui-  
 ribus, si Galli Sfortianiq; tota belli mole simul incumberent,  
 futurum esse intelligebat. Contra Obigninus & Calatinus,  
 qui illa eadem tempestiuis admodum consilijjs prouidebant,  
 ne inuiti ad summam rei certamen traherentur, obnixè stude-  
 re, in palustribus semper ac fossa munitis locis castrametari:  
 ostentare tamen copias ad famam opinionemq; hominum  
 retinendam: sed aciem nisi loco hostibus iniquo nunquam  
 explicare: ita ut tantum ab leui armatura quotidie pugnare  
 tur.

tur. Oblata tamē est occasio haud semel praelij committēdi, non longē à sanctæ Agathæ oppido, quū utriq; duces ex itinere in proxima prata processissent, quæ tametsi pluribus fossis à cultoribus perductis, & directis ad lineam salētis ali qua ex parte erant impedita, tamen ad confligendum satis opportuna uidebantur. Intererat fossa mediocris inter utramq; aciem, hanc ut Aragonij transirent, Obigninus & Calatinus expetebant, quippe qui illuc eo se consilio uenisse meminerant, ut Ferdinandum, si in Aemilia moraretur, leuibus praelijs distinerent, nunquā uniuersæ pugne aciem subirent: sin in Galliam Cisalpinam ire contenderet, ipsi isdem uestigijs abeuntem persequerentur. Petilianus autem, ut ab aduersarijs transeundi initium fieret, opperiri, & se minime commissurum dicere, ut in ripis impeditæ fossæ de Neapolitano regno dimicaretur. Vir enim natura cautus, & minime pugnax, qui prouidere potiusne uinceretur quàm alios superare didicerat, quum Italis Heluetios pedites anteferet, Sfortianos suis pares, Gallos uerò equites quorum uirtus adhuc erat incognita, si non optimos, longē tamen acerrimos putaret, & tormēta ænea, qua parte Galli plurimum ualere dicebātur, maximē uereretur, nullo modo ut uniuersō certamine cōfligeret, adduci poterat. Contrā Triumlius, & acer & pugne audus Heluetios ab se Renatoq; fratre paucis ante annis supra Domossulam iusta acie superatos commemorare: Italos equites Gallis omnibus terrori esse, quum ipse in Gallia regulatorum bello iuuenis interfuisset, abunde testari, tormēta in acie quod ancipiti cum periculo emittantur, nullo propē usui fore demonstrare: ac demum si manus confererent uictoriam polliceri. Quòd si cuncta pericula, quæ ab infinitis penē casibus oriri possent, pensando ac

PAULI IOVII HISTOR.

dubitando occurrura sibi arbitrarentur, uincendi occasio-  
nem per incuriam amitterent: ac paulo post tantis hostium  
copijs, quæ rege duce ab alpibus imminerent, futuros impa-  
res: & mox regnum cum summo ignauiæ dedecore, quando  
nulla reliqua spes salutis nisi in turpi fuga futura esset, amif-  
suros. Sed Ferdinandus quanquam Triuulij præfaga mente  
de belli exitu proloquentis authoritate moueretur, Petiliano  
tamen assensit, ne ipse qui pugnandi studio destagnare uide-  
batur, si aduersam prælij fortunã experiretur, spreto cauti  
ducis consilio, inexpiabile funestæ temeritatis insaniam apud  
Alfonsum patrem, ipsumq; pontificem subiret. Itaq; in muni-  
tiora loca ab utrisq; concessum. Sequentibus uerò diebus  
quum Triuultius parandæ uictoriæ facultatem, ab his qui  
innatum timorem prudentiæ nomine contegerent, amissam  
quereretur, eiusq; sententiæ Alfonso Piscarius accessisset,  
& Petilianus à Bartholomeo Liuiano familiari suo (is tum  
alam equitum ductabat) qui postea summos militiæ honores  
adeptus est, quotidie oppugnaretur, ut cunctari desineret,  
& rem prælij fortunæ tandem committeret, decertare sta-  
tuerunt. Sed à conferendo prælio aliena mens hostibus fuit.  
Nam tametsi per præcones ad pugnam prouocarentur, nun-  
quam tamen castris copias eduxerunt, sic, ut ludificati ua-  
rijs artibus, Aragonios, quum leuis eorum armatura pro-  
pius munitiones accessisset, emissis subito pluribus tormen-  
tis eam inde cladis metu recipere sese, & confestim terga  
dare coegerint. Liuianus tamen triduo post, alam unam Gal-  
lorum equitum longius è castris ad sanctæ Agatæ oppidum  
progressam, noctu adortus, caesis captisq; pluribus equiti-  
bus, magna ex parte deleuit. Cæterum Ferdinandus post-  
quam hostem inuitum non posse elici ad pugnam uidet, ad

Faurentiam promouet castra, eaq; sub ipsis moenibus latissima fossa per quam Anemonis partem corruerat, alijsq; praetorum aggerum magnis operibus communit, ut amicae urbis copijs utatur, tutoq; in loco Germanorum auxilia, quae sibi e Sueuia et Vindelicia adducebantur, expectet, atq; interim ad motum aduentantis Galli regis, uti pater ac Alexander monuerant, iussa capeffens, melioris fortunae consilia subsequatur. Interea Carolus e Gratianopoli Coetijs Alpibus in Italiam transmisit. Fuere olim Coetiae quae nunc montis Genebrae culmina nuncupantur, ut alijs diffuse monstrabitur, quum ipsis Alpibus, sicuti et ceteris orbis terrarum clarioribus locis, pro recetibus, et semibarbaris noninibus antiquiora uocabula passim reddemus. Descendentem Asta Colonia exceptit, omniq; rerum copia, abundantibus eius regionis oppidis, milites sese large et gratuito recrearunt. Procefferat Astam usque honoris causa Ludouicus, uxorem Beatricem cum lectissimis Insubrum foeminis adducens, quibus rex iuuenis oblectaretur. Sed is non multo post ad insoliti coeli commutationem aliquandiu uehementi morbo confictus est, quum erumpentes pustulae uti saepe pueris accidit, artus et faciem defoedassent. Verum mitescente Autumno, et recepta subinde ualetudine, Ticinum urbem, quam recentiores Papiam appellarunt, contendit. Ibi regio apparatu, et exquisitis honoribus a Ludouico in arce susceptus est. Laborabat tum suprema ualetudine Ioannes Galeacius, adeoq; infelix iuuenis lento atq; tabifico morbo erat confectus, ut non uiribus quae iam nullae erant, sed ipso uno desituri mox spiritus uigore regeretur. Is Carolo, qui ad lectulum accesserat, uti agrum officij causa humaniore alloquio solaretur, lachrymans, ueluti mox imminentibus fati concessu-



PAULI IOVII HISTOR.

rus, Franciscum Bonamq; liberos magnopere commendavit. Nec multo post Carolus accepta à Ludouico pecunia, exercituq; ex Mediolani officinis omni castrensiũ rerum copia instructo, peditibus secundo amne deuēdis, & equitatu terrestri itinere præmissis, Placentiam profectus est. Inde per agrum Parmensem ad Apenninum est peruentũ: Iugisq; haud multo labore superatis ad Pontentremulum posita castra, quod Macræ amni impositũ, descendētib; in Aethru- riam per Apuanos Ligures primum occurrit. Erat Pontremuli præsidio Badinus Insuber cum trecentis Sfortianis: qui quum sorte ad amabilis uini tabernam ab leui uerborũ contentione ad acriora iurgia cum Heluetijs deuenissent, & uti ipsi erant expediti cum scutis & gladijs, aliquot Heluetios in angustijs uiarum prælongis suis impeditos contis trucidassent, aliquanto post supremam oppido clamitatem pepererunt. Ceterum Carolus motis inde castris secundum Macram amnem præterq; Papirianas fossas, quæ fosse nouæ oppido nomen dederunt, Sergianum profectus est. Creuit Sergianum ex ipsis Lunæ antiquæ urbis ruinis, quum incolæ pestilenti eius littoris aura, quæ maxime ad Macræ ostium uergit uehementer offensi, ædificia in editiorem locum subduxissent. Id primum Florētine ditiois oppidum erat, eoq; Paulus Ursinus præsidij causa peditum atq; equitũ manum paulo ante præmiserat. Interea Gilbertus Mompenserius, qui primum Gallorum agmen ducebat, Castellum nouum ex itinere tormentis aggressus expugnauit, præsidijq; præfectum Angelum Cencellum, & ad unum eius milites trucidauit, præmissisq; ad mare longo circuitu equitũ alijs, Franciscum Montedolium cum cohorte Sergianum properantem, improviso equitum incursum, proteritis occisisq; omni-  
bus

bus ferme peditibus, intercepti. Quibus de rebus magnus  
 adeo Gallorum metus omnibus est incussus, quod ab his non  
 more Italico humaniter, sed barbara crudelitate cruento ad-  
 modum geri bellum uidebant, ut oppidani atq; ipse Paulus  
 muris uiribusq; diffisi, & Petrasanctenses qui Fanum Fero-  
 nie incolunt, quum in portis eorum equestri praelio certa-  
 retur, de dedendis protinus oppidis cogitarint. Frat arx su-  
 pra Sergianum editiore tumulo imposita loci natura atque  
 arte permunita: quam incolæ à Castruccio Lucensium ty-  
 ranno edificatam fuisse commemorant. Eam quum prolata  
 to omni tormentorum apparatu Galli expugnare niteren-  
 tur, Petrus Medices Florentia profectus ad Carolum in ca-  
 stra peruenit: Is enim fama celeritateq; hostium penè obru-  
 tus, quum ad eam imminentis maximi exercitus molem su-  
 stinendam consilio ac uiribus se imparem cerneret, uolun-  
 tate commutata ad promerendâ regis gratiam, se cuncta uit-  
 imperatum foret facturum, traditurumq; Aethrurix urbes,  
 arcesq; omnes pollicitus est, modo incolumi dignitate in si-  
 de et clientelâ à Carolo reciperetur. Timebat enim uehemen-  
 ter rebus suis, quoniam Laurentius et Ioannes eadem Medi-  
 cea orti familia apud regem in honore erant, qui paulo ante  
 quum nouis rebus studerēt, Petri potentix infensi, aduersus  
 eum coniurauerant, detectisq; eorum consilijs, quod Petrus  
 proprio sanguini parcendum esse putauerat, ruri tantū pub-  
 lico iudicio relegati fuerant. Mox uerò descendētibus in Ita-  
 liam Gallis noua spe inducti, & ueteribus innixi consilijs ad  
 Regem profugerant: ac tum maximè apud singulos proce-  
 res agendo maledicendoq; bellum, insidias, cunctaq; aspera  
 Petro moliebantur. Caterum Petrus apud Fanum Fero-  
 nie cum Brissoneto Belcarioq; rebus compositis obuiam

## PAULI IOVII HISTOR.

profectus regi, comitate militari, & leto admodum uultu in  
 gratiam recipitur. Nec multo post missis qui tesseras repe-  
 tendæ fidei custodibus ferrent, Sergiani, Fani Feroniæ, Pisa-  
 rum, & Liburni portus arces, regis præfectis traduntur.  
 Interea Florentinorum legati uiri insignes, in quorum nu-  
 merum Senatus honoris causa Petrum ipsum absentem de-  
 creuerat, superuenere, qui amica apertaq; omnia transeun-  
 ti regi futura publico nomine dicerent, & quantis maximè  
 possent officijs regis animum, deterfis ob repudiatam antea  
 eius amicitiam offensionibus, pacatum reddere niterentur.  
 Sed Petrus mox Florentiam redijt domesticorum literis reuo-  
 catus, quibus aduersos de eo rumores tota urbe excitatos, ad  
 famam deditarum arcium afferebatur, proptereaq; ueteres  
 inimicos in spem nouarum rerum esse erectos: Populum fre-  
 mere, nutare Senatum ex eius facti in dignitate permotum:  
 atq; ex amicis demum paucos qui audacter inimicorum con-  
 filijs obuiam irent reperiri, sollicitè admodum perscribebant.  
 Alienauerat ab se Petrus, tametsi præclaro erat ingenio mul-  
 torum optimatum animos, quum iuuenili quodam seruore  
 equorum, armorumq; studijs & matronarum amoribus dedi-  
 tus, ciuiles curas ignobilioribus ministris demãdaret, et per-  
 rarò quum Senatus cogeret, in curiam ueniret, nunquam  
 uerò collegiorum magistratuumq; officijs interesset, quorum  
 munia à summis & grauissimis ciuibus implebantur, ac de-  
 mum Laurentio patri prorsus dissimilis euasisset: Qui ut e-  
 rat diuina prudentia in regenda urbe, & promerendis ci-  
 uium animis urbana quadam comitate ciuiliq; modestia, pa-  
 ri cum cæteris cultu, sine satellite Rempublicam foeliciter,  
 sola ingenij magnitudine fretus, administrabat. Igitur Petrus  
 quum principem locum, qui haud facile aliter quam aut sum-

ma ui, aut summa cū uirtute atq; modestia in libera ciuitate  
 retinetur, neq; armis neq; gratia sustentaret, ad exploran-  
 dos ciuium animos, periclitandamq; comminuta iam autho-  
 ritatis atq; potentie fortunam, in forum, atq; inde in curie  
 aream processit. Vbi quum infrequentes amicos, circum se  
 uerò inensos multorum uultus cerneret, ac subinde ad Octo  
 uiros, qui cum uexillifero superme potestatis magistratum  
 gerunt, ascendere uellet, à Valterotto Iacoboq; Nerlio regio-  
 num tribunis, curie ianua prohibitus est, mox uerò, con-  
 cursu omnis generis hominum facto, & nonnullis arma te-  
 nētibus, metu doloreq; percussus, inter fremitum rebellantis  
 populi, & saxa uolantia, domum se proripuit. Nec mora  
 ueluti ulturus infesti populi iniuriam, thoracem galeamq;  
 induit, familiam armat, & equites quos dudum Paulus Vr-  
 sinus post deditum Sergianū, dissipato trepidantiq; agmine  
 ad Gallianā portā adduxerat, euocari atq; introduci iubet.  
 Verum quum nunciaretur Franciscum Valorium, unum ē  
 legatis quem ipse apud Carolum paulo antè reliquerat, ui-  
 rum acrem ac turbulentum in foro esse, sublimemq; cum in  
 equo concionari, populum incitare, ac demum se armate  
 multitudini ad uendicandam libertatem ducem præbere, pe-  
 nitus animo cōcidit, suspicatus à rege Gallo fidem falli, et sa-  
 lutem suam ab eo proditum iri, quòd se abeuntem falsis pol-  
 licitationibus onerasse uideretur: Valoriumq; qui tanta ob-  
 id celeritate præcurrisset, inimicorum maxime gentiliū  
 impulsu ad se oppugnandum pellendumq; fuisse transmissum.  
 Itaq; metu amens & consilij pariter inops, Paulo Ursino,  
 amicisq; paucis, ut salutis quàm imperij uel fortunarum cu-  
 ram potiozem duceret, suadentibus, relictis etiam quibus-  
 dam gemmarum loculis, urbe profugit. Ioannes quoq; car-

PAULI IOVII HISTOR.

cardinalis qui postea desumpto Leonis decimi nomine, summum in re Christiana dignitatis fastigium tenuit, sacerdotis fraterculi cuculla amictus, itemq; Iulianus frater pari fuga elapsi, diuersis itineribus Bononiam peruenerunt. Interea populus omnis, qui tametsi infestis armis, seuisq; uocibus Mediceos persequendo, diurnæ seruitutis iugum fortiter excussisse uideri uolebat, aliquanto tamen præde quam libertatis auidior, ad diripiendas Mediceas aedes ex omnibus regionibus aduoluit: effraçtiq; statim Martiani horti, nobilissima Petri suppelleçile instructi. Domus quoq; ipsius Cardinalis ad Antonianum templum, sciantis plebis auaritie cecidit, tanta auiditate, ut ualuz & cardines impotenti rapientium impetu uellerentur. Ipsa domus Medicea grassantis populi iniuriam non sensit, prohibentibus magistratibus, quod ea tum summo Petri studio, ad regem hospitio excipiendum, auleis, pretiosoq; rerum omnium apparatu exornabatur. Nec multo post concursu hominum in curiam facto, Petrus fratresq; à uexillifero Francisco Scarfa, ipsisq; octo uiris, qui cum eo in curia perpetuò sedent, quiq; ex amicorum numero ipsisq; Mediceæ familie beneficiarijs lecti fuerant, omnibus statim suffragijs, patriæ & Senatus hostes iudicatur: pile puniceæ Mediceæ gentis insigne, omnibus urbis locis abraduntur, atrociq; admodum decreto adiecto uti premium percussoribus eorum foret, bona extemplo atq; auidissime publicantur. Nec multum inde in illa ipsa domo, magni Cosmi ingenio ac sumptu extructa, qua nullum in Italia priuatum ædificum elegantius concinniusq; ætate nostra conspicitur, quæq; publicum totius orbis nobilitatis bonarumq; artium hospitium fuit, à publicis institoribus nobilissimarum opum uenaliū hasta palam erecta est. Veniere itaq;

itaq; magno Fortune ludibrio, præter ingens et prætiosius  
 opulente domus instrumentum, statue antiqui operis, to-  
 reumata, gemmae, uarijque lapides admirabili ueterum artifi-  
 cum sculptura insignes, uasa Myrrhina, numismataque auro,  
 ære, argento, queis clarorum ducum effigies inerant, longo  
 atque erudito studio, diuturna in pace cumulata. Præterea ta-  
 bule et signa nobilium artificum monumenta, et quod in-  
 uidiæ plurimum augete poterat: illa tam grandi pecunia  
 tot tantisque doctorum uirorum peregrinationibus atque labo-  
 ribus quesita, Latinorum et Græcorum uoluminum supel-  
 lex celeberrimæ Bibliothecæ: Hanc Cosinus instituerat, auxe-  
 rat Petrus, et Laurentius postmodò, tota penè Græcia ra-  
 risimè libris spoliata, expletisque tandem studiosorum deside-  
 rijs, magna sui fama claritateque condiderat. Ita ut plerique  
 mortales eam familiam tanta calamitate indignam, ac inique  
 admodum ab ingratis ciuibus exactam esse iudicaret. Quan-  
 do eius proceres perpetuo quodam magnificentie splendore,  
 ædificando, fouendo ingenia, et pacem opulentiæ paren-  
 tem singulari industria tuendo, patriæ ac ciuibus tantum or-  
 namenti et claritudinis addidissent. Illudque demum mani-  
 feste compertum est, inanem atque admodum caducam esse po-  
 pularem gratiam in libera ciuitate dominantibus: Ciuesque  
 ipsos dum ex nouarum rerum motibus libertatem respici-  
 unt, nulla æquabilis imperij, nulla pristinae amplitudinis,  
 nulla denique beneficiorum priuati uel publicè acceptorum  
 memoria premoueri. Usque adeo autem Medicæ nomen  
 cunctis inuidiosum esse coepit, ut Laurætius atque Ioannes qui  
 apud regem tanquam exules fuerant, Petri expulsi gentiles et con-  
 sanguinei, ut libertatis tuende studium ostenderent, e marmo-  
 reis antiquæ domus insignibus pilas deterferint, substitutaque

## PAULI IOVII HISTOR.

eandida cruce, uti in aliam familiam transeuntibus mos est,  
 Populani, abdicato ueteri nomine, appellari maluerint. Dū  
 hæc Florentiæ geruntur, Carolus ab Luca, ubi liberaliter  
 exceptus adiutusq; pecunia fuerat, Pisas cum exercitu per-  
 uenit, cuius aduentus opportunè admodum in spem recupe-  
 randæ libertatis Pisanorum animos erexit. Concesserant Pi-  
 sani multos ante annos diuturno bello uicti in Florentinorū  
 ditionem, quā paulo antè cum summa opum amplitudine,  
 tum ingenti rei naualis gloria inter ceteros Italiæ populos,  
 magnam auctoritatem rebus præsertim in Syria sæliciter  
 gestis obtinuisent. Eoq; magnitudinis rem Pisanā aliquan-  
 do euectam memorant, ut centum eorum familie illustres,  
 totidem rostratas naues priuato sumptu ædificasse, exorna-  
 tasq; ad Ligusticum bellum eduxisse dicantur. Verum quum  
 bellica uirtute & mercaturæ studio, partis diuitijs aliquan-  
 diu floruisent, eos demum superbia opulentia comes, & na-  
 ta continuò ex nimia sælicitate intestinae seditiones, euersa  
 republica transuersos atq; præcipites egerunt. Factumq; est  
 ut attritis discordia opibus, atq; intermissa obiter maritima  
 negotiatione, per diuersa tempora uarijs tyrannis seruire  
 didicerint. Ioanne autem Galeacio Vicecomite uita functo,  
 qui longè amplissimo in Italia imperio potitus, post Appia-  
 num tyrannum, Pisas in deditionem acceperat: cœpere Pi-  
 sani iam pridem amissam libertatem respectare, atq; eam ma-  
 ioribus animis quàm uiribus aduersus Florētinos tueri, qui  
 tum ob ueteres causas recentibus etiam odijs accumulatas,  
 in ea ruentis imperij uicecomitum exoptata occasione, gra-  
 uissimum bellum intulerant: quo Acutus Britannus dux bel-  
 lo inclytus adeò res eorum afflixit, animosq; contriuit, ut  
 omnibus belli calamitatibus fracti, destitutiq; à finitimis ui-  
 eto=

Florū arbitrio se dediderint. Mansereq; sub Florentino impe-  
 rio annos octuaginta septem: quo tempore adeo seuerē aua-  
 rēq; ab his qui quæstui atq; pecuniæ maxime student, impe-  
 ratum est, ut sub Caroli aduentum nihil eis præter nomen  
 ueteresq; spiritus & antiquæ magnitudinis memoriã su-  
 peresset. Erat inter Pisanos Simon Orlandius uehementi uir  
 ingenio, publiceq; & priuatè Florentinorum hostis acerri-  
 mus. Is noctu & in occulto cum his ciuibus coeundo, quos  
 maxime grauioribus iniurijs offensos, ac ob id alienato ani-  
 mo paratos ad defectionem existimabat, sæpius publicas ca-  
 lamitates deplorare, ac ostendere quàm facile, si uiri fortes  
 & maioribus suis similes forent, sese ab intoleranda seruitu-  
 te in antiquam libertatē essent uendicaturi. Postremò quòd  
 Gallicæ linguæ erat peritus, se oratorem apud regem, & ad  
 perficiendum negotium ducem futurum alacriter profiteri.  
 Nec diu cunctando deliberandoue ab inclinatis iam ciuibus,  
 num in ea presentis regis occasione audendum foret, dubi-  
 tandum est. Nanq; Orlandius quum à cunctis certatim am-  
 plexaretur ac laudaretur, quòd contempto priuato pericu-  
 lo pulcherrimi facti consilium magno animo desumpisset,  
 ad regem qui tum Mediceis erat in ædibus, cum globo iuue-  
 num ascendit, proiectusq; ad genua supplex & lachrymans  
 enarrauit, in quas calamitates erumnasq; miserabiles, è flo-  
 rentissimo quondam liberæ ciuitatis statu, Florentinorum  
 seuitia decidissent: in quorum mores acerbissimè inuectus,  
 ut undiq; eis conflato odio rex iuuenis magis ac magis inci-  
 taretur, eam maledicēdo protulit, quæ tametsi regis animum,  
 magnitudinem nouitatemq; criminum admirantem impu-  
 lerint, à moderato tamen scriptore, ne incerta indefensaq;  
 pro ueris fidem recipiant, prætercunda uideantur. Ceterum



PAULI IOVII HISTOR.

perorante Orlandio, ac regem demississimo gestu interrogante, num qui ad liberandam à tyrannis maximam Italiae partem uenisse uelle uideretur, Pisanum populum tam indigna seruitute oppressum, liberum esse uellet: Carolus more Gallorum alacriter, & iam opportunè fauentium procerum murmure exorto, paucis annuens, sublataq; manu id se quod æquum esset præstare significauit. Quæ uox excepta ab his qui intererant, statimq; foris omnibus præ letitia ingenti clamore, FRANCIAM, quod est antiquum liberæ Gallie nomen, ac libertatem uicissim ingeminantibus, per urbem delata, uniuersum populum ad dulce exoptatumq; id nomē excitauit. In eo tumultu marmoreus leo Florentinorum insigne, in profluentem Arnun præcipitatur. Præfecti autem quæstoresq; Florentini urbe profugerunt. Quibus exactis Pisani ex numero optimatum decuriones uiros fortes delegerunt, qui darent operam, ne recepta libertas, ulli ui, ullisue hostium consilijs eriperetur. Quod si tanta felicitate atq; fortuna ipsam libertatē tueri Pisanis datum foret; quanta eam constantia atq; uirtute postea per sexdecim annos defenderunt, bellum profecto quod statim secutum est, neq; pertinacium ciuū fregisset spiritus, neq; finem eorum opibus unquam imposuisset. Accidit autem memorabili casu, ut eadē hora qua Florentini Mediceos patria domoq; pelebant, ipsi quoq; à Pisanis pari asserendæ libertatis desiderio pellerentur, præclara equidem cum laude Galli regis, qui non minus æquitate atq; iustitia, quàm uirtute bellica magnus, duabus nobilissimis Italiae urbibus inauspicatam propè & nullo hercle negotio libertatem attulisset.

FINIS PRIMI LIBRI.

PAV.

PAVLI IOVII NOVO-  
COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI  
*Historiarum sui temporis.*

LIBER SECVNDVS.



**A**T Carolus, Antracio uiro forti cum delecta Gallorum manu Pisana in arce constituto, cæterisque deditarum arcium presidij pari diligentia confirmatis, Pisis profectus ad signinum pontem sexto ab urbe Florētia lapide Arno impositum, tertijs castris peruenit, sollicita admodum ciuitate tanti exercitus metu, quod non omnino inanis rumor increbuisse regem Mediceos in patriā incolumi dignitate moderati principatus, esse redacturum. Nam Brissonetus atq; Belcarius Philippusq; item Bressius Allobrogū reguli frater regij consilij principes, eo atroci facto quo Petrus patria pulsus ac hostis iudicatus fuerat, regie fidei maiestatem uehementer lædi testabantur: differebantq; eum qui sese atq; arces optima fide tradidisset, ob idq; præclara ipsorum sponsione amicus fuisset appellatus, ut patriæ & penatibus redderetur, omnino esse reuocandū. Probabat id rex iuuenis, honesti decoris tenax, nec facile ex aliena iniuria nominis sui contumeliam ferens. Iamq; Fortuna nouos ludos Florētinis editura uidebatur, nisi Petrus qui parū læto uultu cū fratribus à Ioanne Bentiuolo exceptus fue-

PAULI IOVII HISTOR.

rat, è Bononia sibi timens, nimis celeri desperatione Venetias profugisset. Caterum Carolus apud Signiam rebus per legatos qui frequentes aduenerant magna ex parte compositis, Florentiam armatus ingreditur. Magistratus cuncti suo ordine, sacerdotesq; sacris in uestibus sub umbella aurea intrantem excipiunt. Populus letis acclamationibus summos honores defert: miratur externi cultus tot equitum agmina, Phalangesq; Heluetias, & ad tormenta aenea transuecta curribus maxime stupet. Sed obiter suspeso animo reputat, quo in discrimine uersetur, qui tantam ferocium gentium multitudinem intra moenia domesticosq; lares acceperit. Ea dies funere quoq; Pici Mirandule immatura morte correpti, insignis fuit, qui ob aeterna diuini ingenij monumenta, eruditorum hominum consensu, Phoenicis cognomentum adeptus est. Rege suscepto, affectoq; omnibus humanis honoribus, Florentini de foederis conditionibus agere coeperunt, certumq; est aliquandiu, & subinde liberi hominis inter armatos uox audita. Quum enim Galli periniquas condiciones dicere uiderentur, ob idq; abnuentibus insolenter obstrepent, Petrus Caponius indignabundus, libellum conscripti foederis palam concerpfit, addens clara uoce, postquam Galli ui agere atq; impotenter contendere uellent, non defuturos, qui Campani aeris sonitu, tubarum cantibus essent responfuri. Sed demum cum rege foedus ea conditione percussum est, ut Florentini centum & quinquaginta milibus aureorum nummum in bellicos sumptus regem iuuarent: Ipse eas arces quas Petrus tradidisset, intra certum tempus restitueret: libertatem quam tunc recepissent, egregio studio tueretur: Neq; Medicos gratia foueret, neq; Pisanos iuuaret auxilijs: Sic, ut Carolus aræ maximi templi admotus, solenni sacramento iura

iuraret, se integra fide præstiturum quod ex fœdere promi-  
 sisset. His confectis rebus, epistolas subdicti nomine per om-  
 nem Italiam perscripsit, quibus testatus est se uenisse ad libe-  
 randos seruitute populos, bellumq; in Græciâ aduersus Tur-  
 carum gentem, ac ipsos communes Christiani nominis ho-  
 stes transferendum: Propterea se nemini nociturum, pacatò  
 facturū iter, & quæ alendo exercitui necessaria forent, præ-  
 senti pecunia persoluturum. Dum hæc in Aethruria gerun-  
 tur, Obigninus & Calatinus in Aemilia copijs atq; animis  
 aucti, ad Mordanum Forocorneliensium castellum processer-  
 re. Castellani persuasi à Marino Mercatello Catharinæ Sfor-  
 tiæ præfecto, qui præsidij causa aliquot armatos introduxe-  
 rat, portas clauserant, ac muro fossisq; confisi, Gallos oppi-  
 do excidium, ni statim reciperentur comminantes, lapidi-  
 bus ac sagittis summouere cœperant. Ea iniuria accensi Gal-  
 li elatis animis nequaquam ferentes, quod tantulum oppi-  
 dum, tanti exercitus impetum sustinere auderet, tormenta  
 promouent, muri partem deiciunt, & fossam transcendere  
 conantur. Sed ea re parum prospere tentati, aliud cōsiliū  
 capiunt: Quoniam fossæ multitudine aquarum stagnantes,  
 neq; superari nisi certo cum periculo, neq; extrui sine mul-  
 to militum labore poterant. Tormenta itaq; contra portam  
 dirigunt, ut tolonem trabem, cui pons subductilis ad suble-  
 uandum cathena suspenditur, tormentorum pilis effringe-  
 rent. Acciditq; ut ad unum atq; alterum falconis ictum, ca-  
 thena trabeq; perfractis, pons ipse concideret, irrumpenti-  
 busq; Heluetijs & Gallis, oppidum extemplo caperetur.  
 Tantus porrò certatim incumbentiâ impetus fuit, ut multi  
 à lateribus in fossam decedentes, sed multo plures ipso præ-  
 mentium pondere ruptis pontis asseribus præcipitati in præ-

## PAULI IOVII HISTOR.

latos & limosos fuisse gurgites, sædè perierint. Nec morâ Galli amissorum commilitonum dolore concitati, ut ceteros uno crudeli exemplo à simili pertinacia deterrerent, præstiduum oppidanosq; omnes ad unū, quibus neq; latebræ, neq; Deorum templa in quæ confugerant profuere, inusitata rabie trucidarunt: Ita ut neque senibus neque foeminis, neque ipsis, crudele uisu, pueris, barbara feritate pepercissent. Cuius inhumani facinoris fama peruagata totam Italiam, sicuti maximo terrori omnibus fuit, ita Gallorum genti, quam pleriq; moribus nostris nõ omnino dissimilem putabant, incredibile odium concitauit. Mordano amisso, Catharina miserabili seruorum clade percussa, Ludouico etiam patruo plurimum impellente, Aragoniorum partes deseruit. Hisdem ferme diebus, Ioannes Galeacius diuturna ualitudine conflictatus, Ticini uita excessit. Eo nuncio accepto, Lodouicius qui regem in Lunensem usq; agrum fuerat comitatus, Mediolanum aduolauit, ubi iustis insigni pompa funeri perfolutis, optimatum consensu ad imperium euectus est, qui in tanto rerum motu imperij summam infanti minime deferendam esse dicebant, quanquam illud Francisco Ioannis Galeacii filio certo successione iure deberi uideretur. Fuere ea tempestate complures, qui Ioannem Galeacium lentis atq; mortiferis potionibus ab eo perneatum fuisse putarent: quod fortasse nobis pro constanti esset affirmandum, nisi eius ambiguae rei indicia, fallacibus innixa coniecturis, incertã admodum opinionis fidem, curiosis & medicis reliquissent. Deberi etenim sibi imperium Ludouicus prædicabat, quod ipse natus esset, dũ Franciscus pater Mediolano uirtute parato potiretur. Contra Galeacium, qui etatis prerogatiua inductus defuncto patri successisset, in humili adhuc parentum

for-

Fortuna genitum, atq; in Firmana Piceni arce susceptū, praepostera successione principatus, Fortunam, in qua neq; Diij neq; Fata eū nasci uoluisse, respicere minime debuisse. Diplomata quoq; aliquāto post à Maximiliano Cesare, trecentis milibus aureorum nummū impetrata, quibus Ludonico liberisq; eius, spociosis admodum titulis, Mediolani, finitimarumq; urbium imperium, augusta Caesaris autoritate, adiudicatum est. Ferdinandus aduersis Acthruriae motibus percussus, simul permotus Catharinae defectione, quod medijs ditionis eius in finibus erat, Obigninumq; et Calatinū aduentu nouorū militum firmiores factos appropinquare cognouerat, ad Castrocariū, quod olim in Apennini radicibus Salsubii fuit, retrocessit. Ad iter per uias multo luto ac frequentibus saxis impeditas, noctemq; cum tenebris, tum seuis & imbribus foedam, maxima cum tripidatione laboreq; confectum est. Nec Salsubiani portas aperuere, qui paulo ante singulari studio eum omnibus rebus adiuuerant, uixq; Ferdinandus alimenta afflictis inedia militibus impetrauit, quae egrē & prius accepta pecunia canistris & funibus e muro demittebantur. Ad eō enim mobilis ac infida populorū natura est, ut facile quos desertos à Fortuna conspexerint, statim soluto pudore destituant. A Salsubio in Cesennatē agrum digressum, missusq; Petilianus ad Cesennatium Senatum, qui daret operam, ut ab his prouiso conmeatu, designatisq; hospitij, exercitus intra moenia reciperetur. Exulabat tum Cesenna Guido Guerra, uir sauiosus, & bello acer, qui multos in urbe amicos clientesq; habebat. Hunc Obigninus & Calatinus idoneum rati per quem ad introcludendum Ferdinandum, Cesennā occuparent, pecunia, armis, auxilijsq; instruit: ad tentandos ciuū animos maturare iubent, ad cer-

PAVLI IOVII HISTOR.

tum itineris spatium Fracassam Sanseuerinum cum ala equitum qui subsidio foret, subsequi adesseq; precipiant. Guido qui suos fecerat certiores, et tempus patrandæ rei constituerat, primo aduentu à Bartholomæo Notario Guerriane factionis homine introducit: tota urbe ad Guidonis uocem tumultus exoritur: factiosi arma corripunt, quorum sulctus auxilijs Guido in prætorium curiamq; aduolat: Petilianum de comæatu cum decurionibus deliberantem iniecta manu capit, custodiendumq; ipsis senatoribus tradit. Erat perturbatus rei nouitate Senatus, nihil publicè in repentino casu consuli prouideriue poterat, quæ quisq; domum, liberos, fortunasq; suas in eo periculo potius respiceret, quàm quale quantumq; facinus esset admissum intueretur. Nam dum Petilianum à ciue capi, in conspectu Senatus, & Aragonios qui ingressi cum Petiliano erant, capi dispoliariq; permitterent, manifestè à Romano Pontifice rebellabāt. Iam tota ferme ciuitas, Guidonis, Gallorumq; signa sequebatur, quum Alfonsus Daualus & Liuianus, his rebus cognitis, cū delecta equitum peditumq; manu Cesennā per arcem Ioanne Caroccio custode, pontes ex templo demittente, ingrediūtur. Committitur repente præliū media in urbe. Ipse Guido ingenti protectus scuto, cum paucis familiaribus, fretus uiarum angustijs, Aragonios sustinet: mox auctus nouis clientium, militumq; subsidijs, eos longius propellit. Porrò Aragonij superuentu Germanorū qui dudum è Venetia nauibus transuecti in castra peruenerant, pugnam instaurant. Daualus & ipse pedes ante alios insignis, cominus cum Guidone congregitur, acriter utriq; contendunt, Gothifredus & Gaspar Germani cohortium præfecti, impigrè prælio succedentes uulnerantur, multi cadunt, utrisq; ex omnibus locis auxilia, sed

maiora Aragonijs aggregantur. Postremò, quã Fortuna sapius, modo his, modo illis, uictorie spem ostendisset, Guerriani uirtute Germanorum pulsì disiectiq; cum magna cæde in fugam uertuntur. Ipse Guido per tumultum à suis in equum illatus, è manibus hostiũ uulneratus effugit. Fracassa uerò qui tardius iter fecerat, cognito Guidonis casu, priusquam portis appropinquaret, in castra reuersus est. Vrbe recepta, & Periliano custodia educto, Ferdinãdus magno metu atq; periculo liberatus, Cesennam uenit. Eius aduentu domus aduersæ partis quæ Guidoni fauerat, ut milites gratuito penuarijs copijs alerent, exercitui, prædæ loco conceduntur: & Bartholomæus qui Guidonem introduxerat, latebra extractus supplicio afficitur. Galli Cesenna exclusi, de occupando Britonorio consilia inibant: exulesq; præsertim qui repetendæ patriæ auidi, in eorum castra confluxerant, præmijs atq; pollicitationibus inducebant, ut per illos amicitiam eius factionis hominibus imita, urbe potirentur. Ceterum Ferdinandus opportunitate uicinæ urbis permotus, cognitis eorum consilijs, eò cum cohortibus duabus tribusq; equitum turmis Liuianum celeriter præmittit, cuius aduentu, eorum consilia qui iam animo defecerant, oppressa, omnesq; demum ciues in fide Pontificia confirmati sunt. Britonorio à Brinto uetere oppido nomen inditũ putamus, quam id nonnulli à Britonis Aquitanie populis qui urbem instaurarint appellatum credant. Erat Theodorani propinquo oppido Gallorum equitum manus, quæ per agrum inter Cesennam & Britonorium uagabatur. Huic sæpe insidias Liuianus frustra tetenderat, quòd illi nisi magna manu explorato atque inter diu nunquam exhibant: hos, quum doctis nihil proficeret, uir audax tentandaq; semper Fortune



PAULI IOVII HISTOR.

audus, uera ui aggredi constituit. Itaque coactis omnibus  
 copijs, adiunctisq; sibi oppidanorum promptissimis, noctu  
 itinere confecto, prima luce Theodoranum adoritur: debi-  
 le oppidum, Gallis repentina re consternatis, acriter tamen  
 se defendentibus, celeriter expugnat ac diripit. Galli equi-  
 tes magna ex parte in arcem relictis equis confugere, quos  
 quum biduo continenter oppugnasset, atque ipse dum in-  
 cautius murum subit, sagitta uulnus accepisset, superueni-  
 ente Ferdinando, omnes ad unum in potestatem redegit. Ve-  
 rum Ferdinandus, quum Annibal Bentiuolus Florentinorum  
 equitum praefectus, quod commutato Reipublicae statu, om-  
 niumq; studijs ad Carolum conuersis, salua fide militaris sa-  
 cramenti, diutius eius in castris esse non poterat, impetrata  
 missione discessisset, & passim a peditibus desereretur, retrò  
 abiens per Umbros Romam contendit. Ex itinere Ioannes  
 quoq; Sfortia & Guido Feltrius, cum suo quisq; equitatu,  
 hic Vrbinum, ille Pisaurum, rerum suarum metu concesserunt.  
 Obigninus uero Salsubianis iugis Apenninum transgressus,  
 ad Carolum in Aethruriã descendit. Per eos dies Franciscus  
 Piccolhomineus cardinalis, qui postea Pontificatum est ade-  
 ptus, ad tractandã pacem à Pontifice legatus ad Carolum in  
 Aethruriam uenit. Sed is neq; auditus, neque in castra rece-  
 ptus est, quum regi atq; proceribus ob recentem adhuc pa-  
 trui Pij Pontificis memoriam esset inuisus, quod ille, superio-  
 re Neapolitano bello aduersus Andegauenses, à Ferdinando  
 Aragonijsq; partibus stetisset. Carolus paucos Florentie mo-  
 ratus dies rebus compositis, Senas uenit. Excepere uenien-  
 tem Senenses, portis ac regionibus festa fronte exornatis:  
 lauteq; ac liberaliter Gallos milites per domos hospitio sus-  
 ceperunt. At rex primo aduentu cohortem praetoriam, quae

stationem in foro habere, & presidio decurionibus esse confucuit, denunciata per præconem eade, ni extemplo arma ponerent, locoq; decederent, foro urbemq; expulit. Senis per Vlsinius Viterbium exercitus est ductus: Eam urbem ex Foro Cassij ruinis creuisse putauerim: huius enim in proximo non obscura nestigia, in ipsa silice constrata uia Cassia uisuntur. At Pontifex, qui Ferdinando eiusq; exercitu in urbem recepto, et conscriptis tumultuarijs cohortibus, Romanoq; populo arma capere & patriam tueri iusso, Gallos urbe prohibiturus esse uidebatur, Caroli successu & celeritate uictus, ad eum legatos misit, qui orarent, ne sacrosanctam urbem, sacrorum domicilium, Pontificis optimorumq; antistitum sedem, cui aliquando etiam barbarus Atila pepercisset, turbandam uiolendamq; tanta multitudini externorum militum præbere uellet. Quod si uti Christianum atq; eius cognominis regē diceret, augustæ urbis religione tangeretur, ingressuq; abstineret, Pontificem eorum omni officio satisfacturum, comitatusq; militibus idoneis in locis præbiturum. Carolus ad ea respondit, se priusquam Gallia fines exiret, uoto pro salute foelicitateq; suscepto, decreuisse Romana templa inuisere: sanctissimas Petri Pauliq; aras uenerari: ipsumq; Pontificem, qui pietatis religionisq; fastigium obtineret, suppliciter adorare. Proinde si Pontifex Aragoniorum hostium suorū copias urbe emitteret, mediamq; personam, uti par esset, ipse augustus & sanctus induceret, comitatusq; expediret, se amicè pacatoq; agmine ingressurum urbem: quod si uim pararet, & sibi obsistendum arbitraretur, se sibi uiam confestim per urbem Romā, ac Tyberinos pontes armis aperturum. Ioannes quoque Andegauensis Episcopus, qui eadē Pontifici coram populoq; referret, cum le-

## PAULI IOVII HISTOR.

gatis Roman distinatus est. Erat Alexander, ut sepe accidit, quum dubijs periculosissq; consilijs agitanur, ueluti in supremo rerum casu uehementer animo consternatus. Formidabat iuuenem regem inimicorū suorum innixum consilijs, qui tantam ferocium gentium multitudinem traheret, quata multos ante annos, Italia suo tantum militi, & lenioribus bellis assueta, nunquam uidisset. Timebat Ascanium quem paulo antè, data fide, cum Prospero custodia tradidisset: summoq; dolore angebatur, quod Iulianū Rouerē infestum hostem suum apud regem in honore esse, & summam cum auctoritate consilijs omnibus interesse didicerat. Colūnam quoq; et Sabellum cardinales cū ceteris eius ordinis Ascanij clientibus, qui se ab initio ad eius nutum auctoritateq; contulerant, de indicendo concilio, ut ipse sacro rerū fastigio deiceretur, agitare intelligebat. Id unū enim concilij nomen supra ceteros infelices humanarum rerum casus, maximo terrori Pontificibus esse consuevit: Quod pleriq; in his conuentibus, dum de Republica Christiana referunt, placita religionis interpretantur, & ad castigandam sacerdotū luxuriā censorias leges condūt, ipsi Pontifices Pontificio iure circumuenti, eiurare supremam dignitatē, seq; demum pontificatu abdicare coguntur. Hoc metu, armati reges pontifices terrent ac subigunt, quando omni tempore ex dissidio cardinaliū, facilem ad cogenda huiusmodi concilia occasionem inueniant. Idq; propterea fit, quoniam cardinales inter se factiones simultatesq; exerceant, et quadam nouarum rerum libidine ac liuore ducti, Pontificem, quem ipsi suis studijs atq; suffragijs extulerint, repente fastidiant, aut odio prosequantur. Pauciq; admodum cardinales, inuitis etiam pluribus, indicendi condendiq; concilij uetere Pontificū decreto

ereto potestate habere uideri uolunt. Igitur Alexander suadentibus amicis, Ferdinandum monet, ut postquam adeo inpoteter à Fato pariter atq; ab hoste urgeatur, incolumi exercitu ab urbe discedat, & maturè ad firmanda Regni claustra, quæ ad sanctum Germanum Casinatis saltus angustias pertinent, in Campaniam proficiscatur. Nec multo post Ferdinandus qui ab Alfonso patre etiã fuerat reuocatus, quum prima iam Gallorum agmina Lignino duce Ostiam è Viterbio contendissent, & regia uexilla Mario in iugo apparere inciperent, Latina porta sub signis exercitum eduxit. Decreti subinde è Romanis optimatibus oratores, Hieronymus Portius, Coronatus Planca, Christophorus Bubalus, Ludonicus Matthæius, Marius Mellinus, & Iacobus Sini baldus, qui regi Gallo urbem ipsam, priuatas domos, & magnam copiã commeatus omnis generis per fora expositam Pontificis populiq; Romani nomine offerrent, uenientemq; introducerent. Iam Carolus Sutrium uenerat, ubi memorabili iudicio iureconsultum Sutrinum, qui præferocem Gal lum equitem, contumelia lacepsitus occiderat, è uinculis causam dicentem, quanquam irato frementeq; exercitu absoluit: Sutrioq; profectus ad Braccianum castra promouerat. Est id ad Sabitinũ Lacum inter uiam Cassiam & Aureliam, ad oppidum Anguillarum, quæ Fidenatiũ urbs nobilis antiquitus fuit. Ea oppida cum Triuiniano atq; Galeria Verginij Vrsini ditionis erant, quibus timens Verginius, ne pri mus ipse hosti præde auido, quòd Aragonijs præesset copijs, seuiendi materiam præberet, Carolum filium ad dedenda oppida, et regem in ea arce, quæ in summa loci anconitate subiectum despectat lacum, hospitio excipiendum præmisit. Tri duo post Carolus armatis distinctisq; peditum & equitum

PAVLI IOVII HISTOR.

ordinibus, Flumentana porta Urbem inuectus est. Præcesse-  
 rant longa Heluetiorum Germanorumq; agmina iustis pas-  
 sibus ad tympanorum pulsum, dignitate quadam militari  
 atq; incredibili ordine sub signis incedentia. Veste omnes ua-  
 ria ac breui & singulos artus exprimente utebantur. For-  
 tissimus quisq; plumeis cristis pileo surgentibus, insignis su-  
 per cæteros eminebat. Arma eorum erant breues gladij, atq;  
 haste fraxineæ denu pedum, angusto præfixe ferro. Quat-  
 ta ferme eorum pars ingentibus securibus, quarum è summo  
 quadrata cuspis prominebat, erat instructa, has cæsim pun-  
 ctimq; feriendo ambabus manibus regebat, Alabardæq; eo-  
 rum lingua uocabantur. Singula autem peditum milia sclo-  
 pettariorum centuriâ habebant, qui paruis tormentis plum-  
 beas glandes in hostem emittunt. Milites in uniuersum quum  
 densatis ordinibus conferti prælium incant, thoracem, gæ-  
 leam, scutumq; ita despiciunt, ut solis centurionibus atq; his  
 qui Phalangis principia explere, & in prima agminis fron-  
 te pugnare consueuerint, galeæ, & ferrea pectoralia conspi-  
 ciantur. Hos quinq; Vasconum milia sequebantur: balistarij  
 ferme omnes, qui scorpionibus arcuferreis, puncto tempo-  
 ris tendendo sagittandoq; peritè admodum utebantur: Quod  
 genus hominum cultu aspectuq; admodum deforme, Helue-  
 tiorum comparatione uidebatur, quum illi capitum orna-  
 tu & armis splendidis, ipsaq; proceritate plurimum emine-  
 rent. Peditum uestigijs equitatus institit, ex omni totius Gal-  
 liæ nobilitate conscriptus. Is sagulis sericis, cristis, torqui-  
 busq; aureis perornatus, longo turmarum alarumq; ordine  
 procedebat. Erant cataphracti bis mille & quingenti, et bis  
 totidem leuis armaturæ equites. Illi crassiore striatâq; hasta,  
 solido mucrone, clauaq; ferrea, uti nostri consueuere, ute-  
 bantur.

bantur. Equi eorum robore ac magnitudine præstantes, iu-  
 bis auribusq; defectis, quòd ita decere Galli existiment, fero-  
 ciores apparebant, uerum ex eo minus eràt conspicui, quòd  
 tegumentis recocto è corio confectis, uti nostris mos est, ma-  
 gna ex parte carebant. Singuli cataphracti ternos habebant  
 equos, puerum armigerum & ministros duos, quos substi-  
 diarios laterones appellebant. Leuis eques ingenti ligneo ar-  
 cu Britannorum more, maiores sagittas emittit, thorace, ga-  
 leaq; contentus est. Aliqui eorum tragulas gestant, quibus  
 stratos à cataphractis hostes in prælijs, impressa cuspide hu-  
 mi configere consueuerunt. His omnibus sagula erant, acu-  
 bracteisque argenteis picta, in quæis specioso opere ad notan-  
 dam in prælio equitum uirtutem uel ignauiam, propria du-  
 cum insignia prætextis imaginibus exprimebantur. Quæ-  
 dringenti hippotoxotæ, in quibus centum erant è Scotorum  
 gente, uirtute fideq; præstantes, regis latera stipabant. Sed  
 ante hos ducti equites Galli, à spectata uirtute nobilitateq;  
 delecti, clauas ferreas magnis securibus pares, in humeris  
 gestantes, cultu insigni circa regem pedibus euntem uersa-  
 bantur, porrò quum equitante, cataphractorum more exi-  
 mii in equis, auro purpuraq; spectabiles prodibant. Iuxta  
 eum primo in loco comites aderant Ascanius ipse & Julia-  
 nus: secundum eos Columna atq; Sabellus cardinales. Præte-  
 rea Prosper atq; Fabritius, ceteriq; Itali duces Gallorū pro-  
 cerum turbe immixti. Parata erat ad regem hospitio exci-  
 piendum Diui Marci templo coniuncta domus, Pauli secun-  
 di Pontificis sumptu ex Amphiteatri lapidibus structa. Ci-  
 uium quoq; ædes Traiani foro proxime, proceribus pate-  
 bant, ad quas multa iam nocte luminibus accensis peruen-  
 tum est. Erant tot equitum peditumq; agmina, non pompæ

PAULI IOVII HISTOR.

modo ad speciem decoremq; ostentandum exornata, sed instructa bellico more omnibus armis, tanquam in ipsa urbe foret dimicandum: Ita ut omnium mentes eo spectaculo facile terrerentur. Id quoq; metum stupentibus addebat, quod uiri, equi, uexilla, arma tot passim funalibus in equali splendore, incertam præbentibus lucem, ampliora ac maiora uerò uidebantur. Plurimum autem admirationis atq; pauoris omnibus intulerunt tormenta curulia supra triginta sex, quæ equorum iugis per æqua pariter atq; iniqua loca incredibili celeritate ducebantur: maxima eorum, longitudine octonũ pedum, pondere uerò, sexmiliũ librarum æris, Cannones appellabantur, quæ æquali tubo humani capitis magnitudine ferream pilam emittebant. Secundum Cannones erant Colubrinæ, sexquialtera longiores, angustiore tamen fistula, pilæq; minoris. Sequebantur falcones ad eò certa portione maiores ac minores, ut minimis tormentis, pilæ Medico malo persimiles emitterentur. Ea omnia binis crassis asseribus superinductis, fibulis erant inserta, suisq; suspensa ansis, ad dirigendos ictus medio in axe librabantur. Minoribus rotæ binæ erant subiectæ, maioribus autem quaternæ, quarum posteriores ad cursum incitandum aut sistendum exemptiles erant. Tanta autem celeritate eorũ magistri atq; aurigæ huiusmodi cursus circumagebant, ut suppositi equi flagellis ac uocibus concitati, expeditorũ equitum cursum, æquioribus in locis adæquarent. Deducto rege, designatisq; per priuatas domos hospitij, Galli, triuia, omniumq; regionum aditus qui ad Marcianas ædes pertinebãt, tormentis & certis equitum ac peditum præsidij consessere, binæq; milia equitũ quæ singulis senis horis per uices stationem agerent, in campo Floræ collocata. Tumultuatum est haud semel to-

ra urbe, quum Romana plebs suopte ingenio turbulenta et  
 procax, insolentium Gallorum minaces, accentuq; superbas  
 uoces, & feros Germanorum uultus ferre non posset. Ipsiq;  
 externi milites in popinis, & lustris plerunq; à multo uino  
 truciores facti, rixae passim cū obuijs miscerent: Inde q; te-  
 mulentia calentes & incauti noctu maximè per infrequen-  
 tia urbis loca, à sicarijs atq; lenonibus cederentur. Expugna-  
 ta est magno Heluetiorum Vasconumq; impetu Bancarum  
 domus, ac in ea quidam è plebe Galli militis percussores, tru-  
 cidati, confosso ibidem Marco Matthæio Patritij ordinis. In-  
 ualuitq; subinde fama in tanto strepitu, ac dissono clamore  
 celeriter peruagata, urbem capi, ac diripi opulentas domos  
 à Barbaris. Quo tumultu cepit arma Romanus populus, ut  
 dignitatem Martiae gentis, fortunas, uxores ac liberos tuere  
 tur. Sed ea die, dii superi almae urbis tutelares, luætuosum id  
 certamen, supremumq; rerum omnium periculum auerte-  
 runt, quum Prosper, Giensis atq; Ligninus à rege ad ciues  
 militesq; transmissi, deterrendo, dirimendoq; coeptum iam  
 multorum concursu et clamoribus tumultum oppressissent.  
 Vrbe Roma dubijs Gallorum armis occupata, Alexander,  
 qui metu anxius atq; incertus consilij, in Hadriani molem  
 confugerat, oratores de pace ad Carolum misit. Fuere ij sena-  
 torij ordinis antistites longè clarissimi, Antonius Pallauici-  
 nus, Ioannes Alexandrinus, Bernardinus Caruaial, & Ra-  
 phael Riarius, qui longo uerborum circuitu orsi à Carolo  
 Magno, cæterisq; Gallorum regibus, qui insigni pietate rem  
 pontificiam aduersus tyrannorum iniurias generosè defen-  
 dissent: monendo adulandoq; pacem impetrarūt: his tamen  
 legibus, quibus eam uictis uictores dare consueuerunt, sic,  
 ut complures, qui Hispani hominis ingenium nouerāt, eans



PAULI IOVII HISTOR.

Pacem tanquam ui expressam haud multum duraturam dicent, quòd Galli aliquanto arrogantius quàm deceret, pontifici prescripsisse uiderentur. Promittebat rex Gallus se bello & pace amicum sociumq; futurum pontifici, ueneraturumq; eum maiorum more, uti uerum Christianæ religionis principem: neq; unquam his in rebus quæ religionē placitaq; pontificum respicerent, ab eius auctoritate discessurum. Cōtrā uerò postulabat, ut portus ciuitatis ueteris cum arce apud Centum cellas sibi dederetur, ad classem Gallicam quæ Tyrreni maris oram legebat excipiendam, & Casarem Borgiam filium, qui tūc cardinalis erat, obsidem daret, qui suscepta legatione ad honoris ac amicitie speciem, quatuor menses castra Gallica sequeretur, traderetq; item Gemem Bataxetis Othomani fratrem. Is tum in Vaticano in libera custodia seruabatur, quòd eum Galli transmarino in bello sibi magno usui futurū existimarent. Hunc aliqui scriptores Zizimum imperitē uocarunt, quum Gemes de nomine Parthorum inchyti regis appellaretur. Postremò in gratiam suam Galliciq; nominis honorem, Briffonetum in collegium cardinalium cooptaret. In hæc omnia pontifex, nec ulla quidem conditione reiecta, facile consensit: ut qui iam in animum induxerat, neminem ulla datæ fidei religione teneri, qui uimetusq; subactus iniqua atq; indecora pontificis maiestati spopondisset. Itaq; in colloquiū amicitia omni uerborum atq; hilaritatis artificio simulata, in Vaticano deuentum adorauitq; pontificem proiectus rex, omnisq; demum turba procerum & ducum, obsignatos aureis crucibus pedes osculata est, obiterq; pontifex senatoriæ purpure ornamenta Briffoneto de manu tradidit. Postremò Gemes ipse productus est, tabulisq; super ea re publicè confectis, Carolo tradit-

traditus. Is regiam manum ac humerum osculo petiuit, precatusq; est graui oratione pontificem, ut se tanto regi, qui orientis imperium animo concepisset, enixe commendaret: futurum enim esse, uti neq; pontificem concessa libertatis, neq; regem adsciti comitis, quum in Græciam traiecisset, si consilio suo uteretur, ullo tempore pœniteret. Erat Gemes aspectu planè regio & graui, ingenioq; item Arabicis literis uehementer exculto, promptoq; ad serenda falsa urbanitatis diæteria, ubiq; demum corporis & magnitudine animi sua stirpe minimè indignus. Is paucis ante annis mortuo in Asia patre Mahomete, quanquam ætatis prerogatiua superabatur, fretus tamen populorum ac militum beniuolentia Ciciliæq; regulatorum opibus, armis de imperio cum Baiazete fratre contenderat uictusq; in Prusiæ campis, & aliquanto post in Lyconia ad Iconium amisso exercitu, Rhodum profugerat, ratus non defuturos sibi ad repetendam Asiam Christianos, quos propter antiqua odia recentesq; iniurias, et Asiæ incommodis & Baiazetis periculo magno pereletaturos existimabat. Sed alios quàm putarat Christianorum animos inuenit, à Buffonio nanq; Rhodiorum equitum magistro carcere inclusus, & aliquanto post, ut tutius atq; humanius seruaretur, in prouinciã Gallie finitimam est transmissus. Nec multum inde Innocentius pontifex cum Buffonio transegit, ut è Prouincia Romam adueheretur. Quare impetrata, non multo post ipse Buffonius, quæ Rhodus egregie defensa, omni honore dignum effecerat, & hoc quoq; merito in collegium cardinalium receptus est. Fuitq; Romæ Gemes magnum uestigal ipsis pontificibus per aliud quod tempus, quum Baiazetes alendo fratri quotannis quadraginta milia aureorum nummum pontifici numeraret.

PAVLI IOVII HISTOR.

Ingruentibus autem in Italiam Gallis, Alexander, inito iam cum Aragonijs foedere, Georgium Bucciardum natione Ligurum Turcica peritum lingua ad Baiazetem misit, qui doceret quanto apparatu, quantisque clasibus rex iuuenis gloriae & profrendi imperij cupidus, Neapolitanum regnum inuaderet: quantisque demum opibus confecto statim Italico bello in Graeciam esset traiecturus: propterea cum enixe petere, ut Gemes sibi traderetur, cuius aspicijs, propter magnas paterno in regno necessitudines, cuncta sibi faciliora eo bello futura consideret. Caterum pontificem, qui Gallos, gentem admodum superbam imperijsque audiam suspectam haberet, atque urbis Romae totiusque Italiae periculo plurimum angeretur, cum Alfonso foedus percussisse, paratosque esse communi consilio, eius gentis impetus terra marique sustinere; quando neque milite neque clasibus egerent, modo alicunde pecunia iuuarentur. Vna autem ea ratione Baiazetem, si quota sua parte aurum in stipedia suppeditaret, Graeciae rebus opportunè consulturum: siquidem urbem Romanam Neapolitanamque regnum Othomanici imperij fore munimenta, si aliena in terra bellum aleret, neque eo sumptu deterreretur: multo enim commodius atque facilius auro arceri hostes, quam ferro ac uiribus in ipso belli discrimine sustineri, quod ex rerum usu plerumque accideret, ut qui pecunia parcendo, remota pericula negligere contemnereque solerent, incumbentibus demum malis, desperato saepe remedio grauiora detrimenta sentire consueuissent. Baiazetes qui cuncta haec cum a speculatoribus tum multis etiam Alfonsi literis atque legationibus uera esse didicerat, Georgio gratias egit: quod se externum, & diuersa de Dijs atque religione sentientem, Alexander, qui sacri imperij fastigium teneret, adeo benignè amiceque de maximis

mis rebus tempestiue monuisset. Caterum suasisit ut cum Dau-  
 tio legato suo qui & pecuniam & secretiora de hisce rebus  
 mandata deferret, in Italiam reuerteretur. In his mandatis  
 erat epistola Græce conscripta, qua rex Barbarus multa ar-  
 te pontifici suadebat, ut Gemem fratrem tanquam alienæ re-  
 ligionis hominem, ueneno tollendum curaret: quem unum,  
 de imperio sollicitus, ob ingentes uiri uirtutes, si qua sorte  
 custodia euaderet, maxime formidabat. Id si præstaret pon-  
 tifex, ducenta milia aureorū nummum, integra fide se per-  
 soluturum promittebat: Christiꝫ; inconsutilem tunicam, si-  
 cuti paucis antè annis Longinianæ lanceæ cuspide transmi-  
 sisset, dono daturum: neq; unquam dum uita maneret, motu-  
 rum ultrò arma aduersus Christianos, secus ac Mahometes  
 pater & auus Amurathes, qui infestissimi Christiano nomi-  
 nis continenter bella gerendo, nunquã ab inferenda iniuria  
 cessauissent. Sed Georgius atq; Dautius Hadriatico sceliciter  
 enauigato, quum apud Anconam in littus descenderent, à Io-  
 anne Rouoreo Iuliani Cardinalis fratre, is ad Senogalliam  
 suæ ditionis excubabat, capto nauigio, pecunia reliquisq; re-  
 bus exuti sunt: quòd ille ob merita sub Innocentio stipendia,  
 multam à pontifice pecuniam sibi deberi prædicaret. Neque  
 Alexander ea iniuria perturbatus, quanquam illi omnia ho-  
 stilia minaretur & à Venetis opem imploraret, quorum in-  
 teresset Turcas toto eo mari inuiolatos præstari, quicquam  
 tamen ex ea pecunia, quæ annui attributi summam excede-  
 bat, recuperauit: quoniã Rouereus aduentantiū Gallorum  
 quorū partes sequebatur, præsidio fretus securusq; in Piceni  
 finibus, sacra pariter atq; profana irati pontificis arma con-  
 temnebat. Dautius ipse pedibus Anconam profugit, atq; in-  
 de ad Franciscū Gonzagam Mantuæ principē aduerso Pa-

PAULI IOVII HISTOR.

do delatus est, qui Barbarum, propter amicitiam quam cum Baiazete multorum numerum mutua liberalitate instituerat, benignè susceptum, donatumq; pecunia, & pretiosa veste in Græciam remisit. At Carolus qui pontificijs solennibus sacris astiterat, extraq; Trigeminam portam diui Pauli templum & ruinas admirabilium operum cupide spectauerat, Roma discedēs, multis de causis bipartitò aggreddendos sibi hostes esse iudicauit, quòd id consiliū paulo antè in Aethruria Aemiliaq; prosperè fuisset expertus, multumq; numero militum abundaret, unde facile diduci debilitariq; hostium uires necesse fore prouidebat, si diuersis regionibus alia atq; alia arma ac duo propè diuersa bella, pulsas iam atq; perterritas inferrentur. Itaq; Fabritium Columnam, Antonellumq; Sabellum, adiunctis Roberto Lenuncurto, qui à praefectura Vitriaci oppidi à Gallis Bailinus Vitrius uocabatur, Gratianoq; item Guerra, & Ciandeo cum Gallicis turmis, & Vasconum Heluetiorumq; cohortibus per Sabinum agrum praemittit, qui per Marsos in Aquilanorum fines irrumpant, atq; eam omnem Praecutinorum regionem, quæ Aprutij nomine nuncupatur, & Superum mare Apuliam atq; Campaniam per Apenninum lato ambitu contingit, ad deditiōem compellat. Venerat paulo antè Cellanum Liuianus missus à Ferdinando cum equitum manu, subitarijsq; cohortibus tribus, ut oppida circa Fucinum lacum impositis praesidijs tueretur: Sed is uiribus impar, nec tentato quidem certamine, his locis celeriter expulsus est. Tallacotium sub inde & Albam clariora Marsorū oppida, quæ tum Verginij Vrsini ditionis erant, Fabritius Columna recepit, quòd certo atq; antiquo iure ad Columnios pertinere dicebantur. Eodē quoq; uictoriae cursu, quum hinc Ioannes Ro-

*ueruus, illinc uerò Ioannes Paulus Cantelmus, Soranis saltibus occupatis, circumiectos populos ad defectionem sollicitarent, tota ea regio incredibili celeritate ab Aragonis defecit, reductusq; est in urbem Aquilam Ioannes Galiofius, qui patria exul spe recuperandi principis in ciuitate loci, columnios proceres & Castra Gallica sequebatur. Ab alia parte Carolus cum tota mole exercitus, Latina uia promotis castris ex itinere Montem Fortinum Iacobi Comitis oppidum in finibus Hernicorum expugnauit: Prosperoq; Columnæ, qui id hereditatis iure repetebat, in ditionem concessit. Vix dum Romanum agrum Galli excefferat, quum pontifex ingenti liberatus metu, noua consilia expedire, quæ diu ante uel præfente etiam rege æstuando, & iustum dolorem multa arte comprimendo concoxerat, & demum quibus poterat modis, Gallo hostilia moliri cœpit. Siquidẽ uti planè uir magni quidẽ animi, quiq; suæ augustæ dignitatis erat memor, quòd Gallus in ea sæda pace sibi adeò insolenter præscripsisset, ferre non poterat: Ostiense præsertim Centumcellanæq; arcibus ereptis, iniectas procul dubio sibi atq; urbi compedes existimabat, ratus superbum regem, qui ante uictoriam, dubijs etiam tum rebus tam seuos gereret spiritus, si Neapolitano regno potiretur, tum demum inflatum uictoria, cunctis quas uellet belli uel pacis leges impositurũ: Ipsamq; Romani pontificis auctoritatem, quæ hominum opinione potius quàm certis uiribus constaret, despectui protinus habiturum. Erat apud Carolum Antonius Fonseca Hispanus, uir bello et pace clarus, qui pro Ferdinando rege legationis munere fungebatur. Is cum Alexandro coniectos habebat sensus, & nixie Gallorum foelicitati, qui totam Italiam, cederetibus cunctis, solo nominis fulgore terribiles nec districtis*

PAULI IOVII HISTOR.

quidem gladijs percurrissent, plurimum inuidebat: uerebaturq; ne opulentum id regnū Hispanica stirpis occuparent: Quod uel ipsa populorum leuitate, & tanta Aragonij exercitus imbecillitate, Alfonso præsertim fatali quodam metu consternato, infirmissimum esse prouidebat. Hunc idoneum ratus Alexander per quem Gallorum impetum moraretur, et spes adderet Aragonijs, quo minus celeri desperatione succumberent, induxit: communicatisq; consilijs & uerbis super ea re cõceptis subornauit. Igitur Fonseca apud Velitras in consilio regis & procerum graui oratione habita, questus est quòd Carolus, qui aduersus Turcas bellum suscepisse eximia pietate uideri uellet, Romano pontifici uim intulisset: quum Centumcellæ ipsaq; Ostia Gallicis præsijs tenebantur: Gememq; Turcam extortū minis secum abduceret: ipsumq; pontificem & Senatores armorum strepitu subegisset: Valentinusq; interim cardinalis captiuo quàm obsidē similiar castra sequi cogeretur: Non idcirco Ferdinandum cum eo foedus, Perpenniano recepto, percussisse, ac fidē dedisse nunquā se à Pyrenæis hostilia moliturum, & dum Galli Italiam peterent omnino quieturum, ut tota passim Italia nobilissimarū ciuitatū status cõturbari Gallica libidine pateretur: ac sineret sacrosanctum pontificem ad iniqua foedera sancienda, summi periculi metu armisq; ac ipsis propemodum admotis bellicis tormentis cogi. Lucenses primum pecunia fuisse mulctatos: Mediceos inde, qui moderationis atque spendoris fama, toto terrarū orbe singularem gratiam cum magna gloria meruissent, patria atq; penatibus eiectos. Florentinos uerò, quibus ipse libertatem restituisse uideretur, detractis Pisis, multisq; eorum arcibus occupatis, & pecunia pariter mulctatos, & prægraui inuolutos bello. Porro

Senēses euerſo ciuitatis ſtatu, Gallorumq; præſidio accepto, non tam ſibi Gallorum aduentu uiolatam, quàm impotentè creptam libertatem queri. Non procul quoq; abſuiſſe urbem Romam, quin iterum à Gallis funditus euerteretur. Quo tumultu territus pontifex omniſq; ordo imbellium ſacerdotum, de ineunda fuga cogitarint. Sperauiffe Ferdinandum, qui iuſtitiam omni tempore coluiſſet, quantum ad Neapolitanam rem pertineret, Gallos prius ex aquo & iure, quàm bello ac armis diſceptaturos fuiſſe, quum pontifex eius controuerſiæ æquiſſimus iudex atq; arbiter haberetur, & Alſonſus iudicio pontificis ſe ſtaturum ſpõpondiſſet: idq; ſacra fide præſtiturum pontifex præſentibus Gallorum legatis recepiſſet. Proinde Ferdinandum, poſtquam nullo humani iuris & ſcriptarum legum reſpectu, regnum perpetua ſexaginta amplius annorum poſſeſſione, & pluribus pontificum decretis Aragoniæ regibus attributum, armis petere- tur, ſe Alſonſi regis, qui & neceſſitudine gentis, & ſanguinis atque familie coniunctione ſibi eſſet deuinctus, iniurias minimè neglecturum. Dicentem adhuc Fonſecam ſuborto fremitu Galli proceres interpellant, elatiſq; animis reſpondent, neq; iura ſibi deſuiſſe unquã, nec deſutura arma, quibus regna antiquæ ſuæ ditionis recuperet, tyrannorũq; hoſtiũ suorũ ſuperbos ſpiritus contundat: ſi Ferdinandus ſe Aragoniæ minimè deſuturum denunciaret, recentisq; ſcederis obliuiſceretur, parum ea re Gallos permoueri quum uellet, uires experiretur. Intellecturum enim protinus, quid rex Gallus laceſitus iniurijs, animis atq; opibus poſſet. Hiſpanos uerò equites ſi in aciem prodirent, continuo ſenſuros, quantum cataphracti Galli Mauroſ iaculatores, quibus ipſi Bethicis bellis inſucuiſſent, conſtantia atq; metu in ipſis con-



PAVLI IOVII HISTOR.

gressibus anteirent. Disceptatum subinde est acrioribus uerbis, quū utrinq; plures simul de ea re uehementissimè loquerentur: adeoq; inter se contendendo animis incaluerunt, ut Fonseca alioqui sedati uir animi, ira præferuidus libellum in quo fœderis capita utriusq; regis manu subscripta ac obstringata erant, in conspectu regis concerpserit: moxq; Ioanni Pititto Cerbellioni & Carolo Arelliano Hispanis, qui apud Gallum ordines ducebant, denunciari eos apud Ferdinandum reos maiestatis futuros, ni triduo Gallorum castris excessissent. Post id factum, Valentinus cardinalis, minus intentis in eius custodia Gallis, mutato habitu è Velitris Romam profugit. Nec multo post & ipse Gemes ad Caietam moritur. Eratq; constans fama Alexandrum, ut barbarus princeps inimici regis gloriæ atque spectaculo subtraheretur, ipseq; obiter propòsita à Baiazete præmia promereret, lethiferum puluerem saccaris, quibus Turca poculis omnibus uteretur, miscuisse. Is erat puluis ad fallendum candore mirabili, nec iniucundo admodum sapore, qui non acriore ui protinus, sicuti præsentanea uenena spiritus uitales opprimeret: sed sensu uenis illabendo, exitiabili tarditate grassaretur. Quo postea Alexander opulentos aliquot senatores, & postremò seipsum, incautè mutata lagena, sustulisse ferebatur. Sub id tempus Alfonsus, ut Gallicam classem toto Antiate littore ac finitimis portibus prohiberet, è Tarracina ad oppugnandum Neptunium duxit, quòd Antonellum Salernitanū, Bernardinum Bessennianum, & Claramontium regulos, tribus milibus peditū onerarijs nauibus impositis, è Genua paulo antè soluisse, & ad inuadendam Campaniæ oram aduentare cognouerit. Verum oppugnatione oppidi in prosperè tentata, quum fœde admodum tempestates sub-

ortæ

ortæ essent, repentina imbrium atq; uentorum ui oppressis  
 ac penè deletis castris, Neapolim se recepit. Sed & Gallicæ  
 naues eandem simili propè periculo fortunam tulerūt, quæ  
 seuiente mari difficili ac laboriosa navigatione in aduersa  
 Corsicæ littora delatæ, post superatas niuosis ac desertis in  
 locis terræ ac maris difficultates, portum Herculis tenuerunt.  
 Cæterum reguli cum multo maxima militum parte, ut  
 erant omnes maris tædio nauisq; confecti, pedibus Romam  
 ad Carolum contenderunt. Interea Ferdinandus in Casinate  
 agro ad sanctum Germanum occupatis Menianensis saltus  
 angustijs, suas atque paternas cõpias aduentantibus Gallis  
 opposuit. Hæ sunt fauces montium inter se coeuntium, quæ  
 descenditibus e Latio in Campaniam & Leborios cam-  
 pos aspero & conciso aditu, iter coarctant. Hæc loca per se  
 difficilia, adiectis insuper aggeribus multo impeditiora red-  
 diderat: finitimarumq; uallium ingressus quosq; ingentibus  
 arborum truncis, multaq; passim cæsa materia repente con-  
 seperat, ratus his claustris expugnandis distineri Gallos  
 posse. Sustinendo enim atq; cunctando, interim maiora pa-  
 rari præsidia, atque expectari hyemem, quæ à diuturna ac  
 insolita serenitate suas nondum niues ac pluuias effudisset,  
 tum uerò futurum, ut Galli qui impetu ac celeritate tantum  
 ualere, cum pabuli inopia, tum multis aliarum rerum in-  
 commodis afflictarètur. Erant Ferdinando equites cataphra-  
 sti bis mille & sexcenti, leuis armaturæ autem quingenti,  
 decora quidem ac ualida manus, par futura hosti, nisi Fortu-  
 na, quæ iam tum nimio plus Florenti Italiæ excidium para-  
 bat, et uirtuti & pristinæ eorum foelicitati nimium inuidis-  
 set. Sed peditatu Gallis longè erat inferior: quum neq; exer-  
 citatione neq; numero neq; armorum genere Italus pedes

## PAULI IOVII HISTOR.

subitario delectu magna ex parte coactus, Heluetijs atque  
 Germanis, qui omnibus Gallie bellis interfuissent, foret cō-  
 parandus. Idq; precipuè accidebat inueterata quadam Italo-  
 rum ducum consuetudine, qui per amplum equitatu alere,  
 eiq; uni rei impensius studere, soliti erant: nec peditem ma-  
 gnifacerent, quem expugnandis tantum urbibus idoneum  
 apertis autem in praelijs prorsus inutilem ducebant. Sfortia  
 etenim & Braccius Carmagnolaq; et Picininus, qui militiā  
 multis ante annis in Italia extinctā cum magna gloria susci-  
 tasset, multa bella solo equitum robore confecisse diceban-  
 tur. Durauitq; ea opinio pluribus annis apud imperitos  
 principes, quum prauis mercennariorum ducum consilijs  
 decepti, neglecta peditum cura, equites passim tota Italia si-  
 bi et prouincijs graues instituisent. Siquidem callidi duces,  
 qui crebris potius transfugijs quā uera uirtute insignes e-  
 rant, quum discordia principum opulentiores euaderent,  
 consulto inter eos alebāt bella, neq; ea unquam, si iusto pre-  
 lio certandum foret, ulla pleniore uictoria finiebāt, adeo ut  
 questui potius quā decori promercalem illam militiā ha-  
 bere uiderentur. Vnus tamē ante alios Franciscus Sfortia su-  
 periorum inscitiam, occulta illa fraude commistam, multis  
 suis aliorumq; periculis deprehendit, coepitq; e peditatu for-  
 tissimum quemq; bello ac pace pariter præcipuo in hono-  
 re habere. Vnde paucis annis effectū est, ut ille ueteranorum  
 maximè peditum uirtute, summam sibi gloriam, & per am-  
 plum imperium perpetua uictorarum foelicitate compara-  
 rit. Cuius consilia atq; instituta exacte uirtutis atq; prudenti-  
 e plena, si ceteri emulatione disciplinæ secuti essent, pro-  
 fectō Italiam tot seuis implicitam malis, quæ quondam cum-  
 stis gentibus bellicæ uirtutis auspicijs imperauit, neq; præ-

da, neq; ludibrio externis nationibus reliquissent. At Alfonso postquam se destitutum auxilijs, quæ frustra à Turcis pariter & Venetis implorat, tantiq; exercitus impetu, cui cuncta omnium opinione celerius tot itinera patuissent, oppressum ac circumuentum uidet, abdicare se imperio, Ferdinandq; filio cura rerum atq; imperij relicta, in Siciliam adnauigare constituit. Ingrauescebat enim indies intestinum malum, nec externis hostibus magis quam domesticis laborabatur. Oderant eum pleriq; regni proceres: Neapolitaniq; in primis, & singule ferme totius regni ciuitates: adeoq; pauci erant qui linguam moderarentur, ut alienati populi fremitus ad regias aures sepius penetraret. Accidit enim plerunq; ut ea odia, quæ diu in tyrannos stante eorum fortuna exitij timore dissimulantur, quum eorum res labare cœperint, acrius atq; liberius erumpât. Post detectam enim eam coniurationem, cuius capita fuerant reguli Sarnensis & Salernitanus, præter insitos mores, & asper & inmitis euaserat. Fueratq; in uindicandis iniurijs ulciscendaq; perfidia admodû seuerus & inexorabilis: Vtpote qui timeri malebat, quam humanitatis atq; clementiæ nomine laudari. Ingruente autem bello, pecunias adeò inclementer imperarat, ut priuatè ac publice multæ ciuitates contracto multo ære alieno ab immodicis fœneratoribus absumerentur. Ob earû rerum conscientiam ac imminentis excidij metum, ita erat animo percusso atq; abiecto, ut uir paulo ante fortissimus, & modo tanti nominis imperator, fatali quodam horrore perturbante, cuncta imperitè ac timide facere uideretur. His diu ac multum agitatus curis, quum omnino secedere decreuisset, Ferdinandum ab exercitu reuocauit, quem primo congressu inductum in intimam nouæ arcis partem,

PAULI IOVII HISTOR.

adhibitis amicorum præcipuis, in hunc modum alloquutus est. Si Dij immortales qui hæc terrena haud dubie respiciunt & regunt, hoc imperium Alfonso proavi tui insigni uirtute partum, auiq; Ferdinandi singulari defensum constantia, ac meis deniq; multis laboribus stabilitum, certa Fatorum lege mihi decreuissent, neq; in has urgentis belli erumnas incidissemus, neq; qui modo terrori atq; formidini cæteris eramus, tam seuis aduersæ Fortune fluctibus iactaremur. Nam quæ humana ratione prouideri potuere, omnibus prius non modo Europæ, sed etiam Asiæ regibus non una legatione nequicquam fatigatis, arma, pecunias, milites, classes, per quam mature parauimus, quæ omnia hætenus non hostium uirtute, non imprudētia uel ignauiā nostrorum ducum aut militum euersa sunt, uerum una uis Fati, Dijq; ipsi meæ antepartæ gloriæ huic sceptro, & capiti deniq; meo nimium infensi, cuncta retrouertendo nobis eripuerunt. Nec abnueram meam fortasse obnoxā aut grauiorem culpam, eos nunc me sentire infestos atq; aduersos Deos, quos sepius, dum famam egregijs militiæ factis extenderem secundos planè atq; propitios fuerim expertus. Sed nec ob id aut ueniā aut mitiore certè pœna fuerim indignus, quum multorū perfidia circumuentis, & in hac qua laboramus ararij difficultate, necesse fuerit à lenitate naturæ pristinisq; moribus nostris deflexisse. Non enim iisdem semper artibus reges magna imperia tueri possunt, quibus ea quæsierint. Ignoscendo, largiēdo, indulgendoq; regna leto admodū auspicio foeliciter inuentur. Cæterum quum praua inquietaq; hominum ingenia, audēdo, moliendoq; insperatas ex occulto tempestates cient, tum deniq; seueritatem pro clemētia, parsimoniam pro munificentia, pro facilitate autem ac lenitate, illiberalem du-

vioremq; naturam, utilia salutariaq; didiceris. Stat animo firmum ulla in blanda spe melioris fortunæ, edurando, ac pertinacius afflictarum rerū, euentum expectando ea numina nolite experiri, quæ quum semel irata fuerint, usq; quaq; humana consilia mille casibus inuoluunt, summa imis repente permiscent, & ante alia mentem quoq; ipsam impotenter eripiunt. Non prouocabo inquam ulterius iratos Deos: ne scilicet reliquæ spes omnes, quæ tibi ad ferendā gnauiter superadantq; huiusce belli imminentem procellam abunde supersunt, his meis male auspicijs consilijs euertantur. Cedā itaq; imperio, patria, penatibus, atq; ipsa demum Italia, ut quæ mea culpa nobis atq; Italiæ incidisse uidentur mala, & de formi exilio, et his erumnis meis expientur, mitiusq; tecum agere incipiant Ludonicus & Ascanius auunculi tui, qui dum me unum petere, & persequi uideri uolunt, quod immoderate eorum ambitioni scelestisq; consilijs obsistere ausus fuerim, non solum domui nostræ tanta necessitudine Sfortiano sanguini coniunctæ, sed toti etiam Italiæ funestas faces intulerunt. Igitur maxime uirtute fili quod Dijs, qui meliora mihi suadent, res saluas atq; hoc imperium incolume tibi faxint, accipe huiusce imperij insignia, aureum diadema, ac eburneum sceptrum, quæ sicuti mihi monente nunquam diutius retinere fas non est, ita huic tantæ indoli & fatali uirtuti tuæ merito debentur. Claresces indes foelici rerum euentu, superbisq; hostibus impones iugum, si, qui uerū militiæ laborem ex me haud indecoro exemplo discere potuisti, alteram ab ea quæ ueterem industriam meam modo elusit atq; destituit Fortunam aliunde quaesieris. Perorante Alfonso, omnibus obortæ sunt lacrimæ: Patremq; ipse Ferdinandus & ceteri non aliter ac fato functum luxerunt: interq; singultus translati

PAULI IOVII HISTOR.

imperij tabule, dictante Iouiano Pontano, concepte confe-  
 ctæq; sunt. Nec multo post Alfonsus cum pretiosa suppelle-  
 tile quatuorq; trirēibus, Mazaram Siciliæ urbem delatus  
 est. Ipse uerò Ferdinandus summo cum plausu gratulatio-  
 neq; omnium rex salutatur. Erat in eo iuue[n]e mirifica indo-  
 les bellicæ uirtutis. Nemo enim eo uel equitandi uel decur-  
 rendi agilitate atq; peritia admirabilior habebatur: Nemo  
 eum uitæ splendore atq; munditijs anteibat: Nemo deniq; co-  
 mitate, munificentia, liberaliumq; artium studijs apud ciues  
 æquè ac milites commendatior aut gratior unquã fuit. Eunt  
 regio habitu in publicum ab arce prouectum, peregritan-  
 temq; de more urbem, ordo procerum, togatorumq; colle-  
 gia, & ciuium primores inter faustas acclamationes populi  
 cuncta prospera atq; foelicia ominantis, solenni pompa co-  
 mitati sunt. Nec multo post, ciuib[us] atq; proceribus, quo-  
 rum animos redemerat atq; deuinxerat, cū humaniter oran-  
 do, tum pollicendo si uictor foret, se eorum fidei gratiam cu-  
 mulatè relaturum, de more sacramento adactis, & constitu-  
 tis urbanis rebus, in castra reuersus est. Iam Galli in Arpina-  
 tem agrum peruenerant: positisque castris ad Montem sancti  
 Iohannis, quod est oppidū Daualorum, omnem eum tractum  
 effuse populabantur. Erant præsidio impositi oppido tre-  
 centi ferme pedites, quos Alfonsus Daualus ex cliētibus suis  
 magna ex parte coegerat. Ii quum se satis uel debili muro tu-  
 tos fore crederent, nec tantam uim Gallorū tormentis, quan-  
 tum postea ipsorum aliorumq; periculo compertum est, in-  
 esse putarent, non modo clauserunt portas, sed et præconem  
 Gallum, ni protinus se dederent, insolentius cadem atq; in-  
 cendium denunciantem, penè uiolarunt. Id factum, quod in  
 Gallia uel summæ in loquendo libertatis præconem, quem  
 Aral-

Araldum uocant, uiolare nefas ducunt, superba gentis animos uehemēter accēdit. Nec mora tanta ui atq; ira militum oppugnatio cœpta est, ut paruo temporis momēto, nequicquam se tuentibus præsiarijs, Galli perforata atq; deiecta muri parte irruperint, neq; quisquam fermē eorum qui acrius resisterant cædi superfuit, quo spatio cæteri per aduersam portam quæ ad Lyrin ducit, effugerunt: sic ut imbellium salus (quod plerunq; accidit) strenuorum hominum morte constituerit. Cæterum oppidum direptum atq; incensum est. Tum uerò tantus ab ea crudelitate circumiectis oppidis terror illatus est, ut omnes, reputando animis, quæ clade Mordanenses paulo antè & Montefortinenses affecissent, arbitrarentur nulla mœnia, nullasq; copias in terris fore, quæ eorum tormentorum uim, tantiq; exercitus impetum sine summa pernicie sustinere possent. At Carolus promotis inde castris, ad sancti Germani saltum contendit, ubi Ferdinandus suis munitioibus se tenere, hostemq; ferocem & pugnandi auidum cunctando ludificari decreuerat, donec aut pabuli inopia, aut tedio hyemis, aliqua hostibus ex iniquo loco dimicandi necessitas imponeretur. Verum hyberni dies perpetua aëris serenitate, uernis æstiuisq; persimiles, Gallorum spei tam opportunè acciderant, ut quanquā omnē fermē pabulū ab Aragonijs paulo antè esset corruptum, ipsi tamen ex remotioribus locis facile pabularētur: ac omnium rerū copia florida hyemis beneficio plurimum abundarent: Adeo ut cuncta secunda atq; facilia Gallis, aduersa autem atq; aspera Aragonijs, fatorum ui ac superum consilio, præberi uiderentur. Sed dum Ferdinandus saltibus occupatis Gallorum impetum frustratur, Fabritius Columna quiq; cum eo erant Gallorum duces, urbe Aquila atq; omni



PAULI IOVII HISTOR.

eo tractu pulsus Aragonijs, ex Apennino in Campaniam descendere, illoq; itineris deflexu à tergo apparere cœperant, quo die ab antecursoribus Gallis turma una tironum equitum temerè uagantium intercepta est. Quibus nuncijs territus Ferdinandus, ne ab duobus exercitibus intercluderetur, motis repente castris, Capuam se recepit, obiecturus uictori hosti Vulturñ amnem, qui ab occasu mœnia præterlabès, neq; facile ponte iungi, sublatis omnibus nauigijs, neq; ob ripas admodum impeditas profundumq; alueum uado transiri poterat: quodq; unus tantum pons esset lapideus, quo urbs ipsa suburbanis ædificijs coniungitur, qui facile ex propugnaculis imposito præsidio defendebatur. Verùm & hæc quoq; consilia nouus in urbe Neapoli tumultus exortus interrupit. Populus enim per se mobilis, & rerum nouarum cupidus, ad fortunæ regiæ commutationem arma ceperat: factoque impetu in ludæos trapezitas, qui opinione diuturni fœnoris locupletes habebantur, eorum domos temporis momento diripuerat, totaq; urbs ob id factum ad defectionem spectare uidebatur. Quo improviso fortunæ turbine percussus Federicus patruus, ad Ferdinandum scripsit, ut postposita Capuæ atq; exercitus cura, subsidio perditis pene urbanis rebus uenire maturaret: multitudinē enim ad arma consternatam esse, populariq; petulantia cuncta confundi: iamq; edicta regia ac magistratus sperni: opus enim esse præsentis regis autoritate ad sedandos tumultus firmandumq; nutantibus ciuitatis statum. His cognitis rebus Ferdinandus quam magna animi perturbatione cōmotus erat, nec ullum his in malis consilium periculo uacuum inueniretur, ipse tamen animo non deficit. Duces orat atq; obtestatur, ut Capuam, dum ipse Neapolitanis rebus quietem afferat ac de-

munus

tum reuertatur, egregiè muniant atq; defendant: omneq;  
 certamen, ne uniuersi prælij casum subeant, tolerãdo ac susti-  
 nendo deuitent. Confestimq; Neapolim citato cursu conten-  
 dit. Mirum dictu quanta rerũ eius aduentu mutatio sit con-  
 secuta: positis enim armis, singulari omnium studio est salu-  
 tatus, sedatiq; omnibus locis tumultus. Erat enim adedò cello  
 infractoq; animo, ac uultu maximè ad promerendã gratiam  
 sereno, ut pro concione obnixè deprecanti, ne nefaria dese-  
 ctione se regem uel potius omniũ fratrem in ipso patriæ gre-  
 mio, apud omnium ordinum ciues familiariter educatum,  
 crudelissimis barbaris prodere uellent, certatim omnes for-  
 tunas ac liberos pro eius salute obtulerint, modo incolumi  
 exercitu Capua teneretur. Quòd si Aragonij pulsi, uel timo-  
 re acti inde excederent, & Neapoli uictor Gallus appropin-  
 quaret, cum iniquè impièq; facturum, si fidem datam à præ-  
 occupatis iusto metu ciuibus reposcendo, nobilissimã patriã  
 essetis nationibus uastandam atq; euertendam exponeret. In-  
 terea Carolus superato Lyriamne in Calenum & Campa-  
 num agrum ad Vultunum descendit, confestimq; & ipsius  
 oppidum Cales & Theanum Sidicinum ad eum defecere. Ca-  
 puani quoq; tametsi ueteri studio Aragonium nomen cole-  
 bant, de dedenda urbe agere cœperũt. Quorum animos per  
 se inclinatos ac fluctuantes, non multo post ad defectionem  
 impulit repentina Triuultij profectio. Is enim, quòd manda-  
 ta ad res aliqua æquitate componẽdas, à Ferdinando ad Gal-  
 lum se habere testabatur, Cales ad Carolum se contulerat:  
 ubi quum agẽdo nihil publicè proficeret, priuatim sibi con-  
 suluit: ascitusq; est Gallicæ militiæ cum eadem ala equitum,  
 quæ modo Aragonium stipendiũ merebat. Ea re Verginius  
 & Petilianus uehementer perturbati, quòd se exclusos scœ-

## PAULI IOVII HISTOR.

dere & planè desertos à Triuultio quærentur, cum suo equitatu Nolam profugerunt. Iam enim milites sine pudore equos & suppellectilem regiam diripere, passimq; turmatim dilabi, hostes appropinquare, & ipsi demum Campani aperte Gallicum nomen inuocare coeperant. In ea Aragonij exercitus consternatione ac fuga, Galli antecursores prouecti usq; in suburbana tecta, ultra Vulturnum, magnum tumultum edidere. Id conspicati Gothifredus & Gaspar Germani, repente cohortes porta ac ponte sub signis eduxerunt, ut Gallorum audaciam reprimerent, & Campanos quos pauidos & in fide nutantes cernebant, alacriter erumpendo, in fide atq; officio continerent. Sed uixdum inito leui certamine Germani longius progressi, à Campanis ponte ac urbe excluduntur. Tum uerò centuriones, qui modo ferocem hostem instando pepulerät, supplices ac proiceti in genua orare ac deprecari, ne cohortes fidelissimas benemeritasq; de ciuibus ac paratas pro urbis salute fortiter occumbere, Gallis ac Heluetijs insensis hostibus suis, trucidandas tradere uellent: Vixq; post multas preces, pudore metum uincente, à Campanis impetratum est, ut deni urbem ingrederentur: neq; alij prius succederent, quam primi aduersa urbis porta exiissent. Eo modo quum mæsti inordinatiq; Germani pariter ac Itali pedites atq; equites contingenti agmine Neapolim ire pergerent, Ferdinandum apud Auersam obuium habuerunt. Is quanquam omnia circum se ruere, & copias dissipatas esse cernebat, tamen progredi non dubitauit, delatusq; ad Capuæ portam, ne quicquam primores uerbis appellando ac precando, ut se introducerent, uexillum Gallicum in mœnibus cõspexit, nemineq; ex ueteribus amicis ac clientibus ad colloquium prodeunte, Neapolim reuersus est. Sed

Et ibi cuncta repētino Fortune impetu eversa prostrataq;  
 repperit. Præcurrerat enim sana Neapolim, Campanos de-  
 fecisse ad Gallos: Triuultium ad hostes transisse: ceteros au-  
 tem duces dispersis proditione ac metu omnibus copijs, fuga  
 sibi consuluisse. Quas ob res, Neapolitani, quum tumultu  
 iterum exorto & cunctis ad arma discurrentibus, aduen-  
 tanti exercitui portas clausissent, ac solum prope regem re-  
 cepturi uiderentur, Ferdinandus, copijs magno itineris fle-  
 xu ad Coronatam circumductis, in arcem se recepit. Nec mo-  
 ra multitudo opificum perditorumq; hominum ad diripien-  
 dum regis stabulum, quod arci propè erat coniunctum, de-  
 lata est. Sed eius scædi facinoris adeò ingratum graueq; regijs  
 oculis spectaculum fuit, ut Ferdinandus, quum nobilem eius  
 loci apparatus diripi generososq; equos ab infimæ sortis  
 hominibus trahi cerneret, penè solus, & periculi & maiesta-  
 tis oblitus in prædatores eruperit. Factumq; est Augusto eius  
 conspectu, ut alij metu pudoreq; confusi, proiectis in terram  
 armis, ueniam orarēt, alij relicta præda diffugerent. Verum  
 paulo post receptis in arcem Germanis, custodiaq; Alfonso  
 Daualo demandata, in Aenariam insulam cum uiginti tri-  
 remibus adnauigauit. Vbi illa eadē Fortuna, quæ regno au-  
 tisq; laribus excedentem insensa persequabatur, etiam tum  
 ueluti supremo in casu, reliquæ eius dignitati impotenter il-  
 ludit, quum Iustus Isclæ arcis custos, eodem, qui nuper om-  
 nes fermè Aragoniorum clientes inuaserat, perfidiæ morbo  
 agitat, descendenti in terram fores occlusisset. Ferunt eum  
 insperata Iusti perfidia consternatum, et coniectis in coelum  
 oculis, querentem quòd sibi immerenti à Dijs spes omnis sa-  
 lutis eriperetur, de maturanda in Siciliam fuga cogitasse:  
 uerum monentibus ita Fatis, portæ arcis cum paucis succes-

## PAULI IOVII HISTOR.

fisse: tantumq; ualuisse orando, ac sua Aragoni. eiq; domus in  
 eum beneficia commemorando, ut iustus ea conditione, uti  
 rex solus ingrederetur, cum receperit. Tum uero Ferdinandus  
 ea confidentia, eoq; uultu ac uigore animi, districto gla  
 dio in custodem impetum fecisse, ut iusti satellites, qui arma  
 ti in statione aderant, ipso comminantis ac imperantis regis  
 aspectu perterriti, regis dubie rei euentum expectantibus,  
 extemplo portam aperuerint. Quo casu manifeste apparuit  
 regum oculis, in omni Fortuna, quandam supra humanam  
 inesse uim: proditoribus autem degeneres esse animos, praesertim  
 quum in ipsa perfidia deprehenduntur. Postero die Carolus  
 urbe receptus est: tantoq; studio Neapolitani in noui  
 regis ac externae gentis spectaculum effusi, uias exornando,  
 uictoriq; certatim atq; ambitiose gratulando, omnes huma  
 nos honores detulerunt, ut tum primum ueluti esca ac diu  
 turna seruitute, externi regis beneficio, ad libertatem reuo  
 cari uiderentur. Sequenti die noua arx magno apparatu op  
 pugnari coepta, & ab area simul qua urbem spectat, & ab  
 hortis regis: nec sine pernicie quidem Gallorum oppugnati  
 tum, quoniam e summis arcis propugnaculis, qui in opere  
 circa munitiones ac uineas agebant, destinatis tormentorum  
 ictibus petebantur. Sed in arce multo maior metus, longeque  
 maximum erat periculum, quum pile ferreae per fenestras  
 adactae, interiora arcis aedificia deformarent: multosq; disie  
 ctu lapidum fractorumq; parietum ruina passim opprime  
 rent: neq; ullus periculo uacuus locus tota arce custodibus  
 interdum uel noctu relinqueretur. Nam Galli constitutis se  
 mel certo in libramento maioribus tormentis, atq; his ad li  
 bellam directis, etiam per tenebras in ea quae ante destinassent  
 loca, pilas certissima ratione conijciebat. Acciditq; memora  
 bili

bili casu, ut multa uis tormentarij pulueris, & multitudo  
 ingens uasorum fictilium sulphure ac resina oppletorū, quæ  
 ad obrucōdos subeuntes Gallos erant parata, protinus incen-  
 deretur, quum sorte excussa tormenti ictu modica fauilla,  
 cadi eo puluere pleni flammā corripuissent. Extemplo enim  
 ingenti crepitu edito, & tota penitus eius conclauis testudi-  
 ne ui uaporis reuulsa atq; dissecta, ea uis incēdij fuit, ut mul-  
 torum qui in proximo erant seuum atq; deforme spectaculo-  
 lum, puncto temporis ediderit: multi nanq; flamma, fumo,  
 ruināq; exanimati sunt: sed multo plures semiambugi, lace-  
 riq; artubus ignis uiolentia scēdē abreptis euasere, qui mise-  
 rabili eiulatu dolorem exprimendo, ac frustra implorando  
 opem, amentes tota arce discurrebant: quibus neq; opportu-  
 na remedia, alijs alio periculo occupatis, neq; loca ad quie-  
 tem satis tuta præberi poterant. Ea res initium desciscendi  
 Germanis præbuit, nanq; his conflictati incommodis palam  
 quærebatur: et ante alios Gaspar autoritate insignis, quod  
 fortibus uiris quibus aperto in prælio egregie mori non lice-  
 ret, tam scēdē paulatim esset pereundum, dum ea, et nihil de-  
 mum profutura constantia, regiā illam uerius quā arcem  
 tueri aduersus undiq; uictorē exercitum conarentur: Satis-  
 factū abundē esse uel data fidei, uel acceptis stipendijs, quum  
 alijs serē omnibus ad Gallos deficientibus, ipsi uni omnium  
 ad extremū pro regis salute, uel iniqua etiam in pugna mor-  
 tem oppetere minime recusarint. Insani profectō esse consi-  
 lij pro rege à Dijs pariter ac hominibus profligato atque  
 deserto, perire malle, quā uictoris clementiam ac liberali-  
 tatem experiri, quando & paratas uires haberet ad perti-  
 naciam ipsorum uel ultimo supplicio uindicandam, et facul-  
 tates eidem superessent in tam opima uictoria ad gratiam, si

PAULI IOVII HISTOR.

se arcemq; mature dederent, uberioribus præmijs referendam. Omnis enim laboris præsertimq; militia finem esse, diuitias, et propter quas, patriam, uxores, ac liberos reliquissent: proinde ipsos omnium fore stultissimos, si illas à Ferdinando expectarent, qui reliqua uite ac dignitatis suæ præstidia in ipsis tantū remis ac uelis posuisset, abicerent eas spes, ac saluti fortunisque; nullo dedecoris metu consulerent. Ea enim omnia abunde sperari à uictoribus, qui ad alia quoq; bella immortalium Deorum consilio uocarentur. Dum hos maximè sermones in stationibus serunt, totisque animis ad Gallum inclinant. Alfonso Daualus, animaduersa Germanorum consternatione, quòd neq; corū ingenia moderari, neq; periculo obuiam ire tuto se posse perspiceret, in triremē se intulit, quæ ad arcem proram applicarat. Nec mora Germani ad diripiendam regiam gazam conuolant, loculorū claustra refringunt, qui omnis ueterum regum opulentiæ atq; apparatus referti erāt. Tum uerò ditati omnes potius quam expleti, quā in tanta nobilis præde copia, quæ pretium decies centum milium aureorum nummum excessit, neq; sacci, neq; mantica militares asportantibus sufficerent: Quin & tanto facinori ipsum quoq; perfidiæ scelus addiderunt. Actum namq; est cum Carolo per Germanos qui in partibus Gallorum militabant, Busecco interprete, ut tradita arce certis conditionibus Gallicæ militiæ adscriberetur. Sunt qui asserant Ferdinandum prius quàm arce excederet de Gasparis & commilitonū fide dubitasse, obieciisse gazæ regiæ partem Germanis diripiendam, uti eo spatio sese è manibus illorum eriperet. Cæterum constat, discedente Daualo, tum primum pretiosiore suppellectilem in prædam fuisse conuersam: quamobrem non multis inde annis Maximilianus Cæsar

sar Gasparem ipsum in Germania eius patrati sceleris con-  
 uictum, securi percussit: absoluto Gothifredo, qui mili-  
 tum omnium iudicio, ne tantum facinus admitteretur egre-  
 gie restitisset. Arce noua in potestatem redacta, Galli ad op-  
 pugnandam alteram arcem, quæ ab ouo nomen ducit, om-  
 nem tormentorum apparatus conuerterunt, Ea est rupi  
 imposita, quam L. Lucullus quondam à continenti ac Pau-  
 silipo monte, ut Euripum inmitteret, multo feruorum labo-  
 re abscondit: contra eam altera est rupis aliquanto excelsior,  
 quæ à continenti in mare porrigitur, in cuius summitate  
 terrenum erat propugnaculum, antiquitus pro specula ab  
 Aragonijs regibus ædificatum, quod Piccifalconium appel-  
 latur. Ex eo loco in subiectam Oui arcem erat despectus mo-  
 dico intercedente maris tractu. Quod ubi à Gallis est ani-  
 maduersum, singulari celeritate in summum rupis uerticem  
 maiora tormenta contulerunt, tantaq; ui oppugnare coepe-  
 runt, ut quum à superiore loco pile conijcerentur, nemo in  
 muro consistere auderet. Quibus adductus difficultatibus  
 Antonellus Picciolus custos, tametsi Aragonio nomini fidus  
 habebatur, quum nihil durius sibi sustinendum arbitraretur,  
 arcem dedit. Vicentia quoq; turris, quæ in Megari Syre-  
 nium insula prope portum in magnam altitudinẽ extructa,  
 nocturnum præbet ignem ad cursum nauigantibus dirigen-  
 dum, paruo negotio oppugnantibus Gallis cecidit. Pari etiam  
 Fato Aragonius equitatus, qui Nolam concesserat, missa eo  
 Ligninij ala sub præfæto Arfio, equis armisq; turpiter exu-  
 tus est, reclamantibus Nolanis, qui iam ante elato Gallico  
 uexillo, & deditioe per legatos facta, Aragonijs militibus  
 uti deditiis prolixè cauendo, incolumitatem polliciti fue-  
 rant. Ceterum omni equitum turba protinus demissa, Ver-



## PAULI IOVII HISTOR.

gilius et Petilianus ad Carolum Neapolim perducuntur, cui  
 stodięq; traduntur periniquo equidē iure et summa cum ini-  
 iuria, ut Argentonus ingenue perscribit. Eandem ferē sorti-  
 nam tulerunt reliquę copie, quę e Pelignis et Pręcutinis in  
 Apuliam descenderant. Fuere in his ad tria milia peditū Cal-  
 tabrorum Itatorūq; et grauis armaturę equites ferē quin-  
 genti, quibus pręerant Cęsar Aragonius, Liuianus, et An-  
 dreas Matthęus Aquaniua: tenebantq; cursum in Apuliā eo  
 consilio, ut Brundusij, Hydrunte, aut Tarenti consisterent,  
 sollicitatisq; inde Venetis ac Siciliensibus Hispanis, accitisq;  
 e Macedonia Turcarū auxilijs, nouas inirēt amicitias, et ad  
 renouandū bellum maiora pręsidia cōpararent. Sed Fabri-  
 tius et ceteri eius ualidi agminis duces, nunquā abeuntium  
 uestigijs abscedendo, persequendoq; cū expeditis equitibus,  
 eos uni tanti salutis consulere coegerunt. Quamobrem eę co-  
 pie cum infesta ubiq; itinera, et infessos ab insensis populis  
 amnes reperirent, breui dissipata fugatęq; sunt, sic ut nulla  
 certa eorū manus, quę alicubi consistere auderet, aut reno-  
 uare bellum posset, esse nunciaretur, pręter eam quę Cęsa-  
 rem secuta, in Brundusinā arcem se receperat: ea enim arx  
 una omnium totius regni postea in Aragoniorū fide perman-  
 sit. Ut uerō in maritimis Calabrorū Salentinorūq; urbibus  
 Gallica arma cōspecta sunt, tantus repente Turcis omnibus  
 qui circa Epiri et Macedonia oram in pręsidijs erant, ter-  
 ror illatus, ut plures oppida desererent: et Gręci in spem re-  
 cuperandę libertatis erigerentur: ac tū apertę arma, equos,  
 cōmeatusq; expeditę: deq; recipiendis Gallis, et Turcis uno  
 edicto trucidandis cōsilia inirent: et ante alios montani Epi-  
 rote, qui Chimeram in Acroceraunijs incolunt, quod antea  
 dum rupibus confisi suis libertatem obstinatę tuerentur, d

Mahomete & Baiazete non unam cladem accepissent. Pa-  
 rumq; est demum ad eam Gallorum sanam, ut tota Aetolia  
 & Peloponneso Græci omnes, intempestiuo libertatis desi-  
 derio, dum frustra Gallos expectant, in consilijs & concio-  
 nibus à Baiazete desciuerint. Quibus cognitis rebus, Bizan-  
 tij extemplo classis refecta deductaq; est, remiges maritimis  
 Asiæ Europæq; gentibus imperati, & copiæ omnes quæ in  
 Danubij ripis, & mediterraneis Illyrici, Mæsiq; hyberna-  
 bant, ad tuendam Epiri & Macedonia oram traductæ. Inte-  
 rea Carolus tantis rebus summa celeritate sine suorum uulne-  
 re confectis, intectus conuiujs, equestribusq; spectaculis Nea-  
 poli, ornatissimæ eius urbis delitijs fruebatur. Non deerant  
 enim totius regni procures, ipsas quondam Andegauensium  
 secuti partes, qui nouo regi eiusq; ducibus nullo benignæ  
 hospitalitatis uel adulationis officio prætermissò, uictoriam  
 effusè gratulabantur. Ipsi quoq; Galli atq; Germani in sum-  
 ma rerum omnium copiosæ urbis affluentia, uini præsertim  
 nobilitate allecti, magnam partem militaris ferociæ exue-  
 rant: multorumq; molliuerant animos corpore illustres for-  
 mine, luxu, comitate, eruditissq; munditijs, quum certatim  
 gentis more, etiam ludicra hastatorum certamina spectandi  
 studio frequentarent. Eaq; tum erat uerni cæli clementia et  
 peramœna temperies: ut non modò rex iuuenis, & proce-  
 res, qui reputando, quã faciliè uictores euasissent, ob idq; Ita-  
 liæ opes ludibrio habendo, in ea licentia solutiori uita indul-  
 gerent, uerum et ipsa quoq; agrestis militum turba regionum  
 hortorum, & beati littoris amœnitate caperetur. Iamq; &  
 rex ipse & duces speciosorum paulò ante consiliorum obli-  
 omnes penitus trãsmarini belli cogitationes ita abiecerat, ut  
 manifestè appareret, Gallos idcirco eius suscipiendæ expec-

## PAULI IOVII HISTOR.

ditionis famam præbuisse, ut maioribus uiribus niterentur, si consilijs suis causam religionis adiungerent, & hercle non inanis fama ferebat nihil aliud eos uel ab initio, quàm de subigenda Italia atq; Sicilia cogitasse. Quas ob res, ueluti in summo omnium discrimine metu consternati Europæ principes, sollicitis animis reputare cœperunt, quoniam Gallorum consilia armaq; iam ab secundo ubiq; rerum successu socijs pariter atq; hostibus formidanda uerterentur: Quando nihil usquam in Italia uirium esset, quibus publicam salutem tueri possent, si rex externus iuuenili cupiditate aut dum suorum impulsu, totius Italie regnum, & Romani imperij sedem ac titulos affictaret. Ante alios pontifex Alexander inermis & trepidus Caroli uictoria plurimum angebatur, quippe qui post Cesaris filij fugam iam plane desciebat: neq; postea uti Alfonso Ferdinandoq; Aragonijs nuper dedisset, tum uictori Carolo id enixe postulanti Neapolitanum regnum pontificia auctoritate adiudicare uoluerat. Ludouicus quoq; Sfortia suis demum omnibus deceptus consilijs, serò sapere, & ea quæ impenderent mala, ægro animo prouidere cœperat, quum Gallorum copias robore, fide, disciplinaq; firmissimas, uera tum primum æstimatione metiretur: & presentis maxime regis nomen uimq; eius cum summa foelicitate coniunctam, in tanta Italicarum opum imbecillitate magnopere formidaret: quando imparatis omnibus necessaria sumenda arma uiderentur: atq; etiam plane cerneret Gallum, modo late imperaret, nemini datam fidem seruaturum: quoniam Tarentum urbem, uti se dono daturum Sfortiane genti ab initio isti foederis promiserat, post adeptam uictoriam, concedere recusasset. Eadem etiam cura Venetos sollicitabat, qui se eius belli spectatores fore polliciti.

liciti, utriusq; regis vires in dispari gerendi belli ratione ferme aequales fore crediderat: bellumq; propterea diuturnum parari, quod non una, nisi admodum memorabili pugna, praesertim propinqua iam hyeme, posset definiri. In animumq; subinde induxerant, se tum in tempore, & magna quidem cum mercede, bellum moturos, quum Aragonijs rebus multiplici incommodo affectis atque contusis, Gallorum armis suum impetum quo maxime ualerent amisissent: quod necesse erat accidere, si Galli cunctatione hostium atq; hyemis difficultatibus impediti in oppugnationibus singularium urbium senescendo, Calabris & Brutijs haereret. Maximilianus quoque Caesar publico priuatoq; odio Gallis insensus, non modo gloriae & magnitudini florentis uictorisq; iuuenis inuidebat, uerum etiam magnopere uecebatur, ne augmentum Romani Caesaris nomen, quod sibi Gallus multorum assentatione deberi existimabat, & fama parte uictoriae, et praesentis exercitus uiribus usurparet. His etiam Gallorum secundis successibus Ferdinandus Hispanus, uti erat ab multo rerum usu innataq; prudentia in omni consilio exacte circumscriptus & cautus, uehementer permouebatur, cum in ea admirabili insignis uictoriae celeritate Siciliae suae dictio- nis & nudatam praesidio impotenti atq; auidae noui imperij Gallicae gentis audaciae expositam uideret. Igitur, quos modo nominauit Europae principes, unis exceptis Florentinis: hi enim Pisas per Carolum se breui recepturos putabant, solenne foedus circiter Calendas Aprilis inter se percusserunt his legibus, ut uno consensu communiq; impensa, tantas copias terra mariq; pararent, quantas pro tuenda salute publica satis esse arbitrarentur. Quod si quispiam ex socijs, alieni bellum inferendum putaret, id ille suis uiribus & priuata

PAVLI IOVII HISTOR.

tis auspicijs gereret, & Carolo regi suus locus expressa con-  
 ditione relinqueretur, modo a quibsiimi foederis beneficio uti  
 uellet. Per eos dies Ferdinandus ex Hispania Triuentium re-  
 gulum cum ualida classe, seuo adhuc mari in Siciliam traji-  
 cere iussit. In ea fuere circiter quinq; milia peditum, & de-  
 lecti equites sexcenti, quibus praerat Consaluis Ferdinan-  
 dus, uir Bethico bello clarus, qui postea Magni Ducis cogno-  
 men, & sua uirtute, & militum secundo fauore promeruit.  
 Veneti supra quadraginta rostratas naues exornarunt, pra-  
 fecto eis Antonio Grimano uiro lectissimo, magnamq; uim  
 leuis armaturae equitum, quibus terrestri exercitus supple-  
 retur, ex Epiro, Macedonia & Peloponneso mercede condu-  
 xerunt. Eodem quoq; tempore Ludouici Sfortiae pecunia,  
 cohortes in Suenia scribebantur, & Maximilianus literis si-  
 gnificabat se in Italia, quum factu opus foret, extemplo tran-  
 siturum esse, adducturumq; inuictam Germanorum ma-  
 num, cuius uirtute, paucis ante annis, Galloru legiones Mo-  
 rinis in campis late prostrauisset. Baiazetes quoq; qui iam  
 certius de fratris morte cognouerat, cadauerq; illius per le-  
 gatos ex Italia Prusiam Bithyniae, ubi Othomannorum gen-  
 tis sepulchra cernuntur, referendum curauerat, non modo  
 omnem belli apparatus intermisit, sed & magna terra ma-  
 riq; auxilia aduersus Gallos Venetis obtulit, quum iam in ea  
 noui foederis fama, & Gallorum solutus metu, & reliquo  
 etiam timore, quem ex inimici fratris uirtute coeperat, om-  
 nino liberatus esse uideretur. At Carolus improuisa princi-  
 pum conspiratione percussus, uehementer de parta iam ui-  
 ctoria dubitare, queri se proditum iri fremereq; , ira tamen  
 potius quam dolore agitari, & plurimum militum suorum  
 uirtute fidere. Nam, etsi illi nondum ex professo hostes ma-  
 gnani

quam causæ equitatem, leuitatemq; nouo foederi, quod pro  
 tuenda tantum salute ac libertate percussissent, prætexuisse  
 uideretur, ea tamen omnia contra se parari manifestè prouit  
 debat. Quamobrem optimum factu ratus, si pontificem in  
 paratum, nec adhuc hostilia molientem, subito aduentu à  
 coeptis consilij deterreret, Romam contendere, atq; inde in  
 Galliam Cisalpinam penetrare constituit. Itaq; ex omnibus co  
 pijs, quicquid floris ac roboris erat, sibi deligit. Eucere expe  
 diti equites utriusq; armaturæ quatermille, præter latero  
 nes ac pueros armigeros quos secum trahunt: Heluetiorum  
 uerò ac Germanorum, itemq; Vasconum peditum circiter  
 octo milia: præterea tormentorum iustus numerus, eorum  
 præsertim, quæ expeditis curribus ueherentur, Reliquas ue  
 rò copias per opportuna totius regni loca dispersit, ut  
 unaquæq; regio certis suis præsidijs ac ducibus firmaretur.  
 Caietæ & totius Campaniæ tuendæ cura, Belcario demanda  
 ta est: Hunc urbe Nola donauerat ararioq; præfecerat, Bai  
 linus autem Vitrius, & Gratianus Guerra ad Aquilam  
 atq; Sulmonem, Marsis & Pelignis impositi. Perusinus cum  
 fratre Alegria Lucaniam tueri iussus. Asbarre, regulo Sa  
 lentini: Obegnino autem Brutij obuenerunt: Hunc magi  
 strum equitum crearat, qui honos militiæ summus existi  
 matur. Iulianus porrò Lothoringus in custodia Gargani mō  
 tis constitit. Manfredoniæ autem Gabriel Monfalconius, &  
 Tarenti Georgius Suillius præfecturas iniere. Neapoli uerò,  
 omnibusq; pariter copijs, Gilbertus Mompenserius cum in  
 perio præfectus est, ad quem rerum omnium cum urbana  
 rum tum bellicarum summa respiceret. His rebus maturè con  
 stitutis, Latina uia Romam profectus est, præmisso Andrea  
 Lugdunensi antistite, qui pōtificem hortaretur, ne ipsius re

PAULI IOVII HISTOR.

gis aduentu terreretur : aut quicquam hostile ab eo, qui & pietate filius, & pontifici nominis cultor egregius esset, sibi timendum putaret. Regem enim adeo æqui iudicii pacatq; animi esse, ut quum ad colloquium ueniret, in pristina cum ipso gratiam, nec exclusis cæteris principibus, qui sine causa de eius fide ac moderatione dubitassent, continuo esset rediturus. Cæterum pontifex planè metu obrutus, quum neq; sibi inermi cum armato rege de pace ac foedere disceptandum existimaret, neq; se colloquendo quicquam, quod ad rerum quietem pertineret, profecturum arbitraretur, et uehementer dubitaret, ne fides sua socijs ex contagione colloquij suspecta redderetur, ex urbe Orbitum profugit, moxq; Perusiam, ut inde per Umbros ad mare, ac demum si Gallus insequeretur, Venetias protinus enauigaret. Sequebatur abeunte pleriq; cardinales, turbaq; ingens eius generis hominum, qui honoris & questus gratia pontificiæ aulæ operam impendunt. His præsidio erant, præter ipsos prætorianos, aliquot equitum alæ, quas Veneti & Ludouicus opportunè transmiserant. Carolus sua spe deceptus, pacato agmine urbem Calendis Iunijs intrauit, & Transyberina in regione castrametatus est. Sed triduo post tribus diuersis agminibus ab urbe discessum, totusq; is tractus, qui Cassiam uiam & Aureliam interiacet, transeuntium iniuriæ expositus, pabuli & comæatus omnis generis detrimèta sensit. Sed Tuscanellensium calamitas insignis fuit: Quum enim rixa fortè exorta, Gallus lapide iectus cecidisset, commilitones irati non ipsum quidem percussorem, sed oppidanos omnes adorti, duce Bafardo Borbonio, magnam eorum partem crudelissimè trucidarunt, atq; oppidum diripuerunt. Ii quoque populi qui utriq; uicè imminet, totusq; Senensis ager Pisas usq; uaria

incommoda passim acceperere. Porro Carolus quum Senas uenisset, ita perturbatum ciuitatis statum inuenit, ut ciues in quatuor diuisi factiones, insano liuore mutuo inducti, à rege prefectum peterent, qui Gallico fretus presidio, inter ordines factionum æquo iure libertatis nomen tueretur. Ambiebat ad id Ligninius propinquus regis, ita ut cohortem Gallorum facile impetraret, quæ duce Gualterio Tinetauilla urbi præesset. Sed festinante in Galliam rege, nõ multo post depulsis foro atq; urbe Gallis, ciuitas ad ueterem Pandulfi Petrucij dominatum redijt. Pisani eo tempore cum Florentinis bello contendebant, quum libertatem quam Gallorũ beneficio recuperasse uidebantur, acerrime tuerentur. Florentini etenim post exactos Mediceos, Caroliq; discessum, in unã eam intenti curam, ut Pisas reciperent, magnum numerum equitum & peditum ex ueteribus copijs conduxerant: eisq; Herculem Bentiuolum, Franciscum Siccum, & Ranuccium Martianum militiæ claros, & fide maxime insignes præfecerant: Quorum uirtute complura castella, quæ audito libertatis nomine ad Pisanos defecerant, breui recepta sunt, & in primis Bientina: ea paludi adiacet, & Pontis Eræ oppidum, quæ tenui Pisanorum presidio tenebantur. Nec multo post ductis ad Calcinariam copijs, nocti diem densa caligine nubilum, ita ut omneis è speculis prospectus Pisanis eriperetur, tribus ex improviso prælijs ad murum factis, occisoq; Ioanne Saluio prefecto, oppidum expugnarant & incenderant. Calcinaria autem capta, Legolum, Palaia, Montefusculum, & Pontefaccum, aliquotq; alia ignobiliora oppida ad antiquam Florentinorum fidem redierant. Ex aduerso autem Pisanis per eos dies subsidio uenit Lucius Maluetius uir fortis, & maxime pugna: adduxitq; grauis et leuis armaturæ



PAULI IOVII HISTOR.

delectos equites & pedites ueteranos spectata uiriutis ferè  
trecentos. Ab Genua quoq; submittente Ioanne Adurnio  
magna uis mirorum tormentorum, balistarum, armorum, te-  
lorumq; omnium mari Pisas delata. Nam haud obscure Pi-  
sani cum pecunia tum armis ac milite à Ludouico Sfortia  
iuuabantur, qui multis de causis, uti postea dicemus, Pisanos  
incolumes liberosq; prestare, porro Florentinos, quò Gal-  
lis fauerent longo bello implicitos distineri atq; alteri ma-  
gnopere cupiebat. His freti auxilijs Pisani, hostium duces,  
qui magno apparatu Buttum oppugnabāt, muriq; partem  
maioribus tormentis deiecerant, cum detrimento inde disce-  
dere, ac incensis exterioribus edificijs Bientinam se recipere  
coegerant. Sed nec multis inde diebus par incommodum ip-  
si Lucio à Florētinis ducibus repensum, quum è Cascina pro  
motis castris, Liberassam oppidum in Lucensium finibus,  
quò à paucis Pisanis haud acriter obsidebatur, oppugna-  
tum cum iusto apparatu cōtendissent. Magno nanq; itineris  
flexu, Florētinorum copiæ Liberassam ductæ, quarum ad  
uentu, præsidarijs, & Barigo præsertim Borgæ, qui fortiter  
septē dies longe acerrimam oppugnationem sustinuerat,  
animi adaucti: Cōtra uerò Pisanis adeò imminuti, ut Lucius  
appropinquantium multitudine perterritus, defosso statim  
maiore tormento, ne eo hostis potiretur, Pisas profugerit.  
Postero die Florentini equites, eo successu elati, excurrendo  
populandoq; per uallē Sercij amnis, qui olim Auxeris fuit,  
ingentem pecoris atq; hominum prædam egerunt, euectiq;  
usq; ad calidas aquas, quæ Mammosæ dicuntur, adeò ma-  
gnum suburbanis uicis terrorem intulerunt, ut Pisanus po-  
pulus (sicut in summo accidit periculo) sonitu campani æris  
è sacra turre ad arma sit uocalus, & Lucio militares copias  
educente

educente, confestim eruperit. Commissumq; est atrox preliū  
 in angustijs Capellesij pontis apud Fractam emissariū, quod  
 ex Auxeri anne ad conuehendam materiam, Laurentius  
 Medices laborioso perutiliq; opere Pisas usq; perduxerat.  
 Pugnatum est ab initio magna ui, sed Florentini improvisti  
 hostis impetum non tulerunt, uersiq; cum cæde in fugam tre  
 pidanti agmine Liber fractam se receperunt. In ea obtinendi  
 pontis contentione, Herculi fortiter pugnanti equus soffos  
 sus est. Siccus ipse à pluribus simul circumuentus, multisq;  
 clauarum ictibus contusus, agrè se è manibus hostium eri  
 puit. Rouersius Bononiensis centurio insignis captus, &  
 cum eo cataphracti uigintis sex, magnusq; numerus aliorum  
 equitum ac peditū capti uel exuti armis fuere. Lucius ouan  
 ti similis in urbem reuersus, ut hostibus perterritis aliam  
 quoq; cladem pararet, Bernardinum Clostram & Animani  
 gram Ligurem uiros apprimè pugnaces, qui Vicopisano in  
 oppido erant, de successu eius dici certiores facit, monetq;  
 ut quas habeant copias equitum ac peditum intempesta no  
 ãe educant, & ad occupandum Sercij pontē apud sanctum  
 Giulicium quā hostes sint transituri progrediantur: Se Lu  
 censi uia ad intercludendos eos, expeditas educiturū copias:  
 Futurumq; esse si maturarent, ut ea celeritate reliquæ ho  
 stium copix deleterentur. Clostra & Animanigra imperata  
 faciunt, & quanquam aliquanto tardius quàm putarant,  
 per tenebras iter confecissent, satis tamē in eo tempore tran  
 seuntibus iam hostibus superuenerunt, quos inopinantes &  
 maiore quàm esset copiarum specie deceptos, emissis sclopis  
 atq; balistis, ingentiq; simul, ut in uictoria solet, clamore sub  
 lato perturbarunt. Equites tamen, agrestium beneficio, uas  
 dis in anne repertis, euasere, pedites magna ex parte caesi

## PAULI IOVII HISTOR.

captiq; sunt. Hercules uerò citato agmine reliquias bis fust  
 exercitus priusquam Lucius Lucam præterueheretur, Mon  
 tecarlum reduxit. Atq; inde Arno amne ad Montecuculum  
 superato, in uetera castra ad Eræ pontem reuersus est. Vi  
 ctiores uerò spolijs onusti dum redirent, apud Liberafactam,  
 tormentum, quod paulo ante defoderant repertum atq; eru  
 tum in urbem reduxerunt, & Lucius biduo post Cascinam,  
 ut ex propinquo in omnes hostium motus intentus bellum  
 gereret copias suas adduxit. Fiebatq; propinquitate hosti  
 um, ut quotidianis præliolis occasio præberetur, quum utri  
 usq; partis castella, agrumq; omnem repentinis excursioni  
 bus per mutua detrimenta deuastaret. Per eos dies, dum Lu  
 cius Cascinæ mœnibus teneretur, Florentini duces Ranucci  
 um Martianum cum ualida parte exercitus Rassignanum mi  
 sere, quod est oppidum supra Liburnum, Volaterranis uad  
 dis propinquum, rati se aut Lucium interclusuros, si ad fe  
 rendam obsessis opem Cascina sibi egrediendum atq; eo con  
 tendendum arbitraretur, aut si oppidi præsidijq; salutē om  
 nino negligeret, oppidū nullo negotio in potestatem esse re  
 dacturos. Sed Lucius de eorum cōsilio coniectura iudicans,  
 aliquanto minorem eius oppidi quàm exercitus iacturam fo  
 re existimauit, Cascinaq; se continuit, atq; ita Rassignanum  
 quassato iam militis tormentorum ictibus muro, dedenteq;  
 se præsidij præfecto receptum est. Sub id ferme tempus le  
 gati Pisanorum, qui Neapoli ciuitatis suæ salutem liberta  
 temq; Carolo obnixè commendauerant, ipso concedente, sex  
 centos pedites Gallos oneraria nauis adduxerunt, quo  
 rum aduentus, sicuti Pisanis fuit gratissimus, ita Florentino  
 rum animos uehementissimè pupugit, quum se decipi Gallica  
 fide manifeste perspicerent. Meminerat etenim se Gallorum  
 mis

amicitiam in spem recuperandæ eius urbis, non modo caterorum omnium Europæ principum societati ac fœderi pretulisse, uerum etiam, quod pudendum omnino uideri poterat, multa pecunia coemisse, à quibus tamen neq; arcem toties promissam recepissent: & contra Pisani hostes, grauis contumeliæ ac iniuriæ nomine, Gallicis auxilijs iuuarentur. Tribus namq; antea mensibus à Briffonetto, qui tum Maclo-diensis cardinalis uocabatur, Neapoli magnis pecuniæ pollicitationibus impetrarant, ut idoneos homines mitteret, per quos Pisani docerentur, eam demum esse Caroli uoluntatem, ut in ditionem Florentinorum redirêt, omniumq; iniuriarum impunitatem & lenè moderatumq; imperium in posterû à ueteribus dominis expectarent, sequestro & sponse præsertim rege, cuius dignitatis esset præstare quæ promitteret, & uires haberet ad uindicandam iniuriam, si Florentini à pactione fide lubrica discessissent. Sed Galli acceptis Florentiæ muneribus, quum Pisas uenissent, & ad ferocem populum frustra concionarentur, ludibrio habiti fuerant. Itaq; Pisani Gallicis confirmati auxilijs, summo omnium studio alacritateq; Ferreto maximè Gallorum duce, ut erat uir impiger nauare operam cupiente, ad oppugnandam Liberam factum proficiscuntur. Clostra & Animanigra duces fuere, pluribusq; simul prolatis tormētis oppidum singulari militum ardore oppugnari cœptum. Defendebat se de muro turreq; Barrigus Barga longè fortissimè, uerùm ea turris quæ multis incommodis subeuntes atq; oppugnantes afficiebat, non multis inde horis terribili uiolentia ingentis tormenti, quod à Pisanis Babulus appellabatur, proscissa labefactataq; est, ea magnâ muri partem cadendo secum traxit, præbuitq; terrorem defensoribus, qui mox sese dedendo, Pisanis uictor.

PAULI IOVII HISTOR.

ribus arcem atq; oppidum reliquerunt. Neq; Hercules qui ad Eræ pontem castra habebat, subsidio laborantibus adcurrendum esse iudicauit: Quoniã magnopere timebat, ne Lucius eductis Cascina copijs, & capto ad Vicopisanum itinere, à tergo protinus insequeretur, atq; ita pari arte utrisq; bellum gerentibus, sicuti paulo antè Rassignanum receptum fuit, Liber a facta simili quoq; astu & celeritate hostium amissa est. Post id factum sanctæ Lucie vicus, Larium, & amissum paulo antè Lecolum, Pallaiãq; & minora aliquot castella quæ ad colles uergunt, à Pisanis in potestatem redacta sunt. Per eos quoq; dies Lucius circiter ducentos utriusq; armaturæ equites & cohortem unam hostium ad Fornacellas ultra Cascinæ amnem, qui fossa dicitur, ex improviso adortus, prosperè conflixit, uersisq; in fugam hostibus, adeò acriter cedendo capiendõq; illis instituit, ut usq; ad Eræ pontem sit prouectus: tantaq; fuit patenti porta ingredientium trepedatio, ut nisi paucitati suorum militum Lucius diffusus substitisset, oppidum ipsum, in quo duces ceteraq; copiarum, & complura tormenta erant, simul cum hostibus irrumpendo, facile capi potuisse uideretur, magnamq; eo die Lucius apud Pisanos, egregiè uirtutis laudem promeruit, quod eo prælio & periti ducis & strenui militis officium impleuisset. Biduo post Lucius fortuna utendum ratus, quam benigna semel arriserit, audentes secundo passu subsequitur, nocte intempesta copias Cascina eduxit, profectusq; Pontefaccum, prius penè quàm ab hoste sentiretur, admotis scalis in oppidum transcendit. Quo tumultu Ludouicus Martianus Rannucij frater equitum præfectus, & Ioannes cognomento Vetula, clari nominis centurio, & cum his centum equites pluresq; pedites capiuntur, oppidumq;

diripitur. Erat specula editissimo in monte in arcis modum edificata, quæ Verrucula vocabatur, ex ea despectus erat in omnes campos: Pisaniq; intenti assidue specularando, omnes motus egressusq; hostium ex oppidis notabant, & quantum in partem uerterentur, linteis, uexillis & fumo, interdumq; ignibus & tormentorum sclopis significabant, magnasq; ea res Florentinis gerendi belli difficultates sepius attulerat: Propterea & in castris à ducibus & Florentia in senatu decretum est, ut omnino quibus maxime artibus opus foret, Verrucula hostibus eriperetur. Itaque ad terrendum cohibendumq; Lucium, ne Verruculanis custodibus auxilio proficisceretur, Franciscus Siccus ad Buttum ualidam equitum ac peditum manum adduxit, Ipse Hercules ad pontem Eræ permansit. Montanus uerò et Christophorus Epirota uiri fortes cum peditatu montem subire iussi. At Lucius qui de consilio profectioeq; hostium cognouerat, milites cohortatur, ut æquo animo unius noctis laborem ferant, quid fieri uelit monet, & flumen Arnun de secunda uigilia uado transgreditur, inalbescenteq; cœlo, Buttum ad hostem peruenit, tarditatem sepe militum castigans uerbis, & seipsum incusans, quòd noctis breuitate deceptus manifesta iam in luce, rei bene gerendæ occasionem amisisse uideretur. Sed ut in bellicis rebus accidit, in quibus fortunam omni prudentia maiorem sepe experimur, secus ac ipse putauerat, sibi secunda omnia, hosti uerò maxime aduersa contigerunt. Siccus enim, cum paulò ante per speculatores Lucium suos arma capere, paratosq; esse ad profectioem iussisse, cognouisset, instratis frenatisq; equis totam noctem insonnem duxerat, ne ab inquieto acerrimoq; hoste impræparatus opprimeretur. Oriente autem iam Sole, nihil de insidijs

PAULI IOVII HISTOR.

amplius dubitando, milites corpora simul & equos curare  
 permiserat, sic ut tum primum Lucij antecursores appare-  
 re inciperet, quum Sicciiani semisomnes, discinæti inermesq;  
 ad primum uigilum clamorem turbati oppressiq; sint. Burla  
 equitum præfectus uir strenuus, dum inuadentium impetum  
 pro statione impigre sustinet, obruncatur. Ceteri Sicco æ-  
 gre inuadente, paucis interfectis capiuntur, magnusq; equo-  
 rum numerus pediti ex præda cecidit: sic ut omnes ferme dum-  
 leti ac ludibundi rediret, equites facti uiderentur, quod tho-  
 races & galeas relictas ab hostibus induissent. Eius rei gestæ  
 nuncijs territi Montanus & Epirota, nequicquam tentatis  
 confragosis Verrucule callibus ad Herculem in castra redie-  
 re. Sed dum Florentini duces acceptas clades nouis consilijs  
 ultimum iri properarent, prima Gallorū agmina quæ turrim  
 Sancti Romani ex itinere expugnant, oppidumq; Mon-  
 topolim diripuerant, aduentare cœperunt. Quorum aduen-  
 tus, Florentinos, quoniam suas copias transeuntibus Gallis  
 misceri multis de causis nolebant, ponte Ere & cæteris quæ  
 obtinebant Castellis, decedere cœgit: præbuitq; miseris oppi-  
 danis materiam iterum rebellandi, quum Pisani relictæ ab  
 hostibus loca circumductis passim copijs occupare niteren-  
 tur. Porro Carolus magna omnium alacritate à Pisanis susce-  
 ptus est: ac ueluti auctor eorum libertatis ab omnibus ordi-  
 nibus salutatus. Cæterum, ut erat incertus consilij, quū oran-  
 tes proiectiq; ad pedes, ut ciuitatem liberam & incolumem  
 uellet, suppliciter postularent, ambiguo quodam responso  
 spes eorum nec impleuit, nec elusit, quod se & promissis om-  
 nino stuturum, nec se ullis Florentinorum precibus discessu-  
 rum ab æquitate polliceretur. Sed adeo mirifica erant om-  
 nium ducum Gallorumq; militum studia erga Pisanos, ut  
 quante

quaquam ingrata auribus uerba retulerant, neq; tristes es-  
 sent, neq; ullis ambiguae regiae uoluntatis iudicijs frangeren-  
 tur. Dum Pisis Carolus moratur, multorū literis fit certior  
 Ludouicum Aurelianū, quem apud Aftam ad incerta belli  
 cum ualida copiarum parte reliquerat, Nouariam occupas-  
 se, nouoq; eo rerum motu in summum amittendi imperij di-  
 scrimen Ludouicum Sfortiam coniecisse. Quo nuncio incre-  
 dibili letitia affectus est, quod non modo euadendo, uerū  
 & occupandae Galliae Cisalpinæ occasionem sibi dari à Dijs  
 immortalibus arbitraretur. Scripserat enim multum antea  
 audito noui foederis nomine ad Aurelianum, ut circa Aftam  
 quātas maximē copias posset celeriter pararet, quae sibi per  
 hostiles agros, contraq; oppositas acies erupturo opem ser-  
 rent: iamq; tres alae Gallorum equitum, et aliquot Heluetio-  
 rum cohortes duce Henrico, cui à lauto conuictu Germani-  
 ce Agnauolebano cognomen fuit, ab Alpibus descenderant.  
 Sed Aurelianus per se strenuus, auidus imperij, nouisq; præ-  
 fertim copijs fretus, ultrò sibi moliendum bellum, & forti-  
 ter audendum existimauit, ne Fortunae ad magna atq; foeli-  
 cia aditum præbenti, deesse uideretur. Cum Opicino enim  
 Catia Mansredoq; Torniello, qui Nouariae potentes clarisq;  
 erant, occulte transegit, ut urbē sibi traderent: eaq; sibi ipsi  
 patrato negotio, quae uellent præmia, decernerent: Se enim  
 eius beneficij memoriam nunquam esse depositurum. Siqui-  
 dem Opicinum atq; Mansfredū ante alios eius ciuitatis, à Lu-  
 douico Sfortia iniurijs detrimentisq; indignè affectos fuisse  
 didicerat: reabaturq; eos qui iam animo defecissent, oblatae  
 occasione minime defuturos. Innocentiū nanq; Catiam Opi-  
 cini propinquum, Ludouicus Sfortia aliquot ante annis sa-  
 cro functum, obiectis quibusdam criminibus, è sepulchro in



PAVLI IOVII HISTOR.

ius uocari damnariq; iusserat, ut bona illius ueluti conuicta iudicio per leges fisco addicerentur: Quod sicuti inauditum & inexcusable uisum est, ita illi singularem inuidiam concitauit. Dum uero in Nouariensi latifundium ad eximiam fertilitatem magno studio conderet, quod de nomine sua gentis Sfortiadam appellauit, uicina prædia impotenter ab inuitis dominis coemendo, ipsis Sfortiadæ finibus incluserat, corruatisq; priuatorum ciuium aquis ut sua plenius irrigaret, alienos agros solito humore destitutos, penitus infelices reddiderat. Quæ duæ res grauibus incõmodis complurium, & præsertim Torniellorum possessiones afflixerant igitur quum illi, qui acceptæ iniuriæ uindictam coquunt, facile ad omne perfidiæ uel audaciæ facinus impellantur, data fide, susceptoq; negotio, & die constituta, quæ diui Barnabæ erat solennis, Aurelianum cum expedito equitatu è Vercellis conuolantem urbe receperunt. Venit etiam cum eo Ludouicus Sallassorum regulus, qui eius consilij particeps factus montanorum manum occultè coegerat, atq; ita introductis armatorum circiter octo milibus, Nouaria Gallorum ditioni cecidit. At Ludouicus eius nuncij atrocitate percussus, extemplo ad Hieronymi Leonis legati Veneti domũ ab arce cum paucis familiarium descendit, orauitq; demissè admodum ac trepidè, ut imperium, fortunas, salutemq; suam senatui uehementissimè commendaret, quando in ea fortunæ iniquitate neq; opem aliunde implorare, neq; præsentia subsidia afflictis rebus expectare posset. In cuius rei celeritate non modo Gallie Cisalpinæ, sed totius Italie salutem ac dignitatem esse positam, quando cuncta uel inopinato casu, uel cõmuni omnium imprudentia, summi discriminis aleam subiissent. Solos esse Venetos, qui sicuti consilio atq; opibus ceteros

ante

anteirent, ita ad iuuandum opportuna atq; expedita remedia haberent, si non modo socijs in presens, sed & rebus suis in posterum, absq; ulla cunctatione prouidendum esse arbitrarentur. Ferūt Ludouicum dum peroraret, & capta legati dextra se perpetuo Venetorum clientem futurū iuraret, nobilissima Smaragdo illius digitum induisse, ut ardentius atq; propensius pro salute sua senatui perscriberet, deq; eius rei casu, & periculi magnitudine plenissimè doceretur. Tri duo post Nouariæ arcē à Galeacio Ludouici fratre magno sumptu adificatā, Gallis dedit Ioannes Calchus uir imbellis & timidus, & qui beneficio potius quàm uirtute, eam à Ludouico quaestus gratia custodiendā acceperat. Tum uerò Veneti, qui neq; socijs neq; sibi deesse, uel æquum uel tutum ducebant, referente Barbado principe, de bello pro communi salute aduersus Gallos gerendo maturè decernunt. Melchiorē Triuisanum & Lucam Pisanum eximie uirtutis optimates, ad exercitum legatos creant. Franciscum uerò Gonzagam Mantuæ principem ætate florentem, belli decorisq; auidū omnibus copijs præficiunt: minoresq; ducesq; & copias ad constitutam diem in ripis Olij anis adesse iubent: mittiturq; ad Ludouicum Bernardus Contarenus cum sexcentis Grecis equitibus, qui Galeacium Sansseuerinum Ludouici ducem adsequeretur. Is enim in Nouariensem agrum profectus, supra septingentos cataphractos sagittariorumq; equitum plures turmas, & aliquot subitarias cohortes coegerat, quibus Galli interim ab excursionibus, inuadendisq; alijs castellis terrentur, dum, Germanorum pedestres copias aduentarent: quæ superato Adula monte per Volturenā uallem, & Larium lacum, omni adhibita celeritate mittebantur. Interea Carolus prouiso comœatu, &

## PAVLI IOVII HISTOR.

iumentis sex dierum quiete recreatis Pisis profectus, Lucam  
 contendit, libertate de qua adeo cupide anxieq; agebatur,  
 Pisanis nec concessa, nec erepta, quum infamia, & maioris  
 etiam periculi metu, neq; fidem Florentinis fallendam arbi-  
 traretur, quibus accepta pecunia foedere paulo ante se con-  
 iunxisset, neq; Pisanos, quos ipse in libertatem uindicasse ui-  
 deri uolebat, Florentinis ueluti iratis tyrannis excrucandos  
 tradere, uel equum uel regium putaret. Erant apud Caro-  
 lum Iulianus Paulusq; Fregosius cardinales, & Hibleus  
 Fliscus, qui uti exules solent, dubijs asperisq; etiam in rebus,  
 cuncta facilia atq; expedita ad uictoriam pollicebantur, si in  
 Liguriam cum mediocribus copijs mitterentur. Differebant  
 enim praesto sibi adfuturos montanos homines Fregosiae fa-  
 ctionis, per quos omnem inferioris Liguriae oram in potesta-  
 tem essent redacturi. Promotisq; inde ad Genuam castris fa-  
 cile fore, ut forti opera amicae factionis, cui cuncta ordine  
 communicassent, Adurnij urbe atq; imperio pellerentur,  
 priusquam a Ludouico Sfortia, qui adeo opportunè graui  
 bello domi esset implicitus, auxilia submitti possent. Philip-  
 pus quoq; Bresius Allobrogum principis frater, qui apud  
 Carolum gratia atq; auctoritate plurimum ualebat, ut qui  
 maximè eorum consilium probaret, sese iturū, ac ducem eo  
 bello futurū profitebatur. Itaq; re ad consilium delata, com-  
 probataq;, Bresio duæ equitum alæ, Gallorumq; peditum  
 cohortes quatuor, & tormenta septem attribuuntur: Cum  
 eo etiā Vgo Ambrosia uir nobilis militiaeq; peritus, una pro-  
 ficiscitur: ad Miolanū quoq; Gallicæ classis praefectum cum  
 literis regijs plures simul nuncij mittuntur, qui moneant, ut  
 ab ora quam legeret discedere nolit, terrestrium copiarum  
 ducibus pareat: paratusq; ac intentus remigio & uelis, quò  
 opus

opus esse uideatur, protinus enauiget. Camillo item et Paulo Vitellocioq; Vitelijs fratribus, qui iam cum cataphractis discentis, & totidem leuis armaturæ equitibus sese accepto stipendio Gallis adduxerant, imperatū, ut in Liguriam profiscisci maturarent, & Bressum quanta maxime possent celeritate consequerentur. Ipsi cardinales passim ex Lucensium castellis, Apuanisq; Liguribus pedites cogunt, & per Apennini ualles notis tramitibus in Liguriam profiscuntur. Carolus interea his rebus explicitis ad Apenninum magnis itineribus se extendebat, ut eo celeriter superato, ad Aurelianum prius penetraret, quam hostium copie, quas undiq; cogi Padumq; traduci audiebat, ad Apennini angustias ducerentur. Vix prima Gallorum agmina subire cœperant, quum Pontremolenses, haud ignari quid sibi ab iratis Germanis timendum foret, oppido ferme omnes effugerunt. Nec multo post nequicquam prohibente Carolo uel deprecantibus ducibus, totū penitus id oppidū quod edificijs atq; opibus pro loci opportunitate clarum erat, iniectis uno tempore facibus, barbaro furore incensum atq; deletum est. Tormenta denum inde confragosis Apennini iugis ad Burgum castellum, quod à ualle Tarri amnis nomen ducit, magno quidem cum labore, sed maiore aliquanto militum studio traducta: Quando ea singulis attributa cohortibus, non solitis equis, qui in abrupto flexuosoq; passim itinere minime iungi coaptariq; poterant, sed manibus atq; humeris militum traherentur: Equitesq; singuli pilam ferream quinquaginta pondo, in anteriore ephippij parte collocatam, alacriter deferrent. A Burgo latiore demum uia, quæ ad Foro nouum ducit descendere cœperunt, præmissusq; cum ualida peditum atq; equitum manu Giensis primi agminis

PAULI IOVII HISTOR.

dux, et cū eo Antonius Basscius Heluetiorū prefectus, ac ipse  
 Triuultius, ut apud Foronouū locum castris antecaperent.  
 Triuultio enim tanquam itineris duce Carolus utebatur,  
 atque eius uiri consilio summam adhibebat fidem, cum pro-  
 pter singularem militiæ locorumq; peritiam, tum ob uete-  
 rem similitudinem, quam cum Ludouico Sfortia semper inse-  
 stus exercebat. Vnde illi postea per amplæ opes atq; ingens  
 belli gloria, cum excidio totius Italiæ creuerunt. Habebat  
 tum castra Mantuanus, cui se Calatinus cū copijs Sfortianis  
 adiunxerat, ad Glareolam uicium in ulteriore Tarri amnis  
 ripa, loco admodum opportuno, ut Parmensibus qui in ter-  
 go erant, si ad defectionem spectarent, immineret, præsi-  
 dioq; esset proximis castellis: ac si Carolus ea ire pergeret,  
 prima descendentiū agmina iniquiore hosti loco, totis si-  
 mul copijs adoriretur. Interim dum Galli Foronouo appro-  
 pinquarent, Gonzaga de eorū aduētū per exploratores cer-  
 tior factus, leuis armaturæ equites, duce maxime Nicolao  
 Annonio Dalmata uiro impigro præmittit, qui ad hostes  
 aduolent, & dum ipse cum robore grauis armaturæ equi-  
 tum, peditumq; expeditis cohortibus subsequitur, tumultua-  
 ria pugna distineant. Illi imperata impigre faciunt, adorti-  
 que hostes subita incursione ex omnibus lateribus eos pertur-  
 bant, multisq; cæsis ac captis, raptisq; uexillo uno, priusquā  
 cataphraستي peditūq; auxilia superuenirēt, omnes retro pa-  
 uidos auerterūt. Idq; propterea acciderat, quod Galli non-  
 dum Græcorum militiæ usum nouerant, Græcos enim insul-  
 tantes simul ac multa arte refugientes, quum Galli ardore  
 quodam pugnandi concitatus persequi uellent, ordinesq;  
 dissoluerent, illi subito redibant in prælium, pluresq; simul  
 expediti, singulos dispersos, graues armis, incauteq; proue-  
 stos

eos adoriebantur, facileq; incuruo & prægravi gladio more Turcarum, aut ferrea claua feriendo sternebant. Gonzaga quòd satis longo difficultiq; itinere fessos equites quò minus abeuntem in castra usq; persequeretur, reuocandos esse iudicabat, eo successu contentus lætis omnibus, & plerisq; præfixa lanceis Gallorum capita gestantibus, ad exercitum reuertitur. Erat inter captiuos Antius Heluetiæ cohortis præfectus, notus antea Calatino: Is primi agminis peditum, & equitum callidè mentitus, numerum adaugebat ad deterrendos nostros, ne audacius progressis incumberent, ita ut regem pariter cum media acie, & subinde Tramulium cum postrema non procul esse nunciaret, quo mendacio salutem Giensi allatam constat, qui paucitati militum suorum diffusus, perturbatusq; certamine in editiorem locum se receperat, ut ibi cõmunis quoquo modo castris, uel tardè subsequenter regem expectaret. Sed quum peritis ducibus delendi primi agminis occasio, ad summam demum de rege uictoriam oblata uideretur, Mätuanus nihil tentandum esse, expectandasq; omnino reliquas copias censuit, ut toto simul instructo exercitu tutius atq; nobiliter conspecto rege hoste certaretur. Numero siquidem Italiæ copie superabant, apparebatq; eas in congressu superiores euasuras, nisi à maiorum disciplina fõrdè discedentibus, Fortuna defuisset. Itaq; Carolus integrum sequentis diei spatium nactus, atq; opportunè affectus primum agmen, ad Foronouum cõcedit. Intererat inter bina castra, flumen Tarrus qui ex Appennino seui torrentis more per abruptas ualles, saxoso inæqualiq; alueo delapsus, patentibus demum campis in Padum euoluitur. Veneti à leua in Latiore amnis margine, non longè ab Oppiano uico depressioribus locis tendebant, Gallus in dextro latere

PAULI IOVII HISTOR.

tere profluentis uadum, in leuo Medefanum oppidum habebat, potitusq; superioribus collibus, hostium castra facile de spectabat, quæ maximi exercitus speciem tot undiq; erectis tentorijs, mirantium Gallorum oculis reddebant. Carolus ubi se exercitumq; suum eò perductum uidet, unde sibi nulla spes euadendi, nisi duce Victoria relinqueretur, ad tentandos legatorum animos, si aliquot dierum inducias impetrare posset, caduceatorem transmisit. Namq; Hercules Atestinus insite legatorum ingenijs cunctationi fauens, paulo antè, ut animos cum regitum Gallis ducibus inopinato hostium apparatu percussos confirmaret, pro certo exploratoq; perscripserat, neq; legatos neq; Gonzagam ducem generum suum ullam habere à senatu committendæ uniuersæ pugnæ potestatem. Igitur caduceator ad legatos ac duces introductus, regem suum uehementer mirari dixit, quòd Venetiquos nunquam iniuria lacesisset, ad prohibendum quo minus in Galliam profiscatur, instructis copijs aduenissent, se pro æquo iure gentium id tantum petere, ut per inducias exercitum comœatu nec gratuito quidem passim iuuent, & pacato itinere in Galliam pertendere sinant. Id si fecerint se Veneto senatui eiusq; ducibus singularem gratiam habiturum: Quod si id præstare nolint, amicitiamq; recusent, & contra ui contendant, Gallos milites uera uirtute non modo sibi aperturos uiam, sed & regi suo iter ipsum prohibentium cadaueribus constratuos. Ea legati, tametsi arrogantiùs quàm Italarum aures perferre possent expositi erant, æquis tamen animis exceperunt. Quoniam Araldos uel dicto uiolare nefas est, qui Gallico more superbe admodum & summa quadam dicendi libertate mandata deferre, & bella hostibus denunciare impunè solent. Ceterum ad ea breuibus est

est responsum: Si Carolus occupandæ Italiæ consilia abiceret, Ostia atq; Nouaria præsidia deduceret, & sine maleficio proficisceretur, liberam illi fore abeundi facultatem: si ea facere negligeret, Venetos quoq; sociorum iniurias minime neglecturos, ac uti ex foedere dederent publicum totius Italiæ hostem bello persecuturos. Araldus ad Carolum reuersus, utpote qui speculando cuncta propè oculis collustrarat, multa de situ munitioneq; castrorum, & de numero, cultiq; & alacritate Italorum militum anxio timentiq; similis enarravit. Ita ut rex ipse, & pleriq; duces ueluti suprema in cura, & de salute omnium dubitare uiderentur. Disputando enim, aliqui Pisas redeundum esse, & sedem bello adiunctis Florentinis in Aetruria deligendam: alij nulla dederis cura habita expedito agmine pertransuersas Apennini ualles, ad Astartam propè contendendum. Cæteri nullam Aristoteli rationem habendam: paciscendumq; cum hostibus, qui omnibus rebus superiores essent, modo regis exercitusq; saluti prolixè caueretur, censebant. Pauci deniq; erant qui regis uitam ac libertatem in periculum iniquæ pugnae temere deuocandam arbitrarentur: quum nemo esset, qui non de regis potius quàm de sua salute sollicitus, imminentis prælij euentum omni alia re duriolem fore existimaret: Ita ut neq; exitum consilij, neq; certam in eo discrimine seruandi exercitus rationem inuenire uiderentur. Tum uerò Triuultium, in quem unum maximè ducum oculi coniecti erant, in hunc modum magna omnium expectatione locutum ferunt. Qui de dubijs rei bellicæ casibus præsentis iam periculo consultant, unam, quæ reliqua est & salutis & uictoriæ rationem, ab ipsa animi magnitudine ducere debent. Nam quum uis in negotio plurimum urget, & forti pariter con-



PAULI IOVII HISTOR.

filio factōq; maxime est opus, demittere se animo uel pauore occupari, cum turpe, tum cuentū ipso plerunq; funestum est: Sed id multo magis indecorum atq; importunum uideatur, quum ipsa pericula anxie nimis expendendo, reputandōq; & atrociora & maiora uero nobis effingimus. Dubitauerē & quidem uehementer inuicte Carole de tua exercitusq; salute nonnulli qui ante me dixerunt uiri graues: & quod maxime eorum dictis fidem obligat, peracres & strenui bellatores, scilicet commemorando quæ penuria rerum famesq; uiris pariter ac iumentis imminant: quæ locorum asperitates, quæ angustia & iter demorentur & uirtutis usum fortibus uiris eripiant: ac demum quales, quantūq; hostium copia, & numero paucis & tanti itineris labore desessis, aditus ipsos ad euadendum præcluserint: Sic ut omnia alia experiri præstet, quàm desperata uictoria, ut contendendo summe rei discrimen subire: quasi, uci aliquibus placet, permontana Ligurum, ut in pacatam Italiae partem ad Alpes euadamus, impedimentis, maioribusq; tormentis hosti relictis, clādestina scēdaq; fuga, generosissimo, ac semper uictori regi, turpissimū ac maxime luctuosum iter sit arripiendum, uel terga hosti danda, et Pise iterum repetēda, ut mox circumfusus terramariq; hostibus, fame domiti, deditiq; demum, cunctis ludibrio simus. Neq; id quoq; probauerim, ut turpi pactione tutum in Galliam iter ab armatis hostibus sit impetrandum. Per quam enim aliam fidem pacata omnia præstabunt, nisi per eam qua modo tam impudenter recentia scēdera uiolarunt? Sed hoc credamus perfidiosis hominibus, nam & ij aliquando datam fidem seruare solent, ut opportunius & maiore quidem cum lucro postea decipiant: Nonne hac infœlici sponssione, tot uiri fortes, qui Neapolita-

num regnum egregie defendunt, omni auxiliorum spe destituti, deserentur simul et seuisimis hostibus prodentur: curusq; ipse ad ampliorem uictoriam institutus, si Nouaria urbe praesidia deducantur, penitus erit interruptus? Ego certe id unum & tutum & decorum consilium esse uideo, quod asperum & maxime periculosum ceteris uidetur. Scilicet ut abiectis omnibus pacis aut fuga cogitationibus, iter nobis quamprimum gladijs aperiamus. Neq; proinde quod haec successu ipso facilia nobis fore pollicear, nec de uictoria desperem, plus prouidere animo quam ceteri, & de toto instantis negotij euentu praesentire arrogantius uideri uelim. Hoc enim non ingenio meo, sed militiae usui, & Italicarum rerum experientiae concedi potest, quum abhinc multos annos omnibus Italiae bellis intersuerim, quibus cum principum tum ducum ac militum consilia, sensus, artes, disciplinae namq; ipsam abunde nouisse haud difficile fuit: quae omnia sic me demum non obscuris meis saepe periculis erudierunt, ut neq; audacem neq; omnino trepidum fecerint. Ante omnia quae animos periculi magnitudine commotos uehementer perterrent, illud minime crediderim, Venetos collatis signis ultro nobiscum esse dimicatuos. Nam praeterquam quod nullam conflagrandi potestatem legatis uel ducibus a Senatu eorum datam aliquorum literis cognouistis, quis putabit gentem ad trahenda bella, & ad cunctandum natam, tardis cautiioribusq; semper innixam consilij, pro aliena causa, absq; ulla necessitate, aleam uniuersi certaminis esse subituram? Auxere enim Veneti rem suam sedendo spectandoq; quum praeterea temeritati ducum ac militum, & mille fortunae casibus abiecta esse, facto saepius infelici periculo didicerint. Stultum enim est in republica quae perennibus consilij atq; inexhau-

PAULI IOVII HISTOR.

stis opibus uiget, speciosos ab ancipiti cruentaq; acie triumphos appetere, quum naturā certamq; uniuersi belli uictoriam non temere expectent, qui bellicis sumptibus minimē deterrentur. Neq; Ludouicum sfortiam hominem per se timidum sufficacem & ualdē cautum, id planē ex arcano consilio contendere arbitror, ut auspicijs Venetorū Gallicæ copie deleantur. Quis enim alius (quod dii auertant) eius uictoriæ exitus fuerit, quā ut uictori Veneto Mediolanense imperium prædæ cedat, quod impotentibus armis inuadendo lacerandoq; singulari cupiditate semper affectarint? Sed putemus Ludouicū nihil hodie pro sano cautoq; facturum, Venetosq; item nouo quodā repentinoq; consilio totius Italiæ imperium dubij Martis arbitrio commissuros, non ob id edepol magnanime Carole de uictoria fuerit dubitandū. Decedant fortibus animis inanes metus, quū ea omnia quæ sibi dimicaturō optimus quisq; imperator exoptat, spem non dubiam rei bene gerendæ nobis polliceatur. Causa in primis longe optima, fidus ac ueteranus miles, tormēta plurima, locus æquisimus, & nullius demum rei præterquam communis salutis & gloriæ respectus. Italarum hodie militum uirtutem neq; eleuo neq; extollo: Ineptē siquidem aut impudenter fecerim, si de hac re iudicij mei sententiam interponam, sic, ut integro pudore meo hoc unum confiteri testariq; non dubitem, nobis scilicet cum tirone et collectitio exercitu rem futuram: multo enim maxima pars eorum equitū quos cristis armisq; fulgentes conspiciamus, nunquam nisi in pompa, dum lustrantur exercitus, ipsisq; in ludicris pugnis atq; spectaculis arma induit, aut clangorem tubarum audiuit, quod in Italia multis ab hinc annis nec bellatū sit, nec iusta cruentaq; acie dimicatum.

phalangis non ferent, sed nec aspectum quidem tanto ordine incumbentium armis animisq; impares sustinebunt. Relinquitur ut artes & dolos alicuius inueteratæ prudentiæ ducis magnopere timeamus. Quas enim insidias tendet, quòue ordine per iniqua torrentis uada producet, ut nos densato agmine ire pergentes inuadat adolescens imperator, qui nulla unquã præter hæc sua, nominis hercle titulo potius quàm certæ uirtutis merito, militaria castra conspexit? Itaq; rex inuicte, ut iam instituimus, peruadendum esse censeo, tu rectè feceris, similites, ut de pugnae euentu non dubitent, hostesq; despiciant, fueris adhortatus, ad leuam iuxta colles impedimenta paululum semota ab armatis ordinibus uel diripienda hosti, prædæ potius quàm pugnae auido, non temere obijcerem. In dextra secundū amnem tormenta aduersus hostes collocentur. Ego primi agminis ac itineris cum Giense nostro collega ducē agam, periculoq; propior dabo operam nauiter, ut huius te suscepti cōsiliij minimè pœniteat, reliqua belli munia ueteres maximè duces inter se partientur, atq; in utrunq; simul itineris & prælij casum, parato expeditoq; exercitu ad uictoriam contendent, neq; enim eos uel pristina uirtus uel Fortuna tua destituet, qui perpetuis nobilitati uictorijs strenuè pugnare uel pro una tantum gloria didicerunt. Postquam Triuultius uultu fiducia pleno perorauit, nemo fere uisus est, quanquam non dubius quorundam animis insideret metus, qui non alacriter in eius sententiam iret, iuraretq; se nisi uictorem è prælio minimè discessurum. Tum uerò Carolus dispositis equitum præsidij, qui Græcos omnibus propè horis cum multo clamore uarios tumultus ad castra excitantes ex omni parte reprimerent, integram se re noctè peruigil ducens, in albescente coelo sacris interfuit,

## PAULI IOVII HISTOR.

ientantiq; et ut idem facerent milites, ad iterq; simul ac prælium capeſſendum corpora atq; animos præpararent, edixit: nec multum inde ualidis potius quàm decoris protectus armis, equũ conſcendit neq; nobili colore uel celsa ſtatura conſpicuum, quum eſſet abſolutæ ob idq; damnatæ nigredinis unicolor, dextroq; oculo captus: ſed qui quadrato habitu indomitum præferret robur, humanoq; propè ſenſu, ſeſſoris iudicio conceptæ de ſe ſpei decus agnoſceret. Neq; enim uel à cono caſidis, uel à regali cultu noſci uolebat: utpote qui ſibi ad latus ſeptem iuuenes fide uirtuteq; præſtantes paribus ornatos inſignibus antea delegiſſet. Prodeuntẽ milites ita alacri uoce geſtuq; ſalutarunt, ut ſari incipientem interpellarent, obſecrantes, ut de uictoria, quæ iam eſſet in manibus, minime dubitaret. Apparuit enim tũ ſeiſo celiſior atq; uiuidior, quum eſſet admodum puſillus, et propter ueterem morbum imbecillis, ad inceſſum cruribus nequaquam platinè firmus & ualidus: ſed tum fronte atq; oculis aduncòq; præſertim, & prominente naſo, pugnacis ac intrepidi militis ſpeciem præbebat. Conſeſſere medium regem binæ alæ nobilium equitũ, quibus Scotorum prætoria cohors ſeſe admifcuit. Matthæus porrò Borbonius cognomẽto Baſtardus, cui rex maxime fidebat, & Robinetus Framella uir egregiè fortis, Ludouici Aureliani cataphraكتورum ductor, alas ſuas conſertim applicantes, hic in læuo, ille in dextro latere conſtiterunt. Sequebatur interuallo duorum ſtadium tertium, idq; poſtremum agmen, cui ſuſtus pernobilis in Aquitania regulus, atq; ipſe Tranulius magnis poſtea rebus geſtis dux clarus, præerant. Apud hos inſignium equitum robur fuit. ſed in primo agmine Germanicæ phalanges precipuæ ſpei uirtutisq;, et tormẽta maiora ſpectabantur. Antecedes

cedebant Giensis atq; Triuultius expedita manu equitū, ut sequentibus iter monstrarent. Hos ad teli iactum Heluetij Germaniq; quadrato agmine sequebatur, quibus Gilbertus Cleuensis, & Antonius Basseius duces, Germanicæ periti lingue, triplex stipendium regio nomine promiserat, si fidelis sortiq; manu inuisum incolumemq; regem præstarent. His ad leuam coniuncti erant balistarij Vascones, & trecen-  
 ti ferè ex prætorianis sagittarij, qui infelici consilio amotis equis in pedes desilierant, ut firmiore uestigio tendendis arcibus niterentur. Tormenta uerò iuxta phalangē pari passu perducta, contra flumē quod intererat hostilesq; acies collocata erant. Lixæ atq; omnis incondita calorum turba cum impedinentis secundum sinistros colles iter intendebant. At Mantuanus, qui Gallos, si ad leuam Medesaniū uersus desisterent, quā illis iter erat in agrum Derthonensem, tergis abeuntium insistere, et totis copijs persequi decreuerat, ubi eos ab Foronouo densis ordinibus descendere conspexit, sibi nequaquam amplius morandum ratus aciem, ueterum militum usus consilio, in hunc modum instruxit. Erant uniuersæ copię in nouem diuise ordines, quæ duorū amplius milium & quadringētorum equitum cataphraetorum, leuis autem armaturæ paulò minus duorum milium, et peditum circiter duodecim milium summā efficiebant. In primo agmine fuerat Petrus Dodus Venetus cum Græcis equitibus sexcentis, et Alexius Beccacutus cum totidem ferè equitibus sagittarijs, qui non arcibus ligneis, uti Galli solent, sed ballistis arciferreis utebantur. Quibus iniunctum fuit, ut colles à tergo circumirent, & in latus sinistrum primi agminis uerterentur, ut ire pergentes Gallos, à cœpto iam itinere, tumultuario pugne genere distinerent. In secundo Calatinus fuit

PAVLI IOVII HISTOR.

cum Sfortianis copijs, ea ratione ut quum primum à Tri-  
 uultio & Giensi cum leui armatura contractum certamen  
 foret, ipse confestim occupatos turbatosq; ad dexteram ado-  
 riretur: Ea acies sexcentis cataphractis, & Germanorum  
 mercede conductorum Italarumq; peditum tribus milibus  
 constabat. Dux ipse ascitis sibi Rodulpho patruo, Ranuc-  
 cioq; Farnesio, cum delectis circiter quingentis cataphra-  
 ctis, & totidem sagittarijs, quatuorq; peditum milibus, in-  
 uadendi medijs agminis, ubi rex erat munus desumpsit. Forte  
 bracio autem Montonio cum quarta acie inuadendi postre-  
 mos hostes fors obuinit. Ternæ quoque obiter subsidiariæ  
 acies opportuno hercle ordine, sed foedo admodum euentu  
 constitutæ sunt: Ita ut Antonius Feltrius Urbinas Imperato-  
 ri, quum signum daretur, maturè opem ferret. Annibal ue-  
 rò Bentiuolus, & Galeatius Pallauicinus, ubi opus foret,  
 Calatinum consequerentur: Aloisius demum Aduocatus &  
 Franciscus Gambarà Brixiani, Socinusq; Benzonus Cre-  
 mensis, Montonij uestigijs insisterent. Hæc ideò constitutæ  
 fuerant, ut quum unaquæq; Gallorum acies suo implicata  
 periculo, proximè laboranti subsidio esse non posset, omnes  
 simul uno tempore ab omnibus prope lateribus cederen-  
 tur. Octaua nonaq; paulo remotius ad incerta prælij in sub-  
 sidijs collocatæ. Falianus uerò pius et Carolus Meliteus cum  
 reliquis copijs castrorum præsidio relictæ. Porrò tormento-  
 rum magistris imperatum, ut ea locis quantum ratione mi-  
 litari prouideri poterat opportunis, longo ordine secun-  
 dum profluentis Tari editiores ripas, in hostes uerterentur.  
 Instructa acie Mantuanus ad legatos reuersus est, qui tam-  
 etsi graui admodum suspensi cura prælio decertare ab eo-  
 rum Reipublicæ rationibus alienum esse iudicabant, ea ta-  
 men

men erat adeò egregiè instructi ornatq; exercitus ad pugnandum alacritas, ut ipsos iam cautioris consilij pœneret, & summa simul latitia & certa spe uictoriæ penitus implerentur. Neq; erat quisquam uel ætatis uel militaris dignitatis honore insignis, qui tum cunctanter aut suspensè de in eunda pugna consultare, uel palam de uictoria dubitare auderet: nam pleriq; tirones inani quodam pugnandi studio, ac uirium fiducia elati, si quem in eo summæ rei discrimine cautius consideratiusq; loquentem uidissent, palam incessebant probris, & segnem ac timidum compellabāt. Acciditq; ut ipse Rodulphus, quum locum pugnaturis iniquum fore, & propterea prius exequandum esse censeret, à Mario Caluisiano petulanter irrideretur. Is erat inter Mantuani familiares gratia decore iuuentæ parta conspicuus. Illoto enim ore dicebat, eos qui tantopere cuti suæ pertimerent cautè facturos, si quamprimū abirent, & se Parmæ urbis moenibus egregiè tuerentur. Utinam inquit Rodulphus qui uerbis audaces & feroculi sunt, me uadentem in confertos hostes strenuè sequantur. Non enim pietarum & inanium hastarū (ut in ipsis fit ludis) ietus excipient, sed ualidos mucrones experientur: Dijq; faxint ut sagulos hosce admodum speciosos alieno potius quàm nostro sanguine desordemus. Erat enim Rodulphus externæ militiæ uerus atq; præcipuus estimator: quoniam ab ineunte ætate inter pueros armigeros Caroli Belgarum principis, hisq; tribus admodum funestis interfuerat prælijs, quibus ille postremò deuictus, et formidabiles antea copias, et regnū ipsum cū uita pariter amisit. Interea quum iam Gallus appropinquaret, & frequenti tormentorū crepitu milites ad pugnam excitarentur, Mantuanus conuersus ad legatos: Si uobis, inquit, è Republica



## PAULI IOVII HISTOR.

uidetur, ut fortiter obviam eamus Gallorum audaciae, qui sibi totius Italiae imperium barbara uanitate despondet, minime prolixè consultandum est: sed quum uis & turba hostium nos uocent, è uestigio de pugna cogitandum. Nam si hostem è manibus cunctando emisserimus, nequaquam parem eius opprimendi occasionem postea reperiemus: frustra; expeditum, uastantem cuncta, et subsidio suis ire properantem per asperos tranites persequemur. Ego equidem, si iusseritis, Veneto senatui probabo operam meam, cunctisq; corporis ac animi uiribus contendam, ut Italo militi antiquum suum decus ab externis gentibus minime ereptum esse protinus ostendatur, uobisq; Venetis Italicae dignitatis ueris certisq; uindicibus clarissimus de superbo hoste triumphus nostra uirtute comparetur. Ad ea Triuisianus annuente collega, Maeste inquit ingenti uirtute imperator, postquam adeò insigne studium erga Venetum nomen eximia animi magnitudine testaris, & te ad sempiternae laudis fructum seruandae Italiae decus accendit, signa canere iube, et quod Veneto senatui sociisq; foederatis bonum faustumq; fiet, instructas acies in hostem uerte, fortiterq; uincendo entere, ut familia tua perpetuo ueteris gloriae fulgore insignis, multo maxime decoris nouae uictoriae titulis illustretur: Nec mora tympana turbæq; & tormenta ex propinquo in hostem emitti coepta, uno simul tempore concrepauerunt, distinctæq; acies suo (ut diximus) ordine tribus in locis per annis alueum ad hostes contenderunt. Verum adeò temerè ac infelicitè procursum est, ut qui tanta alacritate ferebantur, summa locorum iniquitate prius turbati semiuictisq; sint, quàm ad hostes peruenire potuerint. Erat enim Tarralueus enormis, tortuosus, internatisq; frequentibus salictis

ualde

ualde impeditus, ipse margines utriusq; ripæ, ubi torrentis  
 aquæ uis allidebat, descensu pariter ascensuq; difficiles. A=  
 quæ etiã ab hesterno pleno imbri cauis delapsæ locis, in la=  
 cunas maxime limosas & cæcas uoragines abierant: postre=  
 mò uada ipsa uagantis amnis passim lapidosa atq; incertæ:  
 quibus rebus, uti necesse erat, transeuntium cursus atq; im=  
 petus magnopere tardabatur. His conflictati incommodis,  
 quanquam magna eorum pars agrè se explicaret, nec præ=  
 euntes consequerentur, strenuè tamen hostes inuadunt, ha=  
 stis, gladijs concurrunt, ac triplici loco prælium atrox, ua=  
 rium, & modo ipsis, modo illis funestum miscunt. Constitute=  
 rant Galli loco admodum tuto, qui ab ea parte qua aditus  
 dabatur, salebrosus erat, & frequentibus arboribus impedi=  
 tus: ita ut ab accliu parte Itali subirent, & dispersi cum con=  
 fertissima hostium acie, maiore uis quàm arte, & iniqua de=  
 mum fortuna dimicaret. Galli contra densare aciem, nihil  
 temerè loco dimoueri, in medium proruentes excipere, ex=  
 ceptos circumstiterè, breuioribusq; gladijs pertentado quàm  
 maxime penetrare in corpus ferrum posset, confodere atq;  
 prosternere. Interim Græci equites, qui primum agmen in=  
 uaserant, quum à cataphraetis nequicquam circumfusi un=  
 diq; pellerentur, & Annonius atq; Buschius eorum præ=  
 fecti uiri acres, uulnerati prælio excessissent, conuersis re=  
 pente equis ad diripienda impedimenta conuolarunt, quæ  
 monitu Triuultij de industria hostibus obiecta fuerant, ut  
 illis præda occupatis, regi transitus expeditior atq; facilior  
 redderetur. Ibi lixæ, calones, & sceminæ, mulionesq; inter=  
 iumenta cadentesq; sarcinas sædè iactati, ac dum repug=  
 nant, uel rapientes impediunt promiscuè casti impedimen=  
 taq; ferè omnia capta direptaq; sunt. Is tumultus, quòd dis-

PAULI IOVII HISTOR.

sonis tot gentium clamoribus cuncta perstrepebant, è proximo peditum cohortes etiam exciuit, quæ prædæ auidæ, ordines nullo pudore deferebant. Tum uero inter socios cruentum admodum & miserabile certamen exortum, quum regiam gazam alij in diuersa traherent, alij à ualidioribus oppressi, in ipsis prædæ complexibus cederentur. Ea res omnium consensu Gallis salutem peperit. Nam prima Gallorum acies, Græcis ad prædam inclinantibus, ex transuerso eorum quos Calatinus induxerat impetum fortiter excepit, secundæq; laboranti opem tulit, & secunda pariter aucta uiribus atq; animis pulso cum ingenti cæde Mantuano, tertie quam Montonius perturbabat, subsidio fuit. Ibi demum quum duæ simul acies, prima Ciensis, & secunda regis utrinq; Italum militem acerrimè premerent, Rodolphus atq; Ranucius in medio circumuenti interficiuntur, totaq; penè ala familiarium Mantuani in qua plerique nobiles erant conciditur. Cadit & ante oculos ducis ipse Caluistianus, & centuaria singularium peditum ad custodiam corporis deleta pariter cæsa protritaq; est. Ipse Mantuanus, qui admiranda uirtute per medios equites ad tormenta peruenerat, magistrisq; eorum, & equis quibus trahuntur interfectis, cohortem Vasconum tormentis præsidio constitutam, et prætorianos simul sagittarios procella equitum obruerat, e medijs hostibus equo grauitè uulnerato uix se eripuit, quum eum ingenti serica pyramide, quæ illi pro cono in galea fuit, ante alios conspicuum, & tota acie uolitantem omnes certatim peterent. Eandem quoq; fortunam tulerunt Itali pedites, qui in parte Calatini fuerat. Nam quum primi eorum ordines prælongas hastas leuo sustentatas brachio (ut tum mos erat) ab solo excuterent, sequentes uero scutati hastilia

lato ferro iacularentur, & ceteri post scutatos balistarum sagittas emitterent, nō modo sine timore aliquo, sed etiam cum risu ab Heluetijs excepti sunt, qui in unum densate phalangis corpus egregie conglobati, id ineptum armorum genus atq; eum pugnandi morem facile contemnebant. Extemplo namq; ubi appropinquatum est, extra ordinarij delecti iuvenes ferme trecenti, qui propter laudem summo quæsitam periculo, uitæ prodigi perditiq; uocantur, ab utroq; phalange latere prosilierunt, ac ingentibus gladijs quos ambabus manibus regebant, enormes hastas præcidere cœperunt. Quorum audacia territi penè omnes, priusquam phalanges impressionem expectarent, terga uerterunt. Eoq; in loco Germanorum mercede conductorum cohors una, quæ Gallica tormenta audacter inuaserat pertinaciusq; restiterat, peracri Heluetiorum impetu trucidata. Imber quoq; admodum repentinus multa commistus grandine, cum fulgore & tonitru cælo effusus, ad eò opportuno tempore suos iam & in fugam inclinatos afflixit, ut Dij ipsi pro Gallis bellum gerere uiderentur. Tanta enim aquarum mole flumen Tarrus, qui modo arenæ similis defluebat, torrentibus ac riuis undiq; in eius alueum præcipitatis, auclius est, ut neq; euadere, qui iam in fuga salutis spem collocarant tuto possent, neq; integri ordines, qui pulsus subsidio pergere cupiebant, amnem, uiros, equos, armaq; sæuo impetu rapientem transire audent. Nec interim tormenta utrinq; cessabāt, quamquam accipiti uel inani periculo in permistos sæpius emitterentur. In tanta rerū iniquitate Mantuanus se ipsum non deserit, tametsi incredibili dolore erat perturbatus, quod tot uiros fortes suum sequutos nomen, ipsumq; Rodulphum patrum desperata ope circumuentos conspexisset. Erat ad leuam ri-

PAULI IOVII HISTOR.

nus utringq; modico aggere castigatus, qui ad frumentarias  
 molas defluebat. In eum precipiti fuga pedites atq; equites  
 foeda colluctatione deferebantur. Qua re animaduersa,  
 Mantuanus mutato equo ibi constitit, increpando fugam ac  
 sistendo signa, ualida an manum coëgit, qui tametsi uarijs  
 prælij fugæq; ac ipsius demum pluuiæ incommodis uehe-  
 menter erant fatigati, impigre tamen prælium redintegra-  
 runt, effuseq; insecutos Gallos cum cæde repulerunt. Ibi  
 Miolensis regulus atque ipse Borbonius ab Alexio Becca-  
 cuto in ceruice uulneratus, non procul à rege capiuntur, &  
 nonnulli illustres Galli equites. Magno autem usui fuit Pe-  
 tilani aduentus, quo minus qui primo pugnam inierant de-  
 lerentur: Is enim iam pridem ad Nolan captus, quum in Gal-  
 liam duceretur, occupatis in eo prælij discrimine custodibus  
 è medio tumultu ad Venetos perfugerat, uictosq; Gallos &  
 in fugam coniectos nunciando cohortandoq; ne certam ui-  
 ctoriam manibus emitterent, pauidis & dilabentibus ani-  
 mos restituerat, ita ut obuios quosq; in prælium nominis au-  
 thoritate conuerteret. Ceterum Gallos à primo et secundo ag-  
 mine, pulsus sussumq; ita uia persequentes, idè inflatus animis,  
 ne summa uictoria potirentur, retardauit, sicuti paulo ante,  
 ne postremæ Venetorum acies primis succederent atq; open-  
 perturbatis ferrent, obstiterat. Verum præclare constat  
 Giensem uel contra ipso Triuulcio & Francisco Sicco Flo-  
 rentinorum duce uehementer obtestantibus, ne occasionem  
 delendi hostis deperire sinerent, terga dantes persequi aut  
 omnino progredi noluisse, quod à conspectu regij agmi-  
 nis nequaquam temere discedendum putaret, incerto adhuc  
 prælij euentu, regeq; præsertim à uarijs quanquam pla-  
 ne dissipatis hostium turmis ex omni parte circumuento.

Nec

Nec multo post coeuntes circa regem pleriq; duces, receptui cecinerunt, ut coniunctis agminibus & densata rursus acie, motum hostiū expectarent, quū noui atq; integri armorum hostium ordines parato ad excipiendā pugnam in ulteriore annis ripa spectarentur: & fessis equis fessi ipsi milites requiescere, quā palantes persequi mallent, contenti scilicet ea uictoria quae reputatione periculi seipsa maior apparuit: quod non modo inuito hoste, sed eo pulso prostratoq; iter ipsum uti instituerant, sibi armis atq; uirtute parauissent. Mantuanus quoq; subsidijs frustra expectatis, quod reliquae acies sociorum clade, ac inflati annis difficultate conterritae pugnam detrectarant, ab ultimo abeuntium agmine se explicuit: atq; ante equioribus uadis superato, ad legatos in castra se recepit. Hæc est illa memorabilis Tarrensis pugna, quae maiore aliquanto temeritate quā ignauia, antiquum Italicae militiæ decus amisimus: coepimusq; cum inexpiabili ignominia nostra exteris nationibus, quibus modo terrori eramus, contemptui esse, sic, ut eis in quas seruire demum Italia calamitates incidimus, in hunc ipsum adeo lugubrem inauspicatae pugnae euentū referamus: et merito tantarum (quae mox secuta sunt) cladum authores diris imprecationibus prosequamur. Quinquam certo plane Deorum immortalium iudicio factum esse uideamus, ut qui primi execrabili scelestoq; consilio, patriam terrā in has miseras precipitarunt, ipsi ante alios, & insigni quidem exemplo, dignas exitiabili insania sua poenas persoluerint. Perire eo praelio ex Venetis atq; Sfortiamis supra quatuor hominum milia, in quibus fuere, praeter Rodolphum atq; Rannuccium, Ioannes Picininus Nicolai clarissimi dicis nepos, Galeacius Corregius, Robertus Strozza, Alexanderq; Beral

PAULI IOVII HISTOR.

dus turmarum præfecti, itemq; Vincentius Corsus, qui pedum  
 agmen ductabat, & Malfactus & Gabanellus, qui in  
 prætoriam cohorte, cum alijs tum eo prelio maxime eximie  
 fortitudinis laudem adepti, euadenti Mantuano ingentibus  
 romphæis sternendo hostes uiam aperuerant. In partibus  
 uerò Gallorum, præter inconditam lixarum multitudinem,  
 quæ stragem multò maiore scediorēq; reddidit, uiri fortes  
 circiter mille: desiderati sunt etiam in his Iulianus & Daso-  
 nius alarum legati, Vardeusq; Hippotoxotarum dux, et ip-  
 se prætorianæ turmæ præfectus, atq; itē nobiles oppidorum  
 suorū nominibus appellati, Torsuensis Semplensis et Ampra-  
 censis. Sed insignem omnino iacturā graui cum dolore rex sen-  
 sit, quū sagittarios corporis custodes ferme omnes, quos re-  
 motis equis in pedes descendisse diximus, interfectos esse co-  
 gnouisset. Nec ipse leue admodum uitæ discrimen subiisse fer-  
 tur, quum perrumpente aciem Mantuano, perturbatoq; to-  
 to agmine, penè desertus obuertendo frontem, & gladium  
 stringēdo, propulsantis equi inuicti robore, se proculdubio  
 seruatum fuisse fateretur. Ceterum Carolus, signis receptui  
 canentibus, insignes aliquot ex suis ob eximiam spectat. omq;  
 uirtutem, equestri dignitate donauit. Quod statim fiebat, et  
 maximi honoris loco habebatur, quum rex ipso gladio di-  
 stricto uiri fortis humerum leniter percussisset. In his fuit  
 Canillus Vitellius, qui, fratribus in Liguriam tendentibus,  
 Carolum sequebatur. Galli secundum Tarrum in proximo  
 colle pernoctarunt exuti omnibus impedimentis atq; tento-  
 rijs, et ad summam propè commeatu inopiam redacti. Qui  
 tamen si non dubia potiti uictoria effusè letabantur, paucita-  
 ti tamen suæ magnopere timebant, uel maxime propter salu-  
 tiorum ægrorumq; numerum, quibus conseruandis auehen-  
 disq;

alijsq; propter asperitatem itineris, maxima difficultas pro-  
 ponebatur. Videbant enim aduersarios multitudine expedi-  
 torum equitum plurimum ualere, quorum indefessa opera  
 ac celeritate præcludere comæatus, itinera obsidere, & no-  
 uissimos persequendo carpendoq; uarijs incommodis, gra-  
 ue præsertim Heluetiorum agmen, afficere possent. Sed hoc  
 metu curaq; ducibus occupatis, & maxime fessis, Germani  
 Heluetij, quum rex eis donatiui nomine mille aureos num-  
 mos liberali manu diuississet, ea nocte custodiæ castrorum mu-  
 nus cum multo tympanorum strepitu susceperunt. At in Ve-  
 netis castris uarij erant animorum habitus: namq; alij mœ-  
 rore, alij gaudio in singulis propè contubernijs agitaban-  
 tur, prout quisq; socium uel propinquum amiserat, uel opi-  
 ma præda fuerat potitus. Cessere omnia ignobiliũ militum,  
 & præsertim Græcorum auaritiæ regij apparatus, uasa  
 aurea atq; argentea, pretiosa uestis, regale tabernaculum,  
 aula omnis generis, & gemmata sacrorum instrumenta,  
 ipseq; demum Neapolitanorum regum opes, quæ in Gal-  
 liam ad exornandum triumphum asportabantur. Cæterum  
 duces præfectiq; omnes, postquam cum legatis in unum co-  
 iuere, uariè pro cuiusq; ingenio differebant: Alij enim, &  
 ij quidem multo plures, qui timore oppressi uidebantur, mu-  
 tãda esse castra censebant, seruandumq; exercitum, in cuius  
 incolumitate salus & incolumes Italiae res forent. Alij qui  
 in prælio uersati erant, & maiores quàm antea spiritus sibi  
 desumpserãt, inuadendum iterum hostem, atq; cum debilita-  
 tum uulneribus, ac timore consternatum omnino delendum  
 iudicabant: Quòd ipsi non uirtute Gallorum, sed locorum  
 iniquitate superati uiderentur. Tum uerò Mantuanus, si in-  
 quit hodie pari consensu, uel cuncti timidi fuissimus, neq;



PAULI IOVII HISTOR.

de loco deferendo, neq; de inuadendis hostibus ageretur: nam uel letiores cum rege captiuo in hostium castris cenaremus, uel certe integri uiribus atq; animis, hoc ipso tutissimo uallo teneremur. Sed quum extrema consilia dissidentibus ingenijs semper officiant, media autem in uniuersum iuuent, neq; pavidos refugere patiar, neq; item permittam, ut uiri fortes iterū pugnae Fortunam periclitentur. Quid enim aliud erit, hac non satis adhuc castigata temeritate, iniquo atq; infelici loco hostem adoriri, quàm feras exagitare, atq; ipsas ultimo salutis discrimine effratas irritare? Vltima siquidem necessitas in rabiem uertit, atq; eos plerunq;, qui penitus de uita desperent, ex timidis longè fortissimos facit. Quòd uerò castra procul ab hoste reducenda uideantur, absit medius fidius à uirorum consilio, ut quam hodie aliquorum ignauiā & fuga ignominiam accepimus, eam fœdè castra retrahendo, ueluti, supremo dedecore cumulemus. Quid enim aliud subita mutatio castrorum quàm graue uulnus acceptum, timorem summum, desperationem uictoriae, et deniq; turpissimam fugam propinquis hostibus significabit? Manendum igitur his in castris, adhibendaq; fortiter opera, ut quod acceptum est incommodum, cautiore meo consilio, & fœliciore uestra uirtute sartiatur. Primum omnium saucios Parmam deuehi, curariq; iubebimus: Integris copijs, ut aliqua defessis requies detur, cura castrorum erit demandata. Ipse uigilias circumibo, cunctos aditus certis firmabo praesidijs, idq; omnino contendam, ut nos quàm maxime tuti ab impetu hostium reddamur. Crastina uerò dies, motus animosq; hostium clarius nobis ostendet, tutioremq; uiam consilijs nostris explicabit. Legati huic sententiae facile assenserunt: Nam tametsi Mātuanus strenui potius equitis quàm prudentis

prudētis ducis officium impleuisse uidebatur, tantum tamen aberat, ut eum à funesto pugnae exitu temeritatis nomine reprehenderent, ut etiam hac noua probata uirtutis inuictiq; animi gloria, clariorē factum admirarentur. Nam per se uel per amplis alijs gestis honoribus maximē clari senes, ea tanquam summē decora bellicae laudis accessione letabantur, eiusq; uictoriae magno Gonzage ausu propemodum partae, pernobilem de tanto rege penē capto triumphum aliquorum imperitia, aut ignauiā sibi ereptum esse iudicabant. Postera die Carolus per Argētoum, quem Venetijs ab initio legationis munere functum fuisse diximus, trium dierū inducias postulauit. Is cum Roberteto scriba regio transgressus anem, cum legatis & ducibus collocutus, multa de noui foederis iniquitate, de successu praelii, uirorumq; illustrium caede, ac demum de euentu totius belli ita commemorauit, ut de pace, si per legatos liceret, uti pridie instituerat, acturus esse uideretur. Verum id colloquij genus eo pertinebat, ut interposita pacis mentione, Carolo se ad iter expeditum paranti, iustae morae spatium praerberetur. Sed is eorum sermonis exitus fuit, Venetos aequissimae pacis condiciones Carolo regi oblaturos, si Ostia atq; Nouaria, uti antē denunciatum fuisset, praesidia deduceret, à populationibus ac incendijs abstineret, & in Galliam proficisceretur. Quod si aliena occupando, Italiae imperium animo uolueret, et propterea antiquae spei insistendum, commorandumq; in Italia sibi esse censeret, ipsos cunctis oppibus annexuros, ut omne Gallicum nomen Italiae finibus pelleretur. Itaq; eius diei tantum induciae ad sepelienda cadauera concessae. Quod ubi praekonis uoce utrisq; in castris significatum fuit, Itali Gallicis permisti ad quarendos socios sese castris effudere. R.

PAULI IOVII HISTOR.

perti sunt supra ducenti, & in his Galli aliquot, quos agre-  
 sses, tergora etiam equis detrahentes, nudos & multo luto  
 cruroreque in miserabilem modum defordatos reliquerat. inuen-  
 tum quoque Rodulphi corpus pluribus honestis confossum  
 uulneribus, quod Mantuanus in patriam cum multo funeris  
 honore transmisit. Senatus autem Venetus, uti à legatis nomi-  
 nationem acceperat, ijs qui fortiter pugnassent, uel egregie pu-  
 gnando cecidissent, insigni liberalitate præmia persoluit. Cum  
 illis enim, & ante alios Fortebraccio, qui grauiter uulnera-  
 tus ultimis prælio excesserat, aucta stipendia, honoresque ad-  
 diti Casorum liberis, qui militie studerent, præfectura tur-  
 marum data, filiabus autem dotes, & uxoribus annuæ pecu-  
 niæ in alimenta constitutæ. Notati quoque sunt ignominia ple-  
 ri, dissimulante potius quam seuerè: inter quos Antonius  
 Feltrius Urbinas quum ab alijs accusaretur, quod subsidio  
 pereuntibus ire, uel trāsire annem recusasset, missionem po-  
 stulauit, ueluti iniquè calumniatibus subiratus: ne si mox Se-  
 natus iudicium expectaret, maiorem existimationis iactu-  
 ram facere uideretur. Sequenti nocte Carolus de secunda ui-  
 gilia multis ad fallendos hostes ignibus excitatis, nullo tubæ  
 aut tympanorum signo, sed per occultam tesseram profectio-  
 ne denunciata, castris expeditum agmen eduxit, & Aemilia  
 uia rectum iter ad Trebiam intendit, tanto usque silentio, ut  
 prius aliquot milia passuum sit emensus, quam ab hostibus re-  
 pentina eius profectio sentiretur. Luce facta cognitoque ho-  
 stium itinere, Mantuanus Græcorum alas præmisit, quæ abe-  
 untes persequerentur. Calatinus quoque et Fracassius eius fra-  
 ter cum expedito equitatu, ut nouissimos adorirentur, subse-  
 cuti sunt. Qui tamen quum Gallis fugæ simile iter habentibus,  
 maxime nocere possent, non modo nullam uim intulerunt: sed  
 uti

uti postea certiore fama uulgatum est, regem ex itinere, ad Derthonam salutarunt, atq; omnibus rebus & commeatus affatim iuuerunt. Id priuato eorum studio factum esse pleriq; arbitrabantur, quòd Sansseuerina familia Ludouicum Caroli partem maxime coluisset, & ipsi paulo ante cum Obeguido aduersus Aragonios in Togata Galliam militassent. Alij porrò eos Ludouici sortis iussis opportunè paruisse censebant, qui non minus socios Venetos, si pleniore uictoria potirentur, quàm hostes Gallos uel integros uiribus sibi metuendos esse iudicabat. Ferunt Gallos in discessu duo grauiora tormenta defodisse, quòd effractis rotis conuehi non possent, quin & cremasse aurata equorum tegumenta, multamq; suppelletillem: & demùm, quod uix credibile est, quosdam suae gentis, mortiferis uulneribus debilitatos, ne miserius apud hostes perirent, crudeli misericordia iugulasse. Ceterum Carolus iustis confectis itineribus, præter Placentiam atq; Derthonam, nemini infestus neq; ipse ab alijs laesitus, quum passim commeatus amice expositus transeunti præberetur, septimis castris Astam peruenit. Veneti uerò Placentiae moenia præteruecti, Clastidium concessere, atq; inde Pado ad Caseolum uicum ponte constrato, per Laumellinum agrum, ad oppugnandam Nouariam contenderunt.

SECUNDI LIBRI FINIS.

# PAVLI IOVII NOVO

COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI

Historiarum sui temporis.

## LIBER TERTIVS.



**S**ic idem quoq; tempus Tarra-  
 sis pugnae, nouum bellum conuer-  
 sis principum studijs renatum, in  
 Liguria uehementi factiose gen-  
 tis contentione terra mariq; ge-  
 rebatur. Nā Philippus Bressius,  
 & cum eo Iulianus et Paulus car-  
 dinales omnibus inferioris orae  
 oppidis recepti, montanorumq; clientū aduentu iustis aucti-  
 copijs, Genuam usq; processerant, positisque ad Terralbam  
 castris, qui est locus supra Feritorem amnem, Fregosiae fa-  
 Elionis ciuiū motus expectabant. Interim quotidianis eque-  
 stribus praelijs certabatur: nam ex urbe Bernardinus Adur-  
 nius, corporis atq; animi uiribus bellator insignis, & Sca-  
 ranucia Vicecomes, cum deletis turmis ea porta quae ad Bi-  
 samnē ducit, ita erumpebant, ut singulis propè horis cū Gal-  
 lis equitibus certaretur. Erant Gallo peditum omnis generis  
 circiter septē milia, octingenti equites, tormenta septem, sed  
 ea ad campestrēs usus potius quā ad muros quatiēdos ido-  
 nea. Quibus de rebus fiebat, ut subire tentareq; mœnia ne-  
 quaquam auderent: Praesertim quam iam ualida peditū atq;  
 equitum manus, praeter ipsam praetoriam cohortē, e Gallia  
 Cisalpina in urbē peruenisset. Tota igitur uictoria ratio po-  
 sita

fita erat in auxilijs, quæ e diuersis regionibus expectabant.  
 Baptista namq; Fregosius in Astensi agro aliquot peditū co-  
 hortēs & equitum turmas coegerat, quas partim ab Aure-  
 liano, qui tum Nouariæ obsidebatur, acceperat, partim ipse  
 amicorum cardinaliumq; pecunia conduxerat, eo consilio,  
 ut quū in Pociferam uallem descenderet, ab altera quoq; par-  
 te qua occidentē Solem spectat, urbs undiq; clausa graui ob-  
 sidione premeretur. Vitellij quoq; iam e Lunensi agro mon-  
 tes asperos & Petracrosiæ iuga superasse dicebantur. Claf-  
 sis item in Rapallino sinu erat, intenta ad Bressij ducis impe-  
 rium in qua ingens erat copia tormentorū: quibus freti acce-  
 dentibus undiq; auxilijs, maiore demū fiducia urbem oppu-  
 gnarent. Quibus cognitis rebus, qui in urbe erant Fregosie  
 factionis, noua inuituri consilia et palam aduersus Adurnios  
 ex tuto arma sumpturi uidebantur. Præerat Ligusticæ classi  
 Franciscus Spuula, ab oris suscedine Mauri cognomen ade-  
 ptus, uir domi nobilis, et in re nauali peritiæ singularis. Con-  
 stabat ea paucis onerarijs, sed bellico apparatu optime in-  
 structis, & triremibus decem, in queis tres erant Aragoniæ  
 à Ferdinando misse, quibus præerat Syracusius trier archus.  
 Galli autē octo triremes habebant, et tres galeones militari-  
 ter exornatos, quod nauigij genus quandā minoris onera-  
 riæ, uel erectæ latæq; triremis similitudinē refert, uel isq; uti-  
 tur, et nonnunquā remis: præsertim quū ad captandum uen-  
 tum, portu uel sinibus in altū educitur, Galli quoq; Rapallo  
 portiebantur, nam cuncta (uti iam diximus) eius oræ oppida  
 singulari Fregosie factionis studio eos benignè receperant.  
 Ibiq; tum tutissima in statione, et Bressij imperium, et captæ  
 demū Genuæ nunciū expectabāt. At Spuula qui maritimo  
 negotio intētus, quibus nā modis hostes inuaderet, uigilāter

PAULI IOVII HISTOR.

agitabat, per exploratores comperit hostium classem haud magno discrimine posse deleri, si Galli uno tempore terra mariq; inuaderentur. Quod paruam admodum manu quæ classi atq; oppido presidio foret, Galli reliquerant, quæ ipsis Genuam obsidentibus nihil tale unquam ausuros hostes putarent. Nec mora Adurnios fratres eius consilij participes facit, suadet ut magno ausu unius noctis opera bellum conficere uelint, cuncta prospera pollicetur, si ad fallendū utrunque hostem & summo silentio, & singulari celeritate uterentur. Re comprobata, Ioannes Adurnius & Aloysius Fliscus, quos idem locus superioris uictoriæ sælicitate insignis plurimum excitabat, sexcentos ueteranos, & subitarias cohortes duas classi imponūt, soluuntq; e Genuæ portu de prima uigilia: et Rapallum littoralis auræ beneficio peruehuntur, ea enim noctu maxime ad cursum in quam uolueris partem dirigendum, certo uelorum flexu semper excipitur: Tantaq; sælicitate adnauigatum est, ut nulla eius profectiois fama, tot speculis totq; etiam exploratoribus ea littora obseruantibus, in castra peruenerit. Iam cælum inalbescebat, quum Adurnius & Fliscus milites in terram exponunt actuarijs usinauigijs, magnarumq; præsertim nauium scaphis, & Rapallum oppugnare adoriuntur. Fit magna & in classe & in oppido, ut in re admodum repentina, concursatio: clamore sublato prælium in aditu oppidi committitur: ægrè impetum Galli sustinent: acriter tamen repugnant. Spinula cohortatis remigibus intentus, maxima ui aduersis proris in hostiū classem inuehitur. Iuuat nauticus clamor oppidum à terra oppugnantes: contra illi alacritate pugnandi nauales socios accendūt. Dimicatur utrinq; summa contentione. Caterum terrestres copię stratis hostibus oppidum irrumpunt, & na  
uales

uales socij Gallorum trirēibus potiuntur. Miolanius clas-  
 sis prefectus & Stephanus Veneius quæstoria dignitate in-  
 signis protinus se dedunt, cæteri ad unum paucis interfectis  
 capiuntur. Videre erat in hostium nauigijs, ex Neapolitana  
 præda, regalis apparatus, cubiculorum abacorumq; orna-  
 menta, aulea picti operis, intertextas auro lectorum stragu-  
 las, & plurimam uestem sericam nobilissimis scythicarum  
 Martarum pellibus suffultam. Itemq; armorum tormento-  
 rumq; ingentem copiam, quæ omnia singulari ducum equi-  
 tate, militibus efferunt. Ea ubi per milites fuga elapsos Gal-  
 licis in castris ad Genuam nunciata sunt, Bressius & cardi-  
 nales nihil sibi amplius expectandum rati, collectis repente  
 nec conclamatis quidem uasis, discessere, superatisq; Pinni-  
 montis culminibus in Pociferam uallem descendere: eata-  
 men constantia atq; ordine, quæ properarent iter fecerunt,  
 ut agrestes plurimos, qui temere prædantium more è proxi-  
 mis uicis montibusq; decurrerant, conuersa acie, atq; impe-  
 tu facto passim interfecerint: indeq; incolumes per transuer-  
 sos montes in Astensem agrum se receperint. Ferunt Augu-  
 stinum Adurnium qui Genuæ præerat, magnam eo die po-  
 tiende nobilis uictoriæ occasionem segniter amisisse, quod  
 patefactis repente portis in abeuntes Gallos omnē militum  
 oc urbane plebis turbam erumpere minimè permisisset. Cu-  
 ius rei consilium fortasse improbandum uideri posset, nisi  
 uir cautus, et incertum Fortuna euentum reformidans, ab-  
 sente fratre ipsoq; præsertim cum militum robore, incondi-  
 tam paganorum multitudinem ueteranis hostibus obijcere  
 dubitasset. At Vitellij qui iam non longè à Rapallo supra Se-  
 gestam peruenerant, de Tarrensi pugna, & de prælij naua-  
 lis euentu, deq; Bressij & Cardinalium fuga uno simul tem-



PAULI IOVII HISTOR.

pore certius cognoscunt. Quibus nuncijs perculsi retrò agmen itertere constituunt, ut in Lucensem agrum reuertantur. Sed dum in unum de itinere consultat, superuenit agrestium Ligurum ingens multitudo, itinera obsidentur, expediti Ligures è superioribus cautibus saxa sagittasq; ingerunt, nonnunquam ex proquinquo protecti scutis hastilia itculantur. Equitibus iniquissimis in locis difficilis receptus datur. Paulus nihil animo perturbatus, Vitellociū fratrem in fronte constituit: ipse in tergo ad cogendum agmen, ubi plus discriminis erat, consistit, confertos densatosq; iter scaccere iubet, cominus agmen lacessere audentes facile summo uet aut interfecit. Montani nihilominus instare, circumsumdi, sublatis clamoribus undiq; premere, iter maxime demorari, aliquos sagittis, plures uerò lapidibus uulnerare. Tandem ad Brachi montis angustias perueniunt. Pugnatur ibi acriter, Vitelliani tamen multis utrinq; acceptis uulneribus fortiter euadūt. Is dies equis ac uiris longè grauissimus fuit, quoniam tanta erat agrestium multitudo, quum alij post alios ex proximis pagis ad presentis prædæ famam euocati, in uiam sese effunderent, ut neq; uiris neq; iumentis ulla requies daretur. Peruenit tamen equitatus incolumis in quadam planiciem non longè à Borgeti uici finibus, in qua tum primum equi, quos fermè omnes loris trahebant magno esse usui posse uidebantur. Hac re animaduersa, Paulus milites admonet, ut fugam simulent, Ligures in æquum locum eliciant, et mox conuersis equis incaute persequentes & dispersos adoriantur. Sed ad recipiendas uires ut tantisper consistant, & in orbem conglobati lentè admodum pugnent, opportunè præcipit: erant enim duorum fermè dierum inedia, siti, uigilijs, caloribus, & continuo demum pugne ab-

ruptiq;

ruptiq; itineris labore uehementissimè fatigati. Nec multo  
 post ueluti soluto consilio, ut in ultima rerum desperatione  
 fieri solet, salutem sibi fuga querere simulant. Id conspicati  
 Ligures qui paulo ante neq; ex propinquo dimicare, neq;  
 intra sagittæ iactum metu balistariorum progredi audebāt,  
 hac ueluti fuga & timore hostium audaciores facti: conti-  
 nenti cursu per eam planiciem eos persequuntur. Tum uerò  
 Paulus: Hos inquit latrones quo depoposcimus lato loco te-  
 nemus, urgete acriter equos, ac in eos quàm maximè crude-  
 liter agite, ut tandem præclare uli iniurias, hac importuna  
 insidiosa gentis multitudine liberemur. Igitur dato signo ca-  
 taphraeti abiectis ocreis ac humeralibus, ut expeditius pu-  
 gnarent equos insiliunt. Leuis equitatus tensis balistis, ac  
 infestis hastis conuertitur: omnes uno tempore montanos  
 temere procurrentes inuadunt: eos facile dissipant, & cum  
 magna cæde prosternunt, cæteri per asperos montes se fugæ  
 celeriter mandant. Post id factum Paulus pacatiora itinera  
 reperit, & per Lucensem agrum Pisas se recepit. Eodem  
 tempore, et quod maximè admirandum uidetur, ipso etiam  
 die, Nonis Iulijs, quum pridie quoq; ad Tarrum esset dimi-  
 catum, & Gallica classis ad Rapallum capta, & Ferdinan-  
 dus urbe Neapoli incredibili ciuium studio receptus est.  
 Post Caroli siquidem discessum, Neapolitani suopte ingenio  
 nouitate regum, et rerum commutatione gaudentes, quum  
 Gallos iam planè fastidirent, ad Aragonios rursus animos  
 inclinauerunt. Nam uti quisq; equum insignem domi habe-  
 bat, Galli eum tanquam ex Aragonijs stabulis abductum  
 imperiosè repetebant, hospitabanturq; ultrò apud priua-  
 tos ciues, quum semel hospitiorum magistri domorum foribus  
 Galli hospitis nomen præscripsissent: Quibus admodum gra-

PAULI IOVII HISTOR.

ues ac molesti erant : quoniam gens iracunda, sepeq; inso-  
lens, & in parando uictu, cum ex suo, tum ex alieno admo-  
dum prodiga, apud Neapolitanos frugi homines, ac amœni-  
tatis & munditiarum maxime studiosos cuncta perturba-  
bant atq; scœdabant. Pleriq; etiam assueti aulæ regie, orba-  
tam rege principe ciuitatem atq; omni pristino decore spo-  
liatam egrè ferebant : quòd postquam, qui cunctos & præ-  
sertim opifices pecunia in omnes sumptus largissimè profu-  
sa locupletes effecerat, Neapoli discessisset, durioribus præ-  
fectis perpetuò seruituri uiderentur. Quibus rebus per ue-  
teres clientes suos & quosdam nobiles Aragonij nominis  
studiosos Ferdinandus certior factus, ab Aenaria insula cum  
rostratis nauibus Messanam adnauigauit, cohortantibus  
Alexandro Pontifice, & Ascanio auunculo Cardinale, qui  
eum tanta indole in spem recuperandi regni erectum, uehe-  
menti studio magnisq; opibus egregie subleuabant: monte-  
bantq; tum maxime, ut eò traicere maturaret, postquã Con-  
saluus tanti apud Hispanos nominis imperator, ad eum in  
regnum ac patriam reducendũ, ab Hispania cum regijs au-  
xilijs in Siciliam peruenisset. Ferdinandus regio more sub  
umbella serica, singulari Mamertinorum benignitate susce-  
ptus, cum ipso statim Consaluo quibus nam rationibus ge-  
rendum bellum foret, consultauit : accepitq; pecuniam ab  
Alfonso patre, qui è Mazara uidendi filij Federiciq; fratris  
studio, Messanam se contulerat. Is erat lugubri indutus ue-  
ste, capilloq; in sacerdotis morem circumtonso, oculis deie-  
ctis, atq; animo ad diuinarum rerum contemplationem pe-  
nitus abstracto : sic ut humanis omnibus curis, ipsisq; pari-  
ter uoluptatibus, quibus antea luxuriosè studuerat, renun-  
tiasse uideretur. Nec multo post Ferdinandus atq; Consaluus  
septim=

septingentis circiter equitibus, & peditum Hispanorum &  
 Sicularum quinque milibus in naues impositis, e Messana sup-  
 rato freto Rhegium traiciunt: statimque expositis copijs tor-  
 mentisque prolatis, urbem oppugnare adoriuntur. Rhegini,  
 qui ab exiguo Gallorum presidio, quo minus saluti fortu-  
 nisque suis cauerent, uel studium suum in tempore erga regem  
 nudarent minimè deterrebantur, refugietibus in arcem Gal-  
 lis, portas aperuerunt. Arx quoque triduo post magna ui-  
 oppugnata, ac demum fabri cuiusdam lignarij prodicione,  
 dum acriter certaretur capta: Galli que ferme omnes à muro  
 precipitati, quod de deditioe, dum coeptas perficerent mu-  
 nitiones, simulanter egissent: ludificati que diu crebris colo-  
 quijs regem, aliquot demum milites incaute ante arcem ob-  
 uersatos, tormentis repente emisissis interfecissent. Rhegio re-  
 cepto Ferdinandus Federicum patruum cum tribus rostra-  
 tis nauibus in Apuliam misit, ut cum Grimano Venetæ classis  
 prefecto, Cesareque Aragonio, & Camillo Pandonio, is enim  
 à Baiazete redierat, aduersus Gallos bellum administraret.  
 Grimanus uigintiquatuor triremibus, & quinque onerarijs  
 in queis plures erant Græci equites e Corcyra nuper adue-  
 cti, e Brundusino portu eductis, ad oppugnandam Monopo-  
 lim contenderat. Ea urbs ex ueteris Agenatiæ ruinis creuit:  
 tenebatur que tum satis ualido Gallorum presidio, nec Mono-  
 politani à Gallorum consilijs dissentiebant, quum in factio-  
 sa ciuitate alij, qui ab Aragonijs deficiendi authores fue-  
 rant, fortiter resistere uellet, alij porro contra ne hiscere qui-  
 dem auderent, ne prius à Gallis inimicisque domesticis, quam  
 ab extremo hoste, qui uniuersis uim inferebat, oprimeretur.  
 Igitur Grimanus ubi eos neque spe optimarum conditionum  
 neque ullo periculi metu permoueri uidet, terramari que urbem

PAULI IOVII HISTOR.

aggreditur, admotis triremium proris in queis ingentia tormenta erant collocata, magna uim murum quatit. Summa moenia deiectis pinnis, magnaq; propugnatorum strage edita, defensoribus nudantur: ab inferiore tamen muri parte Galili resistunt. Petrus Bembus nobilis trierachus serpentino ictu interficitur, pleriq; alij cadunt. Tum uero Grimanius ira accensus, postquam inquit Monopolitani Gallorum serui potius quam liberi esse uolunt, obstinatis pereant animis, uosq; milites suis fortunis opulētos reddant: statimq; urbem prædæ militibus concedi, si eam egregie caperent per præconem tota acie pronunciari iussit. Nec mora milites certis ueluti præmijs excitati, summa alacritate murum subeunt, pars scalis, pars hastis connixi, subleuatiq; aliorum humeris in urbem transcendunt: multi ex Gallis Monopolitanisq; caduntur, ceteri proiectis armis se dedunt. Vrbs diripitur, uiuq; templa in que scemine pueriq; confugerant, summo Grimani labore à militum libidine atq; auaritia defenduntur. At Pandonius apud Brundisium dispari fortuna cum Asparrâ bellum gerebat: nam quum plura oppida eius agri Gallis ademisset, & in prospero rerum cursu uersaretur, excursionē ad Misagnam uicem facta, à uilissimo aratore uir nobilissimus est interfectus. Sed Asparrâ triduo post eundem propè uite periculum adiit, nam Pandonio eodem & hoste simul & amulo sublato, quod illum Iapygiæ Apulie præsidem designatum audierat, dum alacrius & incautus per ea loca uagaretur, ab equitatu Aragonio interceptus est. Nec multo post Cæsar Aragonius copias quas habebat collectitias in Tarentinum agrum adduxit, et Grimanius & Federicus superato Iapygio promontorio in Tarentinum sinum cum uniuersa classe deflexerunt, spe eius urbis

per

per prodicionem potiunde. Verum quum appropinquando ac sese terramariq; his qui res novas molituri dicebantur ostentando, Tarentinorum voluntatis sinistra periculum fecissent, essentq; à Gallis, & ab arce, & à portu uehementer tormentis oppugnati, conuersis uelis Leucopetram alterum extremae Italiae promuntorium superarunt: et subsidio Neapolitanis rebus, id maxime postulante Ferdinando, profecti sunt. Per eos quoq; dies Caietani à Gallis defecerunt. Verum ea res adeo funestum habuit euentum, ut ceteros quominus id temere auderent, deterruisse miserabili exitu uiderentur. Sub id enim tempus quo Carolus Neapoli profectus est, Galli ad exornandas triremes pecuniam Caietanis imperarant: & ijs maxime nominatim quos Aragonijs rebus uetere quodam eius factionis studio, fauere intelligebant. Ea res omnium prope ciuium animos uehementer commouit, qui non modo Gallos nouis oneribus minime pregrauaturos ciuitatem, sed aliquid etiam de antiquis uectigalibus liberalliter remissuros arbitrabantur: uti omnium ferme populorum mos est, qui quum presentia semper fastidiant, et noua temere exoptent, intempestiue cupiditatis poenas saepius persoluant. Igitur Caietani inopiam accusare, testari ciuitatem publicè ac priuatim ueteribus tributis nouisq; sumptibus exhaustam ac demum orare Gallos, ne quam opinionem de Gallici imperij lenitate omnes concepissent, eam acerbissimo iniuriae genere fallerent penitus, uel omnino macularet. At Gallici quos Belcarus questorum magister ad pecuniam exigendam miserat, quum aperte imperium detrectantes cogendi potius quam adhortandi uiderentur, de capiendis his, qui maxime recusarent, custodièq; tradendis, cōsiliū inierunt. Sed dum Galli uim parant, Caietani à scemina quadam que

PAULI IOVII HISTOR.

per fenestram sermones exceperat, de ea re celeriter admo-  
nentur. Quibus cognitis & ex uultu Gallorum facile de-  
prehensis, arma capiunt: Aragonium nomen inclamant:  
cōkursūq; totius populi ad templum maximum factō, quod  
tum forte supplicationes solenni pompa circūlato Dei bri-  
sti corpore ducebantur, Gallos in arcem compellunt. Ead-  
dem die oratores ad Rodericum Monterisij oppidi regu-  
lum, Alfonso Dauali fratrem, quem Aenaria insula atq; op-  
pido Iscla Ferdinandus presidio reliquerat, nauē specula-  
toria mittuntur ad petenda auxilia, quibus se ab iniuria Gal-  
lorum tueantur. Monterisius collaudatis Caietanis, biduo  
post trecentos ferme Cantabros, Duce Maorio uiro peracti,  
& in re militari terramariq; admodum exercitato, duabus  
carauellis imposuit, quod est nauigij genus ad omnem tem-  
pestatis, uel longinquæ nauigationis contumeliam perse-  
rendam maximè idoneum: et secundo perflante uento Caiet-  
tam transmisit. Ex aduerso Mompēserius atq; Belcarius Ne-  
poli Caietanorum defectione nunciata, ut eos à quibus ini-  
tium rebellandi natum erat, quamprimum opprimeret, clas-  
sem quinq; onerariarum & quatuor triremium pararunt:  
in qua Gratianus Guerra cū octingentis militibus fuit: 10 aut-  
nemq; Columnnam cardinalem Prosperi fratrem, qui in Fun-  
dano erat agro monuerunt, ut quantas maximè illis in locis  
copias posset, extemplo cogeret, atq; eas ad constitutam diem  
dum ipsi à mari urbem oppugnarent, terrestri itinere Caiet-  
tam adduceret. Nec multo post Gratianus idoneum nactus  
uentum Caietam peruenit, & Rocabertinum natione Hi-  
spanum cum trecentis peditibus equitum more thoracatis et  
galeatis non longè à portu in terram exposuit, iussitq; ut  
in arcem, quæ in edito monte sita difficili perangustiq;  
ascensu

*ascensu & saxeis gradibus aditur, protinus euaderent. Interim cardinalis Columna, qui cum magna manu militum, & paganorum ad portam accesserat, hortari Caietanos coepit, ut arma ponere, redire ad officium, ac sua demum saluti, et omnium fortunis consulere uellent, se eam apud Gallos obtinere auctoritatem, tantis praesertim in eorum auxilium copijs adductis, ut eius incōsulta rebellionis ueniā facile possit impetrare. Caietani qui sicuti temere deseruerant, ita & in sana obstinatione constantes uideri uolebant, responderunt se nequaquam Gallorū minas timere, paratosq; esse operibus ostendere, quibus animis superbam gentem oderint, quae adeo auare imperare coepisset, quoue studio Aragoniorum nomen colerent, quorum lene imperium uerae libertati persimile sexaginta amplius annos experti essent. Itaq; dirempto colloquio, & significatione undiq; facta, cardinalis muro succedit. Gratianus ex alto plenis uelis portum inuehitur, & ab arce armati per decliua in urbem descendunt: committitur summis in aedificijs caedes: superioraq; urbis ab his quos Rocabertinus deducebat, & plana simul circa portum à classiarijs puncto temporis occupantur. Passim ferrox dictis populus, factis autem imbellis, & subito timore consternatus crudelissime trucidatur: magna pars ciuium, qui erumpere aduersus Colomnios decreuerat, apertis portis, & proiectis in terram armis, benignè eos excipiente cardinale, incolumis euasit. Maorius pariter cum Cantabris suis diu in platea cum hoste praeliatus, in contiguam muro & portui domum se recepit: multisq; suorum amissis, & pluribus uulneratis è summa muri parte in subiectas caruellas saltu se deiecit, & admiranda usus animi fortitudine, expansis subito uelis ualido fretus aquilone per mediam Gal*



PAULI IOVII HISTOR.

torum classem erupit: neq; triremes, quanquam incitato ma-  
xime remigio sequerentur fugientem consequi potuerunt,  
ad multum tamen spatium continenti cursu ab utrisq; pu-  
gnatum est, quum Galli à proris in pupes, & Cantaber  
ab ipsis pupibus in aduersas persequentium triremium pro-  
ras magnorum tormentorum pilas emitterent. Ceterum car-  
dinalis urbem celeriter ingressus, quanquã Galli nihil eius  
uiri dignitate permoti, in ipsius complexum fugientes truci-  
darent, nonnullis etiam in templis apud aras iugulatis, plu-  
res tamen conseruauit, honestasq; aliquot sceminas, quarum  
pudori sollicitè studebat, è manibus Gallorum eripuit: con-  
clusaq; in amplissimam domum appositaq; custodia tutatus  
est. Verum tota urbe cuncta crudelitatis auaritiæ atq; libidi-  
nis à Barbaris exempla edita sunt: multa namq; uirgines uio-  
late: & uni ante alias è nobili Laudatorum familia, dum  
inuadendi Gallo uiriliter resisteret, manus præcisæ: duæq;  
aliæ in ultima constantia iugulate. Viri omnis ordinis æta-  
tisq; quadringenti ferme occisi: templa omnia cunctis uete-  
ribus donarijs expoliata: quæ tanta fuere, ut neq; pretiosio-  
ra neq; plura urbis ipsa Neapolis habere diceretur. Ea enim  
multis ante sæculis incolarum ac nauigantium pietate acu-  
mulata fuerat, dum Caieta, ante iactam molem apud Nea-  
polim, ab ipsa tutissimi portus commoditate, ueluti totius  
oræ emporium magna hominum frequentia & opibus ma-  
ximè floreret. Ea omnia biduo post adueniens Belcarius, ut  
in recensenda præda quæstorio munere fungeretur, uix reli-  
ctis sanctorum osibus atq; reliquijs quæ loculis includeban-  
tur in Galliam asportauit: Ita ut eius iussu postea apud Insu-  
lam oppidum prope Ararim aurea argenteaq; donaria, ne-  
fando auaritiæ genere in scyphos & pateras conflarentur.

Hæc erant, præter uasa altaribus dicata, statuæ parvæ simu-  
 lachra periculorū, ac nauium imagines, omniumq; huma-  
 norum membrorum effigies, sicuti ea religiosi mortales, uo-  
 to pro salute suscepto, Dijs benemerentibus exoluerant. Nar-  
 rare solent Caietani eos qui manus sacris donarijs polluis-  
 sent, in extremas miseras Deorum ira fuisse præcipitados.  
 Navis quoq; oneraria Caietanis onusta spolijs, quæ confecto  
 bello in Galliam iter habebat, apud Circeos naufragio pe-  
 rijt, fractaq; penitus, atq; eiecta in littus circumiectos po-  
 pulos ditavit. Dum hæc ad Caietam, & ad Monopolim atq;  
 Brundisium in Apulia geruntur, Ferdinandus atq; Consal-  
 uus Rhegio in potestatem redacto, & ad fanam noui belli  
 excita Brutiorum iuuentute, ad sanctæ Agathæ oppidum  
 castra promouerūt, statimq; paucis ibi Gallis in ditionem  
 acceptis, oppido potiti sunt. Horum secuti exemplum fini-  
 timi & desiderio regis & Gallorum tedio adducti, portas  
 æperuere. Processum inde est ad Semenariam, Gallorumq;  
 turma quæ exploratum incautius exierat, ex itinere ab Hi-  
 spanis equitibus est intercepta: Nec Seminarienses, quin ex  
 templo recipiendus rex foret dubitarunt. Erat in castris Ma-  
 rinus Corealis Terrenouæ regulus, quem ab initio belli con-  
 stanter Aragoniam fidem secutum, Galli ditione expule-  
 rant: eum Ferdinandus de se optimè meritum reducere ma-  
 ximè cupiebat, ut in conficiendo bello eius forti ac fideli ope-  
 ra, opportunisq; opibus uteretur, & sibi præsertim tutum  
 ad classem aditum pararet: quòd ad mare iter habenti, castel-  
 la eius certis locorum angustijs imposita, necesse erat supe-  
 rare, ad quæ occupanda paulò ante Alfonso Daualum mi-  
 sisset. Villamarinus enim classis præfectus in portum Her-  
 culis, qui hodie Tropea dicitur, peruenerat, atq; ibi terro-

PAULI IOVII HISTOR.

stris conatus euentum, & quid Ferdinandus Consaluis fieri iuberent, fideli in oppido, & tuta maxime in statione operiebatur. Decreuerant siquidem, superiore Brutiorum regione recepta praesidijsq; firmata, nauibus exercitū imponere, & primo quoq; tempore Neapolim proficisci: quoniam rebellasse Caietanos, & in agro Romano, Alexandri pontificis Ascanijq; pecunia, copias parari ad praeccludendas Sancti Germanis saltus angustias audiebant: sperabantq; Neapolitanos egregia erga se uoluntate res nouas primo statim aduentu opportunè molituros. His cognitis rebus Obegninus qui Brutijs praerat, Persiuum Alegriae fratrem, finibus Lucanorum euocauit, ac ex omnibus oppidis eius agri praesidia deduxit, coactisq; Terranouae copijs, priusquam hostes de Persiui aduentu cognoscerent, ad Semenariam profectus est, eo consilio, ut cum Ferdinando quamprimum conflingeret: uel si ille Semenariae moenibus teneretur, neq; aperto campo se committere uel dimicare auderet, ueluti uictor expressa hostibus ignauia reuerteretur. Quod ad populos in officio continendos plurimum conducere iudicabat: praesertim quum ex Campania Apuliaq; & Pelignis conuētura sibi auxilia intra paucos dies existimaret. At Ferdinandus qui nondum de Persiui aduentu cognouerat, & de Obegnini copijs quae pertenues erant, à speculatoribus certior erat factus, quin oppido copias educeret, & aduentanti hosti obuiam iret, minimè dubitauit. Quoniam quicquid nouae existimationis & gratiae, audendo & fortunam egregia uirtute experiēdo, paulo ante collegisset, una foedae obsidionis conclusionis infamia conceptiq; timoris dedecore, si oppido se cōtineret, amissurus esse uidebatur. Cōsaluis, cuius animo ea uis exactae prudentiae inerat, qua postea cetero

ros ferè omnes nostræ ætatis duces superauit, monere iuuenem recuperandi regni pariter & parandæ laudis audum cœpit, atq; obtestari ne prius oppido exiret, quàm certius de hostium consilio ac uiribus cognosceret. Ea satis decora esse consilia, quæ dubijs rebus securitatem promitterent, illa uerò longe turpissima atq; miserrima, quæ ab ipsa temeritate, dum inanem animi uigorem ostentamus, omnes summæ rei conceptæq; demum uictoriæ rationes cõturbare consueuerunt. Ergo inquit Ferdinandus, pari qua regnum amisimus ignauia, nobis illud erit recuperandum? nec quam sedendo abstinendoq; à prælijs in Aemilia & in Campania aduersam sensimus fortunam, eam nunc in tam prosperis cœptis agendo audèdoq; experiemur? Quasi initia bellorum maximum in reliquos successus momentum non habeant, & quæ audacter cœperis, nisi ea perficere fortiter pergas, fœdũ ac infelicem exitum minime fortiantur? Aderit audentibus Fortuna Consalue, quæ hætenus pro Gallis stetit, quum iam cœptis arrideat nostris, nec quos ultrò ad uictoriã uocat, unquam deseret, nisi ipsam ignobili cunctatione deseramus. Videamus aliquando Gallorum ora, quos sola & ea quidem inanis fama terribiles fecit: & strenuè nostras atq; alienas uires collato pede experiamur. Peditatu & equitatu, hominumq; studijs, & ipso deniq; Fortunæ fauore superiores sumus, neq; de uestra uirtute erit dubitandum. Quis enim uestrum fuerit, qui si singulari certamine erit depugnandum, suum sibi Gallum uel Germanum hostem letus non deposcat, & egregie protinus non obtruncet? Ego certè quem primum in acie armis insignè conspexero, primus ante alios intentam hasta audacter inuadam, fœliciq; ausu uobis præbebo exemplum, ut eodem ardore irruètes celerem de temulento hoste

PAULI IOVII HISTOR.

uictoriam paribus animis referatis. Erant in cōcilio pleriq;  
 uiri illustres, qui postea ad summam rei bellicæ laudem per-  
 uenerunt, Andreas Altauilla è pernobili Capuana familia,  
 Vgo Cardonius, Theodorus Triuultius, præterea ex Hispani-  
 nis Emanuel Benauidius, Petrus Paceus, Alberadus, et Pen-  
 nalosa: qui quum prælio decertare magnopere cuperēt Con-  
 saluum orabant, ut militum uirtuti diffidere nollet, stre-  
 nuamq; se operam nauaturos pollicendo, Ferdinandum ut  
 signa portis efferri iuberet, hortabantur. Semenaria edito lo-  
 co posita est, pertinentq; perpetui colles ab oppido ad modi-  
 cam uallem, quæ humili uado flumen emittit: ab ea patentes  
 campi initium habent, in quos Galli à Terranoua processer-  
 rant. Ferdinandus per colles agmen duxit: & confectis tri-  
 bus passuum milibus ad amnem peruenit, collocatisq; ad le-  
 uam peditibus citeriore in ripa, et toto equitatu in dextram  
 ad alæ similitudinem exporrecto, ut hostes amnē transirent,  
 expectabat. Ex aduerso Obegninus atq; Persiuus, Heluetios  
 in unam densatōs phalangem, hostium peditibus opponunt.  
 Brutiorū cohortes in tergo tanquam subsidiarias collocāt:  
 partiunturq; inter se equites: erant ij cataphracti paulo mi-  
 nus quadringenti: et more Gallico leuis armaturæ bis toti-  
 dem: quadratoq; agmine transgressi amnem in hostes ferun-  
 tur. Id conspicati equites Hispani concitatis equis alacriter  
 procurrerunt, et quum armis uiribusq; impares cataphra-  
 ctorum confertam aciem loco pellere nequirent, clamore  
 edito flectere equos, & ad suos per gyrum Hispanico quo-  
 dam pugne genere redire cœperūt. Ea res & peditibus Ara-  
 gonijs animos fregit, quum suos ab hoste pulsos refugere  
 putarent, & Gallos pariter ad incumbendum incitauit: ita  
 ut Obegninus à dextra & Persiuus à leua ex subsidijs cum  
 ad

Ala sua in pedestrē aciem acriter inuedi, eā totam penē prius  
 quam Heluctij à fronte hastas inclinarent, perturbarint, &  
 compluribus corū stratis penitus dissiparint. Ferdināus frus-  
 tra suos, ut in pugnam redirent cohortatus, cum familiari-  
 bus cataphractis strenui equitis more, in hostes incurrit, in  
 aduersoq; insignis Galli pectore lanceam persregit, & pro-  
 tinus, quū hostium multitudine obrueretur, in fugam se con-  
 iccit. Fugientem cristis auratisq; armis conspicuum multi  
 sunt persecuti. Sed nemine eius cursum adæquante, lapsus  
 equi in arctas concise uie angustias præcipitatur: Nec mul-  
 tum inde Galli aberant, quum desuper equo resupinato, sta-  
 pedis ac lunatis ephippij cornibus implicito, summoq; in ni-  
 te periculo laboranti, Ioānes Andreæ Altauilla frater, auxi-  
 lio superuenit, et memorabili charitate equum obtulit, quo  
 ipse perniciosissimo ad salutem utebatur. In eum Ferdinandus  
 uti erat desolatoris artis peritia mire agilis, quanquam gra-  
 uibus contactus armis esset, statim insiliens, e manibus Gallo-  
 rum euolauit. Ipse autē Altauilla in pedes destitutus, paulo  
 post ab hostibus est interfectus. Obeguinus magna parte pe-  
 ditum cæsa non longè ab eo loco confedit: ita ut uictoria uti  
 nesciuisse diceretur, quòd nec tot illustres uiros, in quibus  
 etiam erat Ludouicus Aragonius cardinalis, fuisset persecu-  
 tus, nec ad Semenariam uictorem exercitū protinus adduxis-  
 set. Quo spatio & illi cum rege uarijs itineribus incolumes  
 ad classē peruenerunt, & Consaluus oppidum ingressus  
 impedimenta, & pretiosorem omnem apparatus asporta-  
 uit, Rhegiumq; ne quicquā postea persequentibus Gallis se  
 recepit. Eo prælio re infelicitè gesta, secus atq; alijs accidit,  
 Consaluus eximie prudentiæ laudē tulit, quòd suis alienisq;  
 uiribus rectè admodū æstimatis, nihil temerè audendum esse

PAULI IOVII HISTOR.

iudicasset. Apparuit nanq; Hispanos equites cum Gallis cataphractis minimè esse conferendos: utebantur enim eo tempore pleriq; eorū pro Galea linteis tegumentis, scutisq; planis è cocto corio, & à summo in imum cuneatis: item gladio breui, hastaq; subtili fraxinea, lato præfixa ferro, qua ad medium comprehensa, erigendo sese ab ephippijs, hemicyclisq; ferreis quos pedibus induunt, histapede uulgo appellantur, ueluti ex alto ictus inferebant, inermi quidem lethales, sed armato, penitus contemnendos. Ipsi quoq; pedites Sisculi et Hispani Brutijq;, pro hastis denum pedum, et ijs quidem crassioribus atq; fraxineis quibus Heluetij utuntur, exiles & breues equestribus similes, quas gianettas dicunt, gestabant: uel hastilibus latæ cuspidis & scuto rotundo, cuius nullus apud Germanos uel Gallos est usus, instruebantur. Quæ omnia demum Italus & Hispanus miles, facto sæpius infœlici periculo, penitus abiicit: & quæ ab Heluetijs atq; Germanis mutuatus est, aliqua solerter addèdo, in meliorem atq; habiliorē formam coaptauit. At Ferdinandus tanto accepto incommodo, quanquam à summa spe ad extremam rerum desperationem puncto temporis erat redactus, nihil tamen se animo demittere: eosdem propè ac si uicisset spiritus gerere, queri tantum se sua opinione deceptum, ac nihil de Fortuna dubitare, quæ iam pluribus ostentis, maturum in regno patriamq; reditum, omnino despondisset. Inerat enim eius animo fiducia quædam fato potius quam ullis humanis innixa rationibus: adeo ut cuncta quæ amicorum animis obseruabantur, pericula despiceret, ac si nō modo ciues, sed & Deos quoq; ipsos terra mariq; præsentī numine adfuturos arbitraretur. Nec spes quanquā temere concepta, rem extremæ difficultatis atq; dementiæ aggredi ausum, fefellit.

Supè

Superato namq; freto, & collectis Messanae circiter septua-  
 ginta nauibus, in quas perpauci praeter ipsos nautas milites  
 erant, secundissimis usus uentis, Neapolim peruectus est, pe-  
 ne priusquam certior fama de praelio ad Semenariam facto  
 in urbem perueniret. Tum uero Galli pariter ac ciuium om-  
 nis multitudo ad molem effundi, editiora loca ad spectadum  
 occupare: alij ad ingentis classis speciem metu terreri, alij  
 gaudio exultare, uti quisq; Andegauenses uel Aragonias  
 partes nouo aut uetere studio sectabatur. Appropinquabat  
 enim leni perflante Euro excelsae naues tumentibus uelis,  
 ueluti congressura cum Gallica classe: qua nauium genere  
 apparatuq; & milite classario superior Aragonias facile  
 profligare potuisset, nisi Galli numero nauium deterriti,  
 quum eas omnes militibus plenas & ad pugnam instructas  
 crederent, portu sese continuissent. Ferdinandus praeter  
 ostium Sebeti annis ad id littus, ubi Diuae Magdalene tem-  
 plum, & ueterum regum magnifici operis equilibria uisun-  
 tur, classem deflexit: ut amicis coniuratisq; ad nouandas res  
 animos adderet, sic ut in terram protinus quum opus foret,  
 ad ferendum auxiliu descensurus esse uideretur. Pleriq; eum  
 enim frequentibus literis euocarant: pollicitiq; fuerant se  
 constanter, quum in conspectum urbis ueniret, arma captu-  
 ros, atq; occupata repente porta, aduenientem in urbem es-  
 se recepturos. In ijs fuere Andreas Gennarius, Albericus Ca-  
 rafa, Ioannes Cicinellus, & Cola Brancaccius, quorum con-  
 filij participes erant Sangrij, Pignatelliq; iuuenes, ipseq; A-  
 etius Syncerus non minus fide quam carminum gloria insti-  
 gnis. Verum quum Galli ad primum statim classis conspectum  
 impigre arma cepissent, & sub signis tota urbe discurreret,  
 nemo omnium fuit qui sit ausus quicquam aduersus Gallum



PAVLI IOVII HISTOR.

aperte moliri, uel omnino uocem emittere, qua populus ad arma uocaretur. Accidit enim plerunq; ut homines, ea consilia, quæ alacri motu summoq; animi uigore ante discrimen inierint, ea demum in presenti periculo, quâ factò maxime opus est, timidissime reformident. Ferdinandus quum diu ab urbe tumultum aliquem motumq; ciuium nequicquam expectasset: & ab Alegria, qui ad Magdalenam ualidam equitum & peditum manum adduxerat, non modo terra prohiberetur, sed è littore tormentis oppugnaretur: ad Nysitham insulam contra Pausilypum classem reduxit: tota tamen nocte è nauibus pariter & è littore, missilibus atq; tormentis certatum est. In urbe uerò Monpenserijs & Salernitanus, dispositis ubiq; presidijs, & ciuibus limine se tenere, facesq; & lumina è fenestris proponere iussis, omnes regiones obequitarunt. Interim Merculianus insignis audaciæ centurio, è classe in urbem ad Aragonios occultè peruenit: Qui timidos socordiæ castigando, confirmando dubios, & ualida in classe auxilia esse prædicando, ea nocte magnum optificum numerum ad arma concitauit: & ante alios Raynaldus & Caymus Grandilli fratres pertrahuntur: qui uti erant manu prompti & seditiosi, apud sicarios ac lenones fori incolas maximam authoritatè obtinebant. Monpenserijs qui aliquam nocturni tumultus procellam timebat, totâ noctem in armis egit: quoniam per Andegauenses fiebat certior parari arma ab Aragonijs, conciliabula passim iniri, & deniq; multorum nobilium aduersæ præsertim factionis, domos armatis compleri, intentosq; omnium animos esse, ac nouarum rerum motum expectare. Quibus adductus rumoribus, quos maxime suspectos habebat, cõprehendere cogitauit. Verum aduersante Salernitano ac deprecante, ne temerè tumultus,

eus, quem maxime uitandum censebat, si uim magnis domi-  
 bus adhiberet, protinus excitaretur, ab his cōsilijs abstinuit.  
 Non multo post tamen missus est ad Mercurianum quaren-  
 dum comprehendendumq; Titus Beretarius prætor cum cir-  
 citore armataq; familia, quod nihil eos, qui in urbe primarij  
 erant, pro ignobili facinorosoq; homine ausuros esse puta-  
 bat. Sed secus accidit: nam ubi prætor, inalbescēte cælo, cum  
 turba officialium apparitorumq; in forum prælatis magi-  
 stratus insignibus cōparuit, extēplo omnes, quum se quisq;  
 conscientia scelerū, & nouæ coniurationis supitione ad sup-  
 plicium peti existimaret, arma cœperunt: neq; desuere, qui  
 uexillum Aragonium, quod quidem sub toga cōditum repen-  
 tē extulerat, hastæq; præfixerat, continuo sequerentur, om-  
 nesq; Ferdinandi nomen ingeminarent. Ioannes quoq; Spi-  
 nellus ante alios Aragoniæ gentis insigne in stragula lanea  
 acu perpicuum, pericæ induit, & e fenestratranseuntibus  
 spectandum magna omnium alacritate proposuit. Prætor  
 in eo armorum strepitu in fugam conijcitur, Galli obuiam  
 facti trucudantur: Vocatur ad arma populus sonitu cāpani  
 aris è Laurentiana sacra turre in quam Mercurianus ascen-  
 derat: maximusq; momento temporis exoritur tumultus, ar-  
 mata plebs ad prætorianam domū cōcurrit: carceres effrin-  
 guntur: suppellex omnis prætoria, libriq; publicarum ratio-  
 num in quos maleficiorum dānatorumq; nomina erant de-  
 scripta ad abolendam criminū memoriā discerpuntur. Do-  
 mus quoq; publica, ubi uestigal exigitur, ingenti copia om-  
 nis generis mercimonij referta, eodem auidæ plebis impetu  
 direpta est. Caietani quidam aliquot nacti Gallos qui in tem-  
 plum confugerant, crudeliter interfecerunt, adeo ut exem-  
 pta morientibus corda inhumani quadam rabie præ ira ac

PAULI IOVII HISTOR.

dolore acceptæ calamitatis dentibus admouerent. Dum hæc in foro geratur, Grandilli fratres ad Carmelitanam portam aduolantes eam occupant: et Alegriam qui ad Magdalenam eâ littora tuebatur, urbe excludit, confestimq; è summa Carmelitani cœnobij turre circumducto linteo uexillo, regi ut redeat, & celeriter littori adigat naues, significant. Absceserat enim ille paulo antè desperato introitu mœroris plenus: quòd detectam esse coniurationem, & amicos beniuolosq; suos à Gallis oppressos arbitratur. Peruenit quoq; ad classem expedito peruectus lembo quidam è plebe nomine Monacus, qui Ferdinando optatissimum de tumultu exorto, & ciuitatis incredibili erga eum studio nuncium attulit, statimq; ipse conuersis triremibus in littus exiit, & in urbem receptus est, tanto omnium fauore, ut dum certatim nobiles plebeis immisti spectandi gratulandiq; gratia coi-  
rent, eum equo insidentem confertissima multitudo, impulsu atq; humeris in Gennarij domum intulerit. Interea Monpenserius ab arcis area ubi Galli ad signa conuenerant, quòd in forum & ad Vlmi plateam itur, instructos armatorum ordines introduxit. Idem fecit Alegria, qui à Carmelitana repulsus porta relictisq; tormentis, & petitus è muro lapidibus, magno circuitu ut urbem intraret ad arcis portam peruenerat. Sed Alegria cum suis agminibus Catalana regione in mediam ferme urbem perrexit. Commissum est magnis clamoribus atrox prælium, populo alacriter Gallorum impetum excipiente: cui se ducem præbuerat Ioânes Montanus, qui primus ex omni nobilitate sublimis in equo & uoce manuq; conspicuus, Gallos acerrimè persequabatur. Dauali quoq; fratres Piscarius & Monterisius, hic aduersus Alegriam, ille contra Monpenserium cum delectis centurioni-

bus, ueteranisq; aliquot militibus ubi plurimum periculi im-  
 minere uidebatur, adcurrerāt. Alegriani quòd Catalana uia  
 erat angustiior, non modo cominus Neapolitanorum multi-  
 tudine, uerum è tectis fenestrisq; domorum uulnerabantur.  
 Nonpenserius autem patentem ingressus regionem, æquid-  
 re conditione ingruentis populi impetum sustinebat, quum  
 etiam curules paruos falcones duos adduxisset, qui in con-  
 fertam hostium turbam sæpius emittebantur. Protulerant  
 Neapolitani uinaria dolia lapidibus semiplena, quæ cylindri-  
 more in aduersos Gallos cum magno fragore & strepitu, ad  
 terrefaciendos equos, furcis & lanceis prouolebant. Car-  
 ris quoq; in uiam perductis, & his in hostes impulsis, pu-  
 gnantes tegebant, selopettis sagittisq; & tum maxime la-  
 pidibus insultantes Gallos repellebant: tantumq; loci plau-  
 stris ac dolis passim propulsis occupabant, quantum à reie-  
 cta cedenteq; Gallorum acie relinquebatur. Ad extremum  
 Galli quum iam aduersperasceret, summa Aragoniorum uir-  
 tute in arcis aream sunt compulsi, neq; ulterius cedentium  
 uestigijs insistere licuit, quoniã ab arce tormenta ad exitum  
 regionis collocata, protinus emittebantur. Ea quæ secuta est  
 nocte, Piscarius munitiones subitarias Gallis opposuit. Se-  
 quenti uerò die multa materia, & uimineis turriculis quas  
 caueones uocāt, harena repletis, aditus quosq; qui ab arcis  
 area in urbem pertinebant, continenti totius populi labore  
 præsepit, fossasq; idoneis locis ad concidendos aditus perdu-  
 xit: ita ut iam Galli undiq; clausi ac circumuallati uideren-  
 tur, perforatiq; subinde parietes quibus adificia separaban-  
 tur, ut discurrendi per contiguas domos, militibus facultas  
 foret, et tormenta in occulto collocari ac emitti in hostes pos-  
 sent. Galli magnum loci ambitum quo se tenerent complexi

PAULI IOVII HISTOR.

sunt, sic ut noua arce, & ea quæ ab ovo nomen habet, & Pi-  
 zafalconis castello, turreq; Vicentina & sanctæ Trinitatis  
 templo, itemq; sanctæ Crucis coenobio, regisq; hortis conti-  
 nerentur: & aperto in loco positis ubiq; tentorijs tenderent.  
 Erat in arcibus omnis generis commeatus copia ingens: sed  
 quæ tantæ multitudini minime sufficere posse uideretur: ex-  
 cedebant enim sex milium omnis conditionis hominum sum-  
 mam: nec tantus equorum numerus desperato pabulo com-  
 modè ali poterat. Quibus de causis sæpius equos ignobiles  
 emittebant: & quum Neapolitani certatim ad prædam ca-  
 piendam munitionibus euolarent, eos destinatis tormento-  
 rum ictibus, ueluti per lusum interficiebant: neque cæteri  
 unquam temere percuntium exemplo, quominus ad rapien-  
 dos equos profilirent, deterreri poterant: adeoq; eduliorum  
 recentium penuria creuit, ut Galli generosos equos totidem  
 præpinguibus iuuenis permutarent. Tridui spatium perfi-  
 ctis munitionibus, Ferdinandus tormenta, quæ nauibus ad-  
 uexerat, in minori portus mole, & in naualibus, totoq; pas-  
 sim littore collocauit, ut Gallicam classem, quæ intra maio-  
 rem molem se tenebat oppugnaret. Nec multò post nauis  
 eo apparatu atq; periculo territis tota classis ipso portu cele-  
 riter expulsa est, intulitq; se in id maris spatium, quod inter  
 Oui arcem & Vicentinam turrim interiacet. Turris tamen  
 quæ portui est imposita, & nocturnum nauigantibus præ-  
 bet lumen, Gallorum præsidio tenebatur, multaq; inde Ara-  
 gonij eius custodes detrimenta sagittis minoribusq; tormen-  
 tis inferebant. Eam Piscarius oppugnare adortus, difficili pe-  
 riculofoq; certamine occupauit: Quoniam è classe circum-  
 iectisq; Gallorum castellis, frequēs emissa tormentis pilarum  
 procella, oppugnantes ad aperto in loco plurimum infesta-  
 bat.

bat. Galli tamen celeriter turrem, ne ea hostis tanquam propugnaculo ad oppugnandam classem uteretur, maioribus adactis tormentis diruerunt, in cuius ruderibus noctu Piscariis munitiones crexit, quarum beneficio milites & in mole tuto consisterent, et è munitionum fenestris naues in anchoris (uti diximus) apud oniam arcem commorantes, directis eò colubrinis perfringerent atq; demergeret. Nec multo post Gallici, quum ipsorum classis è molibus, & ijs præsertim munitionibus, quæ ad Phariæ turris ruinas erecta erant, tormentis peteretur, molem occupare, ac eam à continenti abscindere, interrupta mari parte decreuerunt. Erant enim (uti diximus) in arce multa hominum milia: & in ijs præter ipsos duces, Monpensierum, Alegriam atq; Belcarium, pleriq; aliarum legati, signiferi, & ueterani equites animi uigore et rei militaris scientia præstantes: qui singulari promptitudine nullis deterriti periculis, apud munitiones omnibus propè horis cum hostibus prælio contendebant, atq; eas transgredi, & in urbem erumpere conabantur. Igitur omnibus rebus ac maxime animis ad id præparatis, scaphas triremium, magnarumq; nauium, tormentis minoribus sclopettarijsq; & balistarijs Vasconibus complent, & superare molis brachium ac in sinum portus deslectere iubent: aliam uerò nauilidam armatorum marum, & ante alios aliquot fortes cataphractus, qui dimissis equis grauibus contexti armis pedibus pugnare minime recusabant, ab arce quum nihil minus, & præsertim eo tempore, hostes timerent, repente emittunt, proposito signo, ut omnes uno tempore operam nauatario pòte constrat. Aragonios ingenti repètinoq; impetu,

PAVLI IOVII HISTOR.

& magnis clamoribus adoriuntur. Milites, Neapolitanusq;  
 simul populus ad tumultū excitati, impigre arma capiunt,  
 & sese omnibus urbis regionibus ad molem effundunt, cer-  
 tatur summa contentione, pelluntur Aragonij, & celeriter  
 Galli in molem euolant, ubi Germanorum cohors in statio-  
 ne erat. Hęc quum à fronte acriter ab armatis Gallis urge-  
 retur, & à tergo, et à lateribus ab ijs qui in scapharum clas-  
 se erant, tormentis atq; missilibus peteretur, milites sensim  
 sese recipere, & per interiores molis gradus se demittere,  
 coacti sunt, sic ut è superiore loco Galli alabardis ac lanceis  
 uulnera inferrent, & turbatos, lociq; iniquitate plurimum  
 impeditos, per scalas precipitent. Res erat in summo po-  
 sita discrimine, nec iam planè in repentino ac tumultuosiss-  
 simo prælij genere, oculis aut animo perspici poterat, quo-  
 nam modo quibusuè consilijs aut uiribus periculo obuiam  
 iretur. Nam Galli molem, portum, & munitiones ipsas, tor-  
 mentaq; deiecto præsidio, & pluribus præsertim è Neapeli-  
 tanis crebra tormentorum emissione sæde misereq; per lit-  
 tus portusq; spatium intersectis, occuparant, & iam fa-  
 brilibus uectibus ac huiusmodi ferramentis molem, ne in eam  
 à terra aditus foret, abrumpere cœperunt, quum Piscarius  
 laborantibus suis auxilio superuenit. Eius aduentu fuga sisti-  
 tur, Germani animos recipiunt, populus spe complectur, ac  
 in pugnam redit, nec mora, eo cum ingenti scuto districtoq;  
 gladio intrepidè ante alios prouolante, & Hederlino impi-  
 gro Germanorum centurione in aduersos hostes signiferum  
 conuertente, prælij Fortuna commutatur. Eo quoq; rex ipse  
 cum fortissimis familiarium decurrit, ab utrisq; aduentus  
 eius à multo cedentis acclamantisq; turbæ fremitu conspi-  
 citur. Aragonij Gallos loco propellant: conuituntur ui facta  
 per

per eosdem gradus: multisq; trucidatis in summam molem celeriter euadunt: Quanquam multi ab omni parte tormentorum pilis sternerentur: nemoq; omnium esset adeo forti constantiq; animo, quin terribili earum undiq; incidentium uolentia non maxime terreretur. Sed qui in scaphis erant, ne suo, hostibus in summa molis area permistos interficerent, continuo ab emittendis tormentis abstinuerunt. In earum commutatione spes atq; animus Gallis repente concidit: nam qui modo alacriter atq; audacter occubande molis negotium susceperat, tantamq; rem fortissime peregerant, quum ingruentes Aragonios neq; corporibus neq; animis sustinerent, trepidanter de fuga consulere coeperunt. Itaq; alij pugnantes cadunt: ingenti saltu alij in subiectas scaphas se coniiciunt: alij ab hostibus in exterius mare precipitantur, e quibus plures armorum pondere degrauati: uel a socijs natandi imperitis demersi pereunt: pauci ad triremes enantant. Eo praelio desiderati sunt e Gallis aliquot uiri fortes: sed multo plures e Neapolitanis, qui ab initio tumultus, improuiso periculo temere ad litus ac in ipsum portum deuolauerant. Marcellus quoq; Columna nobilis atq; impiger adolescens, in facie sclopetto grauius est uulneratus. Is dies longe omnium periculosissimus fuit, nam in ea adeo repentina Gallorum eruptione, tantaq; ancipitis pugnae difficultate Ferdinandus cum uitae tum urbis amittende incredibile discrimen adiuit, quum in eo tumultu ab aduersae factionis hominibus, Gallicum nomen inclamaretur. Sed eius facinoris initium statim oppressum est: primusq; omnium qui eam uocem sustulerat, Leonardus Blancus, in furca ad alios deterrendos laqueo strangulatus est. Galli post id factum, quum eruptionem sepius improspere tentassent, & prolatis un-



## PAULI IOVII HISTOR.

diq; munitionibus indies arctius atq; ualidius conclusi esse ut  
 derentur, & iam planè ipsorum etiam confessione circum=  
 uallati essent, ad emittenda mortaria se contulerunt. Ea sunt  
 patuli atq; ingentis oris tormenta, quæ siliceam pilam tripe=  
 dalis ambitus in sublime iaciunt. Eorum pilæ quum ab alto  
 cadunt, domorum tecta cum magna contignationum strage,  
 ad infimas usq; testudines perforant, apertis autem in locis,  
 & solo præsertim strato illis, ipso casus impetu perfringunt  
 tur, frustulisq; in diuersa disilientibus obuios mortales mi=  
 serabilibus plagis deformant atq; interimunt. Nec interea  
 ab tormentis muralibus, quæ editioribus ac opportunis triu=  
 arcium locis erant collocata, ullo diei noctisue tempore ces=  
 sabatur. Quibus non modo milites stationarij, sed urbana  
 plebs & fœminæ iniectorum subdialibus domesticis officijs  
 occupata, à Gallis ueluti per tociū ac uoluptatem peteban=  
 tur. Monterisius Piscarij frater, dum incautius in aggere uer=  
 saretur, maioris sclopetti ictu altero genu debilitatus est. Ex  
 aduerso, Aragonij pluribus tormentis, quæ ipsi præter naua=  
 lem apparatus ex collectio cupro Neapoli confeciissent,  
 uel mutuo à pontifice & à Liguribus accepissent, quoti=  
 die magna Gallis detrimenta inferebant. Nam & pontem  
 nouæ arcis qui ducebat in Cittadellam ingenti murorum rui=  
 na edita diruerant, interfecerant plerosq; ex occulto certis  
 falconum ictibus: & propugnacula demum ipsa pinnarum  
 coronâ penitus enudarant: ita ut nemo editis in locis conspi=  
 ceretur. Excogitati quoq; erant plutei ex crassis asseribus,  
 culcitris atq; centonibus protecti, quibus tormenta occulta=  
 bantur, ijq; ductiles erant, ut quum emittenda forent tor=  
 mentis, attolli et deduci celeriter possent, priusquam à Gallis  
 ad sumi flammaramq; indicia sedulo collimantibus tormenta  
 ab arce

ab arce in uinearum fenestras conijceretur. Galli nanq; ante pluteorum usum, interfectis aliquot tormentorum magistris ferreas pilas in ora tormentorum ad ea perfringenda, destinatis istibus adegerant. Per eos dies quum Actiops seruus qui tum apud Gallos erat, se incensurum Gallicam classem & aditum Aragoniis in sanctæ Crucis templum se statuta nocte præbiturum polliceretur, Piscarius tantæ indolis atq; uirtutis dux, in ipso ætatis flore eius nefarii hominis singulari perfidia crudeliter est interfectus. Nanq; ille peregre gius proditor perfidia planè seruili & plusquam Punica, quum doli ac insidiarum ordinem Gallis detulisset, & ab his optimo præmio ditaretur, Piscarium intempesta nocte ad colloquium euocauit, euadentemq; militari scala in summam hortorum maceriem & in caput exporredum sagitta lunata repente emissa iugulauit. Corruentem familiares qui aderant, quum frustra erigere conati essent, ipsum iam exanimem scuto impositum extulerunt. Tantus uerò mox luctus eius uiri morte per urbem multorum plautu ac lachrymis enunciata, ciues æque ac milites occupauit, ut ea nocte spes omnis partæ iam propè uictoriæ amissa esse, ac deniq; ipsa Neapolis ab hostibus capta uideretur. Galli quoq; eius perpetrati facinoris certiores facti, ne ullam rei bene gerendæ occasionem prætermitterent, Alegria duce in consteratos metu ac dolore Aragonios eruperunt: multisq; interfectis, & cæteris in fugam coniectis tormenta & militum tentoria occuparunt. In tanto repentinoq; tumultu ac fœda omnium fuga, populus impigrè arma cepit. Rex quoq; ipse cohortantibus maximè Prospero Columna, Vgonèq; Cardonio, dolorem scilicet ipso metu uincète cum custodibus corporis ad ferendâ opem superuenit. Ibi pugna admodum cruen-

PAULI IOVII HISTOR.

ta magnis utrinq; clamoribus collato pede, ac dubio saepe euentu commissæ est. Alegria enim, ut partū uirtute locum tueretur, acriter repugnare, modo urgentibus cedere, modo collectis uiribus redintegratoq; impetu incumbentes propellere: ipse in prima fronte uersari, strenuamq; adhortando ac pugnando operam nauare. Ad Extremum Gallorum impetus egregie ac fortiter est repressus, quum Aragonij pudore simul ac dolore incitati, quod & locum ubi tendebant, & publicum apparatus priuatamq; supellectilem amisissent, in præliū reuerterentur, Germaniq; densatis cuneis hostium aciem perumperent. Gallis intra ueteres eorum munitiones cōpulsis, tormenta omnia et tabernacula, resq; militum magna ex parte recuperatæ sunt. Ea die Alfonsus Toraldus uir nobilis ac strenuus, tormento è Vicentina turre emisso dum in pugnam deferretur, interfectus est. Mortuo Piscario, quum Ferdinandus ob atrocem casum hominis sibi omnibus fidei ac amoris officijs coniunctissimi, incomparabili dolore premeretur, pluresq; dies colloquio hominum, & publico abstineret, Prosper administrandi belli curam suscepit. Transferat is relictis Gallis multum antè ad Ferdinandum hortatu pontificis, & Ascanij maxime cardinalis, cuius consilia ab initio fuerat secutus, spoponderatq; Fabritium Colunnam Patruelem suum similiter cum his quas haberet copiis in partes protinus esse transiturum. Sed Fabritius ne alieno arbitrio de his rebus, quæ fidei ac decoris curam estimationemq; respicerent, consilium capere uideretur, apud Gallos aliquandiu militare perseuerauit, continuitq; in fide Gallorum aliquot Campaniæ oppida, & Hieronymum Tuttauillam Aragoniorum ducem in Venefranis campis tumultuario prælio fudit. Cæterum Fabritius, Asca-

nij

nij Ferdinandiq; & totius demum Columniæ familiæ precibus fatigatus, Aragonijs partibus adhæsit: utq; arctissimo amicitia uinculo regi iungeretur, Victoria eius filia tum triuma, Ferdinando Piscarij filio adhuc infanti, desponsata est: quam postea altitudine uirilis ingenij, & literarum elegantia cæteras nostræ ætatis scæminas supergressam, pleriq; sunt admirati, quum pariter uir eius Ferdinandus ante alios rerum strenue gestarum gloria maximè floureret. Certabatur quotidie ad Cittadellæ muros: conatiq; sunt Aragonij sapius transcendere hostium munitiones, sed ea res semper multis illatis acceptisq; uulneribus improspere tentata. Narcissus demum Aethruscus mirabilium operum machinator, et agendorum maximè cuniculorum artificio insignis, ingenium suum prostrernendis Cittadellæ muris Ferdinando obtulit. Nec multo post sinuosos cuniculos subter ima fundamenta, occulto multorum agrestium labore per noctem excavauit, plurimoq; sulphureo puluere repleuit. Quibus perfectis operibus, quum Aragonij quotidiana consuetudine ad munitiones successissent, & Gallos ad locum descendendum suo impetu procurrentes in summum murum melicississent, Narcissus opportunè cuniculis ignem intulit, extemploq; horribili fragore edito totus ab radice murus cum miserabili superstantium Gallorum clade reuulsus atq; diffractus in interioriorem partem procubuit. Tum uerò Aragonij per ruinas signa intulerunt, & Gallos tantæ atq; inopinatæ cladis miraculo percussos, instando cædendoq; insugam uerterunt: statimq; omnibus in opere uersantibus munitiones proferricceptæ: ac tantum spatij intra hostium septa occupatum est, quantum temporario aggere, priusquam Galli à timore se reciperent, tormentaq; dirigerent, complessi potuerunt. In

## PAULI IOVII HISTOR.

his administrandis, Dimasius Recassentius minore tormento ictus est: plerisque alijs ex militum ac Neapolitanorum turba uulneratis atque interfectis: Ita tamen, ut nemo ab instituto opere discederet, uel ipso uite discrimine permoueretur. Ad primas uero noctis tenebras concursu undique facto, multiplicatisque operis, munitiones erectae perfectaeque sunt: nam sicuti Galli in ipsa noctis obscuritate ictus minime certos inferebant, ita in opere Aragonij ardentiore studio, et minore cum periculo uersabantur. Dum Galli ad Neapolim circumuallantur, Mantuanus et Galeacius Sanseuerinus Nouarium graui obsidione premebant. Primo enim aduentu, Derthona atque Alexandria urbibus certo peditum equitumque praesidio firmatis, aliquot castella circa urbem, quae à Gallis tenebantur, in potestatem redegerant, et in his Casalagianum, Burgarum, et Vercellensi uia quinto ab urbe lapide Arcemarianum, sic ab arcu uictoriae C. Marij nuncupatum, qui patentibus illis in Campis, Cimbrorum, ingentes copias memorabili praelio superauit. Galeacius quoque Sanseuerinus, cui Contarenum cum Graecorum alij ab initio se coniunxissent memorauimus, equestribus praelijs prospere saepius factis, Gallorum eruptiones represserat: receperat suburbanos utcos: et oppidum quod uulgo Lumen omnium dicitur, expugnarat. Eo enim loco oriundus fuit Petrus Lombardus, qui quum rudi illo saeculo sacros libros grauius commentarijs illustrasset, sententiarum Magister et Lumen omnium est appellatus. Quibus de causis Galli duobus magnis circumfessi exercitibus, quanquam saepe erumperent, et pecus undique raperent, comiteatque nonnunquam ab amicis noctu ad urbem conuecto iuuarentur, multarum tamen rerum inopia laborabant. Immaturas enim segetes incumbentibus sfortia-

nis raptim succidere coacti fuerant, & frumentum, si quod ex priuatis horreis uetus habebat, id lapideis in pilis contundebatur. Quonia Ogonia, Terdubioq; et Mora suburbanis anniculis aliò auersis diriuatisq; frumentaria mole aquarū impetu destituta, aut à militibus perfracta, penitus inuites reddebantur. Idq; solum in nobilium mensarum usum ueniebat, quod trusatilibus molis quotidiano labore tercebatur. Multitudo autem militū ac ciuium, ipsaq; iumenta propter pabuli ordeiq; inopiam tritico cacabis excocto uescébatur. Sed ante alias difficultates summa uini penuria, sublata prosertim omni spe propinque uindemiæ, animos Heluetiorum Gallorumq; persregerat. Ipse Aurelianus, quanquã quartane morbo implicitus, singulari animi uirtute singulos cōsolando, & celeriter uentura auxilia pollicēdo, rerum propè omnium difficultatibus occurrebat. Erant in urbe præter Nouariensium cohortes publicè conscriptas, equites utriusq; armature supra mille, Heluetiorū circiter quinque milia duce Antio uiro fortissimo, cui à lauto conuictu Anaurolebano cognomen fuit: ceteri erant subalpini pedites & Galli sagittarij, quos Ludouicus Salassus adduxerat. Dum Carolus modo in Astensi agro, modo Taurini in maximis aestatis caloribus statiuā haberet, amoreq; Annæ Soleris nobilis matrone captus esse diceretur, usq; adeo molliter animum etate ad uoluptates facile pronum remiserat, ut à totius belli cogitatione planè discederet: et regij consilij proceres, uel tædio diuturni belli, uel repetēde patriæ desiderio ducti, de suis obsidione liberandis tepidissime loquerētur. Nec deerāt qui Aureliane gloriæ atq; amplitudini nequaquã occultè obtrusantes, turpiter inuiderent. Quibus ille tot aduersis rebus permotus, ad regē scripsit uno argumento et pluribus exem

PAULI IOVII HISTOR.

plis, ut ab uno saltem tabellario stationes atq; custodiae sal-  
 lerentur: ut tum prospere accidit: namq; altero intercepto,  
 alter incolumis ad regem peruenit. His literis suam & tot  
 fortissimorum militum salutem demisse atq; suppliciter con-  
 mendabat, pertinere ad publicam Gallorū existimationem,  
 & ad ipsius præsertim regis dignitatem, cuius maximè con-  
 modo atq; iudicio Nouariam cepisset, defendi ac liberari  
 presidium, in quod, si aliquorum malignitate uel incuria et  
 flagitiosis consilijs desereretur, Itali acceptæ cladis memo-  
 res, crudeliter essent seuituri. Nouarienses enim qui summe  
 fidei essent, & milites, qui summa constantiæ laude, aspera  
 omnia paterentur, propter comæatus inopiam iam propè  
 ad rerum omnium desperationem peruenisse, neq; iam ulla  
 re magis eorum corpora atq; animos sustineri, quàm certa  
 spe ipsius regis aduentus: si exercitum à Verceilis admoue-  
 ret, & hostes perterritos, quos modo ad Tarrum latè pro-  
 fligasset, ex composito aggredieretur, se cōtinuò erepturum  
 cum octomilibus pugnacissimorum hominum, egregioq; fa-  
 cinore edito uictoriam esse geminaturum. Carolus ad ea sa-  
 lutem sibi cordi esse respondit, uel eius sibi arcta affinitate  
 cōiuncti uel de optimè meritorum militum: neq; passurum  
 unquam, ut detrimentum aut ulla ab hostibus contumelia  
 acciperetur: Acciuisse nuper se ex Heluetijs pedites, et è Gal-  
 lia equites cataphractos in supplementum exercitus: Spera-  
 re ea auxilia prequam mature conuentura. Que ubi appli-  
 cuissent, extemplo castra promoturum, daturumq; operam  
 nauiter, ut Itali fœda fuga obsidionem relinquerent: uel si  
 consistere atq; operiri ipsius aduentum uellent, infeliciter  
 Gallorum uirtutè iterum experirentur. His literis pro con-  
 cione recitatis, Aurelianus militum pariter ac ciuium ani-  
 mos

mos mirificè cōfirmavit: eosq; ad institutas in portis ac mœ-  
 nibus munitiones celeriter perficiendas accendit. Ipse im-  
 portune ualitudinis nullam excusationem accipiebat, quin  
 uigilias inspiceret, circuiret urbem, operibus uacaret, sin-  
 gulaq; militiæ munera die noctuq; incredibili tolerantia,  
 ubiq; multus exequeretur. Sæpè quum milites uideret recen-  
 tium carnū desiderio teneri, eosq; incommodè salitis uesti,  
 præsertim quòd in medijs æstatis feruoribus uino penitus ca-  
 rerent, minus generosos equos occidebat, ita ut dissectos per  
 centurias æqua diuisione militibus largiretur. Nouo quoq;  
 inuento, ut eis de stipendio cauere uideretur, quū summa pe-  
 cunia inopia laboraret, æreos denarios pro argenti cude-  
 bat, & data fide totidem argenteos perfecto bello se reddi-  
 turum pollicebatur. Per eos dies à Senatu Veneto Mantua-  
 nus cum multo uerborum honore, quòd ad Tarrū pro digni-  
 tate totius Italiæ strenuè dimicasset, Imperator est appella-  
 tus. Nec multo post Georgius Hemus, Petrusq; Marcellus  
 imperij militaris insignia, argenteum sceptrum, et uexillum  
 auratum in castra detulerunt. Secundus uerò honos in exer-  
 citu Petiliano datus, sic ut tum Veneti duobus decretis, &  
 grati animi, & singularis prudentiæ laudem apud omnes  
 tulisse uiderentur. Exarsit inde seditio militaris inter Italos  
 atq; Germanos, ob ignobile scortū, quo die res in summum  
 pene discrimen adducta est, quum irarum causæ mutuis ca-  
 dibus creuissent, & ab utraq; gente in auxilium suorum ar-  
 mate acies adcurrere properarent. In eo tumultu Mantua-  
 nus ualidam equitum ac peditum manū, uias quæ ad urbem  
 ferrent insidere iussit, ut si forte Galli in ea tam diri tumul-  
 tus occasione crumperēt, paratis oppositisq; præsidijs in ur-  
 bem repellerētur. Ipse porrò in medios Germanos intrepide



PAULI IOVII HISTOR.

procurrit: eosq; fratres & consanguineos appellando, ac deprecando, ne tantum facinus in socios admitterent, facile praelium iam multorum caede atq; uulneribus cruentum, diremit. Erat enim Mantuanus Germana matre genitus, pluri manq; ex ea sanguinis affinitate apud eius gentis milites auctoritatem obtinebat, quam & ipse miris artibus adaugere erat solitus: ornabat enim saepe eorum centuriones atq; signiferos uarijs muneribus: inmiscibatq; sese gregarijs militibus incredibili comitate: sed incorrupto semper ducis ac principis honore: adeo ut nemo tam ferus esset ac turbidus, qui ea humanitate, sed maxime insigni liberalitate, qua uir ille maximos etiam reges superauit, minime flecteretur. Græcos quoq; equites, qui Dodum ipsorum praefectum, quod auarè ac insolenter secum ageret, interficere, & ad hostes transfugere cogitarant, placando largiendoq; in fide continuit, ijsq; ex auctorato Dodo, ut Contarenum Græce peritum lingue, & honestum in primis strenuumq; hominem Senatus praeficeret, impetrauit. Quibus beneficijs adeo sibi Græcorum animos deuinxit, ut in posterum fidei fortiq; semper eorum opera maxime usus, amplissimum sequentibus bellis uictoriae decus compararit. Iam plures dies in uastandis agris obsidendisq; itineribus consumpti erant, & aestas iam praecipitarat, quò certis rumoribus ac nuncijs affertur ex Gallia nouum aduentare equitatu, & magnam Helueticorum multitudinem Gratas alpes transcendere: iamq; Vercellas à Fusio regulo atq; Triuultio aliquot turmis atq; cohortibus eo adductis, occupatas esse: urbemq; eam bello sedem fore, in quam rex propediem esset concessurus, ut inde coactis in unum copijs, ex propinquo obsessæ Nonariae opem ferre maturaret. Quibus animaduersis periculis, Mantuanus

& legatos coram, & Senatum ac Ludouicum Sfortiam per  
 literas docuit, quanto cum discrimine summæ rerum sibi res  
 futura esset, si cum diuersis hostibus ancipiti prælio dimi-  
 care cogerentur. Proinde delectibus ubiq; habitis maioribus  
 copijs exercitus firmare maturarent, nec ullis parcerent  
 impendijs, quando iam propè ad finem laborum esset per-  
 uentum. Quum enim auctæ uires nouis auxilijs forent, se  
 protinus adiunctis Sfortianis propius urbem moturum ca-  
 stra, ac tum ex tuto maiora tormenta prolaturum, ne aduen-  
 t, ante rege, si obuiam iretur, ea protinus subita tot obfesso-  
 rum hominum eruptione raperentur. Sperare se interea uel  
 hostes ultima famis necessitate subactos, deditionem esse fa-  
 cturos: uel si rex ad soluendam obsidionem adproperaret,  
 eum summo cum detrimento, uel singulari cum infamia Ver-  
 cellas esse rediturum. Nec multo post quum ab omnibus eius  
 sententia probaretur, ex Germania Georgius Petraplanius  
 uir domi nobilis, & multis militiæ gestis clarus, cum dele-  
 ctis cohortibus in castra peruenit. Venere quoq; Ludoui-  
 ci pecunia conducti Germani equites quingenti, duce Brun-  
 suico regulo, & ex ea gente tria milia peditum: tota autem  
 Italia utriusq; armaturæ equitatus & pedestres passim co-  
 pie conscribebantur: Ita ut uno fermè tempore Gallorum  
 auxilia Vercellas applicarent, & in castra ad Nouariam  
 undiq; in supplementum copiarum mitterentur. Interim oppidum  
 Brionia, quæ presidio Gallorum defendebatur, cum arce ex  
 pugnatæ est, interceptiq; sæpe cõmeatus, quorû uectores in  
 præaltis furcis, ut obfessis spectaculo foret suspendebantur.  
 Vastatus quoq; subita incurssiome ager Vercellensis, et aba-  
 ctu ingens pecoris copia. Quoniam Allobrogum principis  
 uxor tum uidua Gallis secus ac se facturâ ab initio promissis

## PAULI IOVII HISTOR.

set, aperte fauebat, Vercellisq; Gallicas copias receperat. Venit etiam in castra Ludouicus Sfertia, & cum eo Beatrix uxor, in cuius gratiam Mantuanus uniuersum exercitum instructum, ac omnibus insignibus exornatum, in pompæ morem circumduxit atq; recensuit. Ferunt, qui longè omnium pulcherrimo summo ordine incedentis exercitus spectaculo interfuere, nunquam postea uel ampliores uel ornatiores copias unis in castris in Italia fuisse conspectas. Erant enim paulo minus quinquaginta milia delectorum hominum, exceptis etiã militũ ministris, ipse quoq; Ludouicus tanetsi in togameliore habebatur, quòd statura erat gestãdis armis idonea atq; decora, armatus prodijt, Galeaciũq; ducẽ suum, quòd uersicolore sagulo Gallorũ more indutus erat, acerbissimè castigauit, ueluti ille propriũ fastidire habitum, ac hostilem præferre atq; imitari uelle uideretur. Laborabant obsessi in dies magis ac magis rerum omnium inopia: & iam plerisq; continuò fabæ ac fursuracei panis usutabescentibus, ac morbis subinde per corpora hominum uulgatis, regia auxilia desperabant: quum infessas uias, occupata oppida, exercitus aduersos, tormenta Mediolano aduecta esse conspicerent. Quibus de causis nocturnos ignes in turribus excitare, ac tormentorum sclopis certo ordine ac numero editis, omnibusq; demum fumo ac uexillis significationibus factis, suprema rerum suarum pericula regijs exprimere, ac maturam opem implorare cœperunt. Quo pudore adducti Gallorũ duces, ualidan peditum atq; equitum manum cum sarcinarijs iumentis, & multo commeatu Nouariã intempesta nocte introducere statuerunt. Sed Mantuanus per exploratores de eorum aduentu certior factus, in omnes partes Præsidia disposuit: cunctaq; itinera celeriter

ter occupauit: Progressusq; ipse ante alios, quum semiarmatus somnum caperet, & plures equos die noctuq; per uices ephippiatos & frenatos contineret, præter Arcum Marianum media in uia constitit, quo protinus Græcorum alex & Germanorum cohortes decem accitæ fuerant, eo consilio, ut suis, ad quos hostes uerterentur, quum opus foret, subsidio protinus aduolaret. Galli præter oppidum Lumen omnium, & Monticellū pagū itinere capto, in eas turmas quas Colleoni Bergomates ductabant, inciderunt, statimq; ut eorum mos est qui in furto deprehenduntur, uiribus atq; animo conciderunt. Nec mora, quum ignota regione densisq; in tenebris errabūdi diffugere conarentur, coeuntibus undiq; Venetis ac Sfortianis, tota ea manus dissipata captaq; est. Post id factum Mantuanus, ut acrius hostes urgeret, cœnobium diui Nazarij, quod moenibus erat propinquū occupauit, Caroloq; Meliteo custodiæ præposito, fossa atq; aggerem locum egregiè communiuit, unde sine periculo collocatis pluribus tormentis, multa detrimenta obsessis ex ipsa præsertim sacra turre, templiq; fastigio, sæpius inferebantur. Ab eo loco, quum fortè Mantuanus ad inspectandam munitiōnem, quam ad extremum suburbanorum tectorum caput Aurelianus erexerat, cum aliquot centurionibus processisset, uisa est occasio eius munitiōnis occupādæ, statimq; ipso cohortante, Gorlinus Rauennas cohortis præfectus uir impiger in eam transcendit: Gallisq; intra portam compulsis totam eam munitiōnem, quod ex materia cespitèq; constabat, protinus iucendit. De prima uerò uigilia, quum minus Gallorum tormenta in tenebris timerentur, suburbana edificia & alteram munitiōnē, quæ ante Agapitanam portam constructa erat, expugnare adortus, Iacomatio Veneto &

PAULI IOVII HISTOR.

Petro Dalmata fortem nauigantibus operam, pari scelicitate in potestatem redegit. Sed dum Dalmata portarum fores concremare conaretur, ob idq; incautius propugnaculum subiret, tormento traiectus interiit. Ibi etiam Antonius Faber & Ioannes Feltrius strenui centuriones, sagittis confecti sunt. Sequenti quoq; die, quum eum suburbanorum edificiorum tractum ad cohibendas Gallorum eruptiones munendum presidioq; firmandum omnes censerent, & ibi Petilianus multus in opere uersaretur, minoris tormenti plumbea glande, nequicquam teigentibus eum armis, in rene dextro grauius est uulneratus, sic ut cum maximo omnium dolore extremum uitae periculum adire uideretur. Aurelianus, eo successu hostium, erumpendi ab ea parte facultate sublata, ne simili quoq; audacia à reliquis portis suburbia occuparentur, ea omnia seuo consilio diruit et incedit. Interim duobus ingentibus tormentis idoneo in loco constitutis, maioribusq; mortarijs sepius emissis, & muri pariter & internarum urbis aedificia diruebantur: dabatq; operam assidue Mantuanus oppugando acriter, atq; omni ex parte urbem praesidijs circa proxima templa collocatis circueundo, ne alicunde commeatus importaretur, portarumq; egressibus concisis atq; aggere obseptis, ut omnis undiq; exitus hosti praeccluderetur. His cognitis rebus, Galli qui Vercellis erant, copias eduxerunt, & trans Sesithen annum quarto ab urbe lapide apertis in campis castra posuerunt: quum sperarent hostes timore eorum aduentus adduci posse, ac eos prope copias atq; tormenta longius ab urbe remoturos, in uniuersiq; futuri certaminis casum animis ac uiribus intentos, solitam custodiarum ac stationum diligentiam esse remissuros, donec Carolus cum tota mole exercitus aduenteret. Sed Mantuanus

Euanus munitis castris singulari animi magnitudine atq; cō-  
 stantia, eodem loco consistere minimè dubitauit, quanquam  
 à multis, qui magnam militaris prudentiæ opinionè adep-  
 ti uidebantur, ut sese reciperet tormentaq; retraheret, solli-  
 citè mōneretur: quoniam supra uiginti milia Heluictiorum  
 ex nouis delectibus, & ualidum equitatum Aurantio duce  
 ad Carolum peruenisse didicerant. Ipse enim in cōsilio & pa-  
 lam apud gregarios etiam milites respondebat, ea sibi maxi-  
 mè salutaria consilia uideri, quæ impauidi animi & bellici  
 decoris plena spectarentur: spem enim & metum bello na-  
 tura æqualiter esse diuisa, sed cum semper euadere uictō-  
 rem, qui prima alieni pauoris signa deprehenderet, & in-  
 clinatis protinus instaret: neq; enim ulla satis ualida, semel  
 conuersis ac respectantibus, uel amnium, uel montium esse  
 munimenta: Proinde eius scædi consilij obliuiscerentur, &  
 se duce de matura cumulataq; uictoria minimè desperarent.  
 Caterum sforziani eam Urbem à Venetis expugnari & di-  
 ripi nolle uidebantur, ne capta funditus deleretur: uniuer-  
 saq; item pugna euentum magnopere formidabant, ne si ui-  
 cti forent, cæteras protinus urbes amitterent: uel si uictō-  
 ria potirentur, Veneti rerum omnium arbitri fierent, & in  
 ea uictoria pro uetere libidine totius Italiæ imperium usur-  
 parent. Per eos dies Nicolaus Annonius & Ioannes Comes  
 ad castra usq; hostium prouecti, equestri prælio prospere di-  
 micarunt, cognitumq; est à captiuis Regem adhuc Taurini  
 considerare, sed propediem cum reliquis copijs in castra profu-  
 cisci, et prælio decertare statuisse. Sed nō multo post Argen-  
 tonus ad Mantuanum præconem misit, monuitq; , si Venetè  
 de pace loqueretur, futurum esse, ut neq; regem neq; proce-  
 res ab honestis conditionibus alienos inuenirēt. Quamobrè

PAULI IOVII HISTOR.

quum in castris pacis nomen gratissimis omnium auribus  
exciperetur, sequenti die missus est Vercellas Albertinus  
Bochetus perspicaci uir ingenio per causam uisendi filij  
apud Triuultium aduersa ualitudine laborantis, qui apud  
hostium duces, accuratè uoluntates eorum explorando, cer-  
tas de pace conditiones proponeret. Is postero die retulit  
Gallos haud grauatè in colloquium deuenturos: duxitq; in  
castra Araldum regium cum quo de die ac loco futuri collo-  
quij, comitumq; numero statueretur. Nec multò post Man-  
tuanus fide data atq; accepta, in campum patentem ad insi-  
dias minimè suspectum, ferme mediũ inter utraq; castra est  
euocatus. Eo conuenere Aurantius princeps, Giensis, Ar-  
gentonus, & Pienes regij cubiculi praefectus: ad hos quoq;  
Triuultius, Camillusq; Vitellius & pleriq; nobiles equites  
armati galeatiq;, ueluti praelio foret contendendum. Ex alte-  
ra parte Mantuanus cum Contareno illustribusq; alijs ala-  
rum praefectis prodijt, paucisq; de causa sermonibus initis,  
quod nec Aurantius Latinam planè callebat linguam, nec  
Triuultius interpretis munere faeliciter eo tẽpore fungere  
tur, de inducijs transactum est, ut ea decem dies manerent,  
quo temporis spatio commodè de pacis conditionibus age-  
retur: ipsiq; interim Veneti ac Sfortiani ab oppugnatione  
penitus abstinerent, pariterq; Aurelianus munitiones, quas  
intra murum diligenter extruebat, statim intermitteret, atq;  
alimenta dietim obsessis praebentur. Ea uti acta erant Aloi-  
sius Aduocatus, & Phœbus Gonzaga castrorum praefecti,  
cum praecone Gallo urbem ingressi, Aureliano minoribusq;  
ducibus renunciarunt. Quibus ea omnia leto animo cõpro-  
bãtibus, Italis potestas est facta, ut quotidie munitiones in-  
spicerent, ne quid eis adhuc imperfectis per noctem occulti  
nouiq;

nouiſq; operis adderetur. Biduo poſt Ludouicus à Medio-  
 lano in caſtra ſe contulit, miſitq; ad regem Franciſcum Ber-  
 nardinum Vicecomitem, & Hieronymum Stangam, qui  
 ſumma ad componendam pacem mandata deſerebāt. Verum  
 in colloquio, ubi omnes ſerè proceres erant, Briſonettus car-  
 dinalis durior eſt inuentus: utpote qui cunctas iniurias eo  
 bello acceptas ſeruido quodam ingenio recenſeret, & con-  
 ditiones ſummæ iniquitatis proponere uideretur. Quam ob  
 rem rebus tum infectis, paulò poſt Argentonus, Giennis, atq;  
 Pienes, ut coram cum Ludouico Venetiſq; legatis diſcepta-  
 rēt, in caſtra uenerunt. Ab ijs impetratum eſt, ut Aureliano  
 eundi ad regem poteſtas foret, ea conditione, ut ſi pax ad exi-  
 tum perducì minime poſſet, cum eodem quem educeret comi-  
 tatu ad reliquam eius belli fortunam ſubeundam in urbem  
 reuerteretur. Poſtulabat Gallus ante alia, ut Veneti Ferdi-  
 nandum contra ſe Neapolitano bello, claſſe uel copijs terre-  
 ſtribus iuuare nollent. Sed Senatus, quem legati per literas  
 conſulebant, perplexè admodum reſcribebat, Venetos quam-  
 diu Carolus à ſociorum rebus abſtineret, regium eius no-  
 men culturos ſemper, atq; amicitie iura ſyncera fide ſerua-  
 turos: negabantq; legati pertinere ad eam, quam Galli cum  
 Ludouico tractarent pacem, ut alicui nouo ſoederi Senatus  
 Venetus alligaretur, qui ei quod nuper cum Caſare Maxi-  
 miliano, & Ferdinando Hiſpaniarum rege, pontificeq; Ale-  
 xandro, & Ludouico Sfortia iſtum eſſet, ſe ſtaturum incon-  
 cuſſa fide promiſiſſet. Porrò Ludouicus, quanquam, & re-  
 gis & procerum ſummam eſſe uoluntatem, ut res non ini-  
 qua conditione componerentur, haud obſcurè intelligebat,  
 atq; ob id eos de grauibus ipſorum poſtulatibus diſputando re-  
 nuendoq; aliquid remiſſuros eſſe prouidebat, tamen tanta



PAULI IOVII HISTOR.

erat animi sollicitudine, ut nunquam postea adeò secunda sibi hominum ingenia fore putaret, ut eo periculosi belli discrimine solutus & incolumis eriperetur: adeoq; anxie & cupide pacem petebat, ut Ferdinandi Aragonij causam minimè respiceret: & se eius auunculam esse, dum priuatim sibi consulit, penitus obliuisceretur. Itaq; per idoneos homines, resæpius accuratè atq; subtiliter pertractata, Galli ad sextum Idus Octobris his conditionibus pacem cum Ludouico pepigerunt, ut cuncta præsidia urbe Nouaria ac omnibus locis quæ Ludouici ditionis fuissent, continuo deducerentur, ducentaq; milia aureorum nummum, quæ Rex à Ludouico fratreq; eius Ascanio cardinale, ab initio belli mutua sumpsisset, duabus pensionibus redderentur. Ludouicus uerò Genuensem arcem Herculi Atestino ipsius socero, cui Carolus maximè fidebat, regio nomine custodiendam traderet. Gallis item Genuæ quantam uellent classem parare liceret: et quas naues apud Rapallum Adurnij, Liguresq; cepissent, restituendas curaret, Ferdinandumq; Aragonium ante omnia eo bello contra Gallos, copijs, classibus, pecuniâue minimè iuuaret. Postremò quinquaginta milia aureorum nummum impense nomine, Ludouico Aureliano persolueret, et captiui utrinque redderentur. Nec multo post Ludouicus Salassus & Anauolebanus Heluetius urbe præsidium eduxerunt. Fuere equites omnis generis duo mille octingenti & quadraginta sex: Pedites uerò ter mille & sexcenti triginta quatuor, præter eum numerum quem antea per inducias ad regem profectus secum Aurelianus adduxerat. Eorum equi magna ex parte strigosi extremaq; inedia & macie consumpti erant, ipsa autem uirorum corpora fame enecta, & tristi pallore miserabilem in modum adeò deformata uisabantur, ut prius=

ut priusquam Vercellas peruenire possent, plures in itinere passim interirent. In hunc modum rebus compositis, Mantuanus quum à legatis facile impetrasset, ut sibi Carolum adire, atq; ei coram priuato nomine pacē gratulari liceret, Vercellas cum ornatissimo comitatu se contulit, exceptusq; est à rege Gallisq; proceribus singulari humanitate, certatumq; est utrinq; muneribus: nec Mantuanus regiæ cessit liberalitati: nam quum duos eximie proceritatis equos, quorum alter mille aureis uenierat dono accepisset, aliud ipse nobilissimum equorum par regi dedit, quorum alter spadiceo erat colore, natus in Calabria, qui incredibili ad fessoris nutum agilitate, & in gyros circumflexus, & cursu ac saltibus incitatus, stupentibus Gallis regem magnopere delectauit: nemo enim totius Europæ regum ea tempestate, Mantuano, omnis generis militares equos uel plures uel nobiliores aiebat, quod magno sumptu ad propagandam sobolem, ex omni uel transmarina prouincia cōquisitis equabus admissarijs, domi greges miro sceliciq; prouentu instituisset. At Ludouicus Carolo in Galliam profecto, legatis uti maxime debebat ingentes gratias egit, quod imperium in tum repentino belli turbine iam propè amissum, non minus ipsorum uirtute quam publico Veneti Senatus presidio confirmatus, mature atq; sollicitè recepta Nouaria conseruasset. Nec multo post Mantuanus copijs ultra Ticinum Abduamq; traductis, atq; in hiberna dimissis, secundo Pado Venetias enauigauit, ubi Augustino Barbatico cum uniuerso Senatu in Buccintoria nauē longè ornatissima obuiam prodeunte, tanta ciuium alacritate atq; frequenti susceptus est, ut ea innumerabilium cymbarum multitudo, iusti ac speciosi triumphi, uel insignē pompam superasse uideretur. Dū hæc ad Nouariam gerun-

PAVLI IOVII HISTOR.

tur, Florentini multo acrius quàm antea cun Pisanis bellum gerebant. Enimuerò quum se Gallica fide, regijsq; promissis plane deceptos conspicerent, quod discedente rege neq; urbem neq; arcem tradidisset, omne studium ad parandas ampliores copias contulerunt, conductusq; est liberali stipendio Guido Baldus Urbini princeps, & pleriq; minores duces cum delecto equatatu, pluribusq; peditum cohortibus, quibus in unum locum adductis, & paratis maioribus tormentis, ad oppugnandum Pontefaccum contenderunt. Erant in oppido circitrr sexcenti uiri fortes, et in his Galli pedites ferme centum, qui magna ui resistendo, & ab interiore muri parte munitiones summa celeritate ac industria extruendo, sese perquam egregie tuebantur, expectabantq; auxilia à Pisanis, qui statim cognito suorum periculo, omnes copias urbe eduxerant, magnamq; agrestium armatorum multitudinem ex proximis Arni Serchijq; wallibus euocarant: & apud Cascinam cum Vitellijs fratribus, qui tum permittente Carolo Pisanorum stipèdia merebant, uires in unum conferre, & subsidio suis proficisci decreuerant. Sed dum hæc pararetur, Pontefaccenses biduo continenter oppugnati, quæ et strata mœnia, & fossæ undiq; fascibus uirgultorum ac ruinis completæ, & loca interioris munitionis plurimum infesta hostium tormentis forent, desperatis auxilijs deditonem fecerunt, ea conditione ut incolumes abire permitterentur. Sed nec fides integre seruata est. Nam Franciscus Montedolius, quem primum in Lunensi agro uulnera sustulisse, & cohortem seuientibus in eam crudeliter Gallis amisisse memorauimus, ira præferuidus ad ulciscendam iniuriam, omnes ad unum Gallos, nequicquam prohibētibus ducibus, trucidauit. Capto Pontefacco Guido Baldus eodem circumlato belli

belli terrore, Maluetio et Vitellijs nequaquã campo se committentibus, per eam regionem liberè uagatus est, Lariumq; & Pecciolum, & quedam minora in collibus castella in potestatem redegit, murisq; ea oppida penitus nudauit, ut incolæ, sublata mœnium fiducia, in posterum si quis ex ipsa rerum mutatione casus incideret, certius in fide continerentur. Nec multo post Toianum & Lecolum recepta: quassataq; est Lecoli turris, et quum aliquãdiu pertinaciter defensa, uictoris arbitrio dederetur, Zaninus Sampetrius custos, et qui cum eo erant Pisani milites, quod obstinatis animis se defendissent, Ioannis Ricasoli legati Florentini scuitia, ab ipsis muri pinnis suspendente laqueo præcipitati sunt. Sequenti die ad Palaiam exercitus est ductus, admotisq; muralibus tormentis, ea diu & quàm acerrimè oppugnata, Pisanis nequaquã opem ferentibus, quod uiribus impares egredi Cascina, & offerre se pugne casibus nolebant. Quamobrem Palaienses, præsiarios, qui apud se erant milites, obnixè deprecati, ne pertinacius resistendo Florentinorum animos ad sui tetorumq; excidium irritarent, septimo die se dederunt. His rebus gestis, duces legatiq; Florentini Vicopisanum magno apparatu oppugnandum esse censuerunt. Id oppidum collibus adiacet, alluiturq; Arno amne, qui eo in loco maximè tortuosus peninsulam efficit: ab ea autem parte qua Bientinam spectat, campi ante alios eius regionis ad equestres pugnas maximè idonei patefcunt: ad interiorem uerò oppidi angulum quadrata exurgit turris, ab eaq; lapideus murus initium capit, qui oppidum undiq; circumdat, & frequentibus munitus propugnaculis in iustam magnitudinem attollitur. His in locis Lucius atq; Vitellij qui cum delecta parte copiarũ ad oppidum defendendũ adcurrerãt,

PAULI IOVII HISTOR.

magnam vim omnis generis tormentorum, & ante alia ingentem colubrinam summa in turre collocarunt: cuius pilæ ferrea sexaginta pondo, ad duorum miliarium spatium certis propè ictibus emittebatur. Quibus rebus ad defensionem egregie preparatis, quum Florentini in conspectu oppidi castra posuissent, prolatisq; tormentis murum quater percussissent, tanta pilarum vis ex oppido emissa est, ut tabernaculorum et equorum atq; hominum foeda ac miserabilis strages ederetur: ita ut multi uiri fortes omnibus horis passim occiderentur, quum nec uineas nec iustas munitiones quibus sese ac tormenta de more protegerent, erigere uel proferre tuto possent: tantus enim omnes ab tormentis metus incesserat, ut milites ante sua quisq; tentoria, ad excauandas fossas, atq; aggeres priuatim extruendos, omne studium conferrent. Pisani quoq; noctu sepius erumpebant, & eos qui in excubijs & statione erant, audacter inuadebant, excitatis uerò tumultibus, quum necessario ad arma conclamaretur, & ignes undiq; totis castris ad præbendum lumen circumferrentur, qui in turribus erant tanquam ad propositum signum tormenta protinus emittebant. Interdium autē subiectis in pratis, ab equitibus concurrebatur iniqua Florētinorum conditione, quum Pisanis uel pulsis uel cedentibus insistere tormentorum metu nequaquam auderent, & illis sub oppidum tutissimus receptus præberetur. Tantis affecti incōmodis Florentini, expugnatione oppidi desperata, nocte obscuram noctē ut fugategeretur, silentio extinctisq; ignibus ad Albarettū supra Arnū omnē castra reducerūt, adeoq; trepidē ac festināter agmē his locis educitū est, ut nec more militari tabernacula incenderēt, nec ipsi duces funalia præferret, et magnū numerū hastarū ligonūq; et plures carros relinquerent.

rent. Nec multo post Florentinis per speis eius belli difficultatibus, cum Carolo, dum ille apud Taurinū in aestiuis esset, foedus renouarunt, promiseruntq; se quamdiu à Gallis in Italia bellum gereretur, copijs, & certa præsertim mestrua pecunia regias partes esse iuuaturos. Rex uerò per nuncios literasq; curaret, ut omnes quas tum Galli tenerent Aethruæ arces, Florentino populo certis legibus redderentur, iuberetq; Vitellios, qui apud Pisanos militabant, ut in Florentinorū castra protinus transfirent, eorumq; auspicijs aduersus Pisanos bellum strenuè atq; fideliter administrarent. Nec Vitellij quin regijs epistolis esset parendum quicquam dubitarunt: statimq; ex Cascina Pontaderam, ubi tum Florentinorū erat exercitus, profecti sunt, datis ad Pisanos literis, quibus in excusationem repentini discessus, se eius sacramenti militaris, quod Carolo regi antea dixissent, religione teneri, ipsorumq; fidem ueteribus regijs stipendijs obligatā esse perscribebant. Salentius quoq; Liburni præfectus, accepta à Florentinis donatiui nomine ingenti pecunia, arcem restituit. Quæ res Pisanorum animos, & eam spem præsertim quam de regis erga se uoluntate antea cōceperāt, magnopere debilitauit, quanquā Antracius qui Pisanæ arci præerat, nunquam se eam, iubente etiam rege, Florentinis redditurū esse iureiurando polliceretur. Erat enim Antracius ex clientibus Ludouici Ligninij, qui Briffonetto cardinali admodū erat in sensus, quòd eum Florentini ante alios proceres delegissent, pecuniaq; donassent, ut patrono summæ auctoritatis uterentur, quo fauente Pisanam arcem reciperent. Ob id Ligninus Antracio scripserat, ut suo potius cōmodo, quam aliene auaritiæ consulere: at ea spe Florentinos omnino frustraretur. Quin etiam per se Antracius Florentinos odes-

PAVLI IOVII HISTOR.

rat, quòd Gallos ad Pontefaccū facta deditone trucidassent: Pisanisq; mirifice studere uidebatur propter Delantiam Pisanam nobilem puellam, quam impotenti amore deperibat: ipsosq; Pisanos, si partem libertatem tuerentur, perpetuos Gallorum clientes futuros existimaret. Quibus de causis, quum Lillensis nobilis Gallus, qui Briffonetto affinitate erat coniunctus, cum regijs epistolis in Florentinorū castra peruenisset, & de recipienda arce per internuncios & Gallos ageretur, Antracius per speciosos uerborum circuitus respondebat, se, quum tesseram quā in signum regie uoluntatis accepisset, sibi remissam conspiceret, neq; suo officio neq; sue existimationi esse defuturum. Ita ut quum nihil abnuere uideretur, Florentinorum animos in spe potiunda arce egregia simulatione contineret. At Pisani quum ad eam noui fœderis famam à Carolo se planè desertos intelligerēt, & non modo libertatem quam rege authore receptam ferebantur, sed ad salutem suam, detractis Vitelliorum auxilijs, atq; his acerbissimo hosti adiunctis, penè proditam uiderent, ad Ludouicum Sfortiam Venetosq; legatos confugerunt, misso ad Nauariam in castra Syluestro Poggio, uiro inter patritios spiritu atq; eloquentia maximè insigni, qui admissus in prætorium talem habuit orationem: Nisi ad eos, qui se libertatis publicæ uindices, non ipso tantum specioso nomine, sed clarissimis etiā factis, pro tuenda libertate consuegeremus, nobis profecto ad causam summæ æquitatis explicandā, cōmouendosq; animos uestros, longiore accuratio- req; oratione opus esset. Nemo enim quæ fortuna Pisani populi fuerit per septuaginta amplius annos, quibus Florentinis seruiuit, prorsus ignorat, quum demum, qui paulo antè ubertate agri, maris opportunitate, nauali gloria, ædificio-

rum pulchritudine, ciuium uirtute, opibus ac institutis, flo-  
 renti quondam urbi Romæ ex æquari posse uidebamur, ad  
 extremum deserti à socijs, & à seuisimis hostibus subacti, à  
 tanto rerū fastigio in eas lucluose seruitutis miseras cecidif-  
 semus. Nobis hercle, non unius hominis, cuius auaritia, cru-  
 delitas atq; libido, aliquando uel Deorum respectu, uel metu  
 hominū, uel ipsa satietate finiuntur, dominatus erat feren-  
 dus: sed ab infinita propè multitudine, quæ tyrannorum mo-  
 res prorsus induerit, perpetua successione, omnis generis  
 iniuriæ & calamitates patiende erant: et quod miseras ac-  
 cumulat, compresso animi dolore sustinende: sic ut nemo Pi-  
 sanorū, aut priuatim aut publicè letitiam, pacem, requiem,  
 ullo unquā tempore sibi expectandam arbitraretur: Quum  
 Florentini uno consensu per manus tradito, malignè conspi-  
 rantes, antiquitati et decori urbis, ciuium fortunis, alienaq;   
 demum industria plurimum inuiderent: nosq; paulatim om-  
 ni honore ac omnibus pristinæ foelicitatis instrumentis spo-  
 liarēt: maritima negotiatione ante omnia fuit interdictum,  
 mox ademptus ager, præscriptæ leges, uel Stigalia noua exco-  
 gitata, arces ceruicibus impositæ, & cuncta demum ueteris  
 dignitatis iura, commoda, ornamenta, impotenti rabie peni-  
 tus ablata. His tantis erumnis & cladibus deformata ciuita-  
 te, factum est, ut nobilissimi quiq; Pisanorū, qui neq; serui-  
 re, neq; patriæ interitum oculis intueri poterant, paulatim  
 in alias terras, natali solo, paternis domibus, maiorumq; se-  
 pulchris sponte relictis, emigrarint: adeoq; ciuitatis facies  
 paucis annis immutata est, ut nemo Italus uel externus, si  
 forte Pisas repeteret, reperiretur, qui antiquæ amplitudinis  
 ac opulentiæ recordatione, miseris nostris non illachryma-  
 ret: et similem quoq; cladē ipsis Florentinis, qui adedò in cle-



PAULI IOVII HISTOR.

menter atq; crudeliter imperarent, imprecaretur. Itaq; nobis in luctu ac mœrore uitam traducentibus, Gallorū aduentus occasionem præbuit, repetendæ libertatis: Dijsq; bene uolentibus, fortiter iugū excusimus, ac publicè sacramēto adacti, fortunas, corpora, atq; animos pro libertate deuouimus. Neq; hætenus tot eorū minæ, tot insidiæ, totq; hoc inter neciuo bello armorū conatus nobis obsuerunt: melioribus enim auspicijs libertas defenditur, quàm eripitur. Viri hercle fortes, emori potius liberi, quàm serui cū ignominia uiuere didicerunt. Nam si per se indignum est, et miserū alienæ libidini seruire, etiam, illud longè grauiusimum Pisanis uidetur eorū ferre iugum, qui neq; uetustate originis, neq; bellica uirtute, neq; ulla in re sibi omnino conferendi esse uideantur. Quid enim magis intollerandum est, quàm ut Florentini libertatem illis inuideant, qui ante Florētiam conditam liberi florentesq; fuerunt? Idq; in alio ferendum uelint, quod ipsi penitus reformidat et excutiunt? Ipsi inquam Mediceos, qui nunquam nisi summa cum moderatione atq; modestia publicis rebus præfuerint, quiq; patriam egregijs omnium uirtutum monumentis exornarunt & illustrarunt, ferre non potuerunt: nos illos, qui ad urbis nostræ luctum, miseriam, uastitatē, nati esse uidentur, æquissimis animis feremus? Hinc quoq; eorum impudētiam insanamq; cupiditatē agnoscere potestis, quum sceleratis consilijs, & uti sperandū est funestis, nullo totius Italiæ, uel salutis, uel dignitatis respectu, ipsi Itali contra Italos, cum barbaro rege ad subigendam uastandamq; Italiam fœdus percusserunt, et tot principum fœderatorum auctoritate atq; potentia insolenter contempta, pecuniam ei ingentē numerarunt, auxilia, cōmeatus et transitum reddituris barbaris obtulerunt: scilicet ut uos his in castris

stris oppressos, fugatos, et urbibus uestris expulsos uideant:  
 aut certe hunc uestrum, parata iam uictoria: de exactis Gal-  
 lis, liberataq; Italia, triumphū retardēt ac interpellent. Qui  
 bus de causis æquissimū uidetur, uos præcipuē Venetos, qui  
 per octingentos annos augustum libertatis nomen religiosē  
 coluistis, & fortissimē defendistis, eorum fortunæ misereri,  
 qui à uobis opem implorant, ut libertatem quam uisibi ere-  
 ptam, Deorum beneficio recuperarunt, liceat retinere. Te  
 quoq; Ludouice Sfortia, qui & iure hospitij quum exula-  
 res, & sanguinis affinitate quæ maiores tuos respicit, &  
 ueteris patrocini Vicecomitū, in quorum clientela semper  
 fuimus, haud obscura necessitudine Pisanae ciuitati coniun-  
 ctissimus existimaris, uehemēter obsecramus, ut nos liberos  
 & incolumes esse uelis: Quod facile præstabitur, si auxilia  
 non modo de libertate, sed de uita retinenda dimicantibus,  
 opportunē submiseris. Quæ etiam optimo iure tibi essent  
 properē transmittenda, si nos neq; clientes tui essemus, neq;  
 ullum libertas nostra uel amissa uel retenta, ad uniuersi belli  
 fortunam inclinandam momentum haberet. Non modo enim  
 aduersus communis totius Italiae fœderis hostes, publicæq;  
 salutis oppugnatores, necessaria ac iustissima arma ferren-  
 tur, sed in eos etiam, qui ab omni hominum annaliumq; me-  
 moria infesti maioribus tuis fuerunt, quiq; Gallos & Ger-  
 manos, insensissimas Italico nomini nationes, in Italiam euo-  
 carunt, ut Vicecomites domo regnoq; expellerent: & flo-  
 rentissimam Italiae partem, externis ferisq; gentibus inua-  
 dendam possidendamq; præberent. Si uestra igitur interest,  
 ut ij qui quum primū nos expugnarint & oppresserint, ad  
 uos extēplo oppugnandos perdendosq; opes, consilia, arma  
 sint cōuersuri, proprio bello distineantur, nostroq; periculo

PAVLI IOVII HISTOR.

reprimantur, opem ferè maturetis oportet: nam si salutem cliētium uestrorum neglexeritis, audacia profectò hostium in immensum successu crescet, nec facile postea, quum adau-  
cta mala ingruerint, communibus periculis occurretis. Por-  
rò si uestro beneficio erimus conseruati, non modo quas de-  
deritis leges lati accipiemus, sed in ditionem potestatemq; uestram ultrò concedemus: omnis enim reliqua uite condi-  
tio, modo Florentinis minimè seruiamus, summa nobis erit  
libertas: eorum siquidem iugum nemo unquam uiuus sub-  
ibit, nam si à uobis deseremur, egregiè moriendo saltem ali-  
quem à uirtute constantiaq; animi parennis gloriæ fruētum  
feremus, & memorabili interitu Pisanos minimè seruire uo-  
luisse testabimur. Ludouicus Venetiq; legati, qui antea in-  
tercepto Florentinorum nuncio cum publicis literis, eorum  
consilia planè cognouerant, Pisanos bono animo esse iusse-  
runt, pollicitiq; sunt eorum libertatis ac salutis se præci-  
pua habituros curam, & propediem cum auxilijs Fracaf-  
sum Sanseuerinum esse transmissuros, iniunctorosq; Adur-  
nijs fratribus, ut in parandis atq; administrandis his rebus  
quæ bello usui forent, amicè ac liberaliter Pisanis adessent,  
atq; eos terra mariq;, quantis maxime possent opibus iuu-  
re maturarent. Nec multo post Gerardus Boncontes Pisa-  
nus, qui Taurini apud Carolum legatus fuerat, ab Genua  
trecentos pedites & tormentarij pulueris sagittarumq; &  
armorum omnis generis magnam copiam, duabus biremi-  
bus Pisas aduexit, confirmauitq; ciuium animos, quum No-  
uariã iam propè fame subactã esse, nec Gallos obsessis opem  
ferre, duobus magnis oppositis exercitibus, ausuros prædi-  
caret, affirmãdo breui futurũ, ut Florentinos initi cū Gallo  
foederis omnino pœniteret. Quãdo ceteri Italiae principes,  
pulsis

pulsis Gallis, in eos tanquã publicæ libertatis proditores, ar-  
 ma protinus essent cõuersuri. Itaq; Pisani sublatis animis in-  
 tam propinqua spe auxiliorũ, ad munienda suburbana ædi-  
 ficia, quæ tum erant extra Martianã portam, omne studium  
 contulerunt: Paucorumq; dierum spatium perpetuam muni-  
 tionem, ab extrema suburbij porta ad Arnũ amnem, pro-  
 cul ab arce quingentos passus Antracio minimè prohibente  
 perduxerunt: ut omnis ad eundẽ arcis facultas Florentinis  
 eriperetur. Siquidem Arnus à Spinea porta, ubi pons est la-  
 pideus arci cõiunctus, urbem ingreditur: arcemq; ad leuam  
 manum præterluit. Aedificia uerò suburbana, quæ diximus,  
 à Martiana porta in longitudinem curuata ad eò porrigun-  
 tur, ut ab eorum capite extremo, ubi altera ingens porta an-  
 tiqui operis uisitur, perductis ad Arnũ munitionibus, arx  
 ipsa undiq; cingeretur. Sed uix dum perfectis Pisanorum ope-  
 ribus, Florentini duces copias omnes trisariam diuisas in  
 conspectu urbis adduxerunt, eo potius consilio, ut quid nam  
 propositi de tradenda arce Antracius haberet, accedẽdo cer-  
 tius explorarent, et Pisanos ab eruptione deterrent, quàm  
 ut suburbium oppugnare adorirentur, quod sine iusto tor-  
 mentorum apparatu capi minimè posse uidebatur. Verũ  
 quin Antracius neq; uexillum album proponeret, quo tu-  
 tus ad arcem accessus indicaretur, neq; ulla propensi pacæ-  
 tiq; animi signa daret, Pisani minimè contineri potuerunt,  
 quin extrema suburbij porta confestim erumperent, & pau-  
 ci cum magna hostium multitudine congregarentur. Quo-  
 niam loco maxime fidebant, qui tutum intra portam recep-  
 tum cedentibus ipsis ostendebat: tormentaq; etiam in muni-  
 tione iuxta portam collocarant, quæ in proruentes hostes,  
 quum opus foret, se protinus emissuros sperabãt. Non tulere

PAULI IOVII HISTOR.

petulantiam insultantium Pisanorum Florentini, extēploq;  
ante alios Ranuccius Martianus, qui agminis frontem obli-  
nebat, plures simul turmas cataphractorum equitum con-  
globauit, factoque uehementi impetu, Pisanos pellendo ster-  
nendoq; ad portam usq; precipites egit, tanta celeritate per-  
secutus, ut pile tormentorum, quum ea, ut in repentino ca-  
su sepe accidit, à Pisanis trepide librarentur, supra capita  
hominum prouolarent, aut certè paucos uulnerarent. Ipse  
quoq; pedites conspicati hostium fugam, undiq; procurre-  
runt, unoq; ferme tempore et Montanus ab eo suburbij late-  
re, quod meridiem spectat, hortorum septa macerisq; &  
nouas munitiones perrupit, et per adificia in ipsum subur-  
bium peruasit: & Cyriaci cohortes, id quod diximus ad Ar-  
num pertinere, munitionis brachium superarunt: & Mon-  
tedolius equitibus immixtus portam, nequicquam ad fores  
oblectantibus Pisanis, inuectus est. Tum uerò Lucius, in tam  
repentino grauiq; amittende urbis periculo, suis non deest:  
cum conferta equitum ala per medium suburbanæ uie spa-  
tium in hostes procurrat, adhortatorq; insignis & bellator  
egregius prælium renouat, sustinetq; fortiter hostium impe-  
tum: et à Martiana porta Pisanorum ualidam manum auxi-  
lium euocatam festinare iubet. Pugnabatur in ipsis uie an-  
gustijs acerrime, sed Pisani ab hostiū undiq; urgentium mul-  
titudine maxime premebantur, quum ab omni propè latere  
circumuenti, quid magis cauendum, aut pro salute tenta-  
ndum foret, in tanta rerum perturbatione, nescirent. Sed dum  
Lucius & ceteri uiri fortes incumbentium impetum susti-  
nere conantur, Paulus Vitellius cū suo equitatu ab ulteriore  
ripa reperto uado Arnium transgressus, paulo infra munitio-  
nē in ipsum suburbium improuisus aduolauit: Cuius aduentus

quum

quum id præter omnium opinionem accidisset, quod nemo  
 annem eo in loco transiri posse crediderat, adeò Pisanorum  
 animos perculit, ut quum se urbe auxilijsq; interclusos esse  
 conspicerent, conuersi in fugam & cursu ac timore pluri-  
 mum incitati ad portam maximo impetu deferentur. Pertur-  
 batis ac fugientibus Martiani Vitellianiq; equites insistere:  
 & quum toto uia spatio Pisani multis illatis acceptisq; uul-  
 neribus exacti intra urbis portam compellerentur, nonnulli  
 ex Vitellianis permissi hostibus ingressi sunt. Ne uerò omnes  
 simul irrumperent, & urbs caperetur, Galli ab arce tor-  
 menta emittentes, & sagittas saxaq; maxime in subiectam  
 turbam sine ullo discrimine iaculantes, Florentinos auerte-  
 runt. Ipsi quoq; Pisani sicuti temere eruperant, ita singulari  
 constantia irruentes represserunt: & ualuas totius multitu-  
 dinis impressione propulsas celeriter occluserunt. Periere in  
 limine pleriq; uiri audaces: ipseq; Lucius ante alios uulne-  
 ratus, cui etiam Paulus Paranius Martiane alex præfectus  
 gladium ab longiore capulo correptum magna ui & sum-  
 ma cum laude cominus pugnaret, e manu extorsit, Paulo  
 quoq; Vitellio dextrum crus, quod sine ocrea procefferat,  
 lancea traiectum, & Vitellocius lapide ictus. Pisanorum  
 autem ex numero, Petrus Gambacurta, cuius maiores quor-  
 dam urbis imperium tenuerant, & Martianus Orlandius  
 eques illustris exclusi captiq; sunt. Florentini occupatis sub-  
 urbijs, omni bellico hostium apparatu, & in primis Passa-  
 uolante ingenti aëneo potiuntur: magnam quoq; copiam,  
 cum uini in cellis et lacubus, uti uindemiæ tempus offerebat,  
 tum etiam frumenti quod erat in subterraneis scrobibus re-  
 conditum, inueniunt, & in ipsis suburbanis edificijs castra  
 metantur, erectis continuo cōtra portam munitionibus, ut ho-

PAULI IOVII HISTOR.

stes ab eruptione cohiberēt. At Pisani, quum animis uix dum  
 receptis, reputando quale periculum, & sua temeritate, &  
 hostium foelici audacia, subiissent, attoniti & pauentes cogi-  
 tarent, se deorum immortalium cura non modo seruatos, sed  
 ea demum die primum natos esse fatebantur. Proq; summo  
 beneficio gratis animis accipiebant, quod Antracius fidem  
 quanquam ambiguis tantum promissis datam, in eo peri-  
 culo, discrimine minimē sefellisset: & tormentis emisissis hosti-  
 um impetum opportunissimo tempore retardasset. Ea nocte  
 nemo ciuium fuit, qui corpus uel recentis prelij labore de-  
 fatigatum, quieti somnoq; dederit. Decuriones quoq; Lu-  
 cium inuiserunt, urbis ciuiumq; omnium seruatorem appel-  
 lantes, quod non modo incredibili uirtute omnibus pericu-  
 lis fortiter occurrisset, uerū ob id quod paulo ante diuino  
 consilio suburbium minimē defendendum, ac omnino dese-  
 rendum esse censuerat: & quum primi equites Pisani ipsius  
 iniussu temere extrema porta erumperent, reclamando ac  
 deterrendo retinere conatus fuerat. Postera die Fracassius ad  
 Serchij amnis ostium nauigio delatus Pisas peruenit: cuius  
 aduentus uel ob id omnibus gratissimus fuit, quoniam cum  
 Lucio, cui sororem in Matrimonium collocarat, eosdem sen-  
 sus in gerendis rebus, nulla interposita emulationis dubita-  
 tione, habiturus esse uidebatur. Applicuit etiam ab Genua  
 scriba Venetus, pecuniamq; attulit ad conducendam uetera-  
 norum cohortem. Triduo post Antracius in gratiam, ut po-  
 stea creditum est Delanciae uirginis, se arcem Pisano populo  
 traditurum pollicitus est, ea lege, ut si Carolus intra centesi-  
 mum diem in Aethuriam nō rediret, arx penitus ab radice  
 dirueretur. Interea Pisani ad alēdum presidium Gallicū sin-  
 gulo quoq; mense bina milia aureorum nummum, & quinq;  
 trimum

primum arx euertenda traderetur, donatiui nomine qua-  
 tuordecim milia sibi numerarent. Ea omnia uti Gallus postu-  
 labat, obsidibus datis, & confectis de more publicis tabulis,  
 decuriones pro ciuibus prestituros receperunt. Rebus eo mo-  
 do compositis, Antracius tormenta duo inusitata magnitu-  
 dinis rudi ueterum seculo fabrefacta, quorum alterum ab  
 insculpta aue Columbina, alterum uero ab terribili ictus uio-  
 lenti desperata uocabatur, Pisanis uendidit. Ea totius popu-  
 li concursu, funibus subiectisque; fuculis ab arce ad eam muri  
 partem sunt conuecta, quae inter Barbaianum propugnacu-  
 lum & Pagianam portam, intercedente Arno, suburbana  
 Martiana prospectabat. ibi perforato muro ampliores pas-  
 sim fenestrae sunt patefactae, per quas ingentes saxei globi in  
 omnes castrorum hostilium partes, cum maximo omnium  
 terrore atque periculo emittebantur. Erat quoque summus mu-  
 rus per interualla pinnarum minoribus tormentis adeo egre-  
 gie instructus, ut nullis propere temporis momentis ab inse-  
 standis hostibus cessaretur. Pisana etiam iuuetus per se acris  
 & uindictae decorisque; audax, certatim cum Lucianis militi-  
 bus sepius erumpebat. Fuitque inter multas eruptiones, ea ma-  
 xime insignis, qua Fracassius a Porta Maritima sub occasum  
 Solis, eductis omnibus copijs, improviso hostes inuasit: nam  
 eodem tempore ex constituto, Galli a Martiana porta in gra-  
 tiam Pisanorum repentino egressu, magnisque clamoribus edi-  
 tis erupere, & qui ad Barbaianum erant trans Arnum, tan-  
 tam uim pilarum displosis illis ingentibus tormentis, & mi-  
 noribus colubrinis, in suburbana tecta adegerunt, ut equi,  
 uiriisque; sortes pariter & ignaui, quum nullus locus periculo  
 uacuis relinqui uideretur, attoniti ac terrefacti foeda trepi-  
 datione undique diffugerent, & totis castris cuncta pauore



PAULI IOVII HISTOR.

actumultu complerentur. Ea die castrorum munimenta & a gre sunt defensa, & pleriq; milites & insignes equi tormentis discerpti. Postero die Arnus imbribus auctus intumuit usq; adeo, ut summis aggerum labris exaequaretur. Quare animaduersa, Pisani magnam multitudinem agrestium ad Laianum uicum conduxerunt, ut cursum incitati amnis auerterent, praecisisq; aggeribus, ubi maxime castigabatur, in depressa hostium castra profluentem effunderent. Sed Florentini duces cognito hostium consilio, missis ad Laianum sagittariorum turmis quatuor, et cohortibus duabus, praesenti periculo celeriter occurrerunt: et ne quid simile in posterum hostis moliretur, perpetuas equitum stationes qui ripas custodirent, toto eo fluminis tractu disposuerunt. Interea Lillensis Gallus, qui allatis mandatis regijs, Antracium, ut arce dederet, precibus nequicquam fatigabat, febre coreptus, Florentinis in castris moritur. Eodemq; tempore certissimi nuncij de pace ad Nouariam facti, et Pisas et in castra perferuntur. Quibus de rebus, quum Pisani omnibus concepte letitiae atq; hilaritatis significationibus, se omni prope periculo in posterum liberatos ostendissent, Florentini, abiectis praesentibus consilijs, a Sansouino in superiorem Arni uallem copias reduxerunt. Triduo post Arnus iterum autumnalibus pluuijs adeo creuit, ut nusquam tentandi uadi spes ulla relinqueretur. Propterea Lucius nullas ueritus insidias statim ad Capronam, quae est rupes uiae imminens, a qua altissimi montes initium ducunt, cum curulis tormentis contendit, et e citiore amnis ripa castra hostium posita inter Septimum et sanctum Cascianum infestare cepit. Pisani quoq; milites qui Cascina in praesidio erant, saepius erumpebant, et commeatus, & ipsos praesertim pabukatores intercipientes,  
 tantaq;

tantaq; erat his in locis pabuli difficultas, ut ex vitium,  
 arundinumq; folijs, magna pars equorum aleretur, & vul-  
 gus militum moliti tritici penuria laboraret. Quibus affectu  
 incommodis duces Florentini, quod & hyems suberat, &  
 inclinante autumno scedæ admodum tempestates inciderant,  
 Pontefaccum & Pontaderam in hyberna concesserunt. Per  
 eos dies quum Galli arcis custodes pabulum quod in mari-  
 timis vicis erat insolenter diriperent, & id contra Fracas-  
 siani Pisanorum concessione obnixè armis tuerentur, ali-  
 quot utrinq; in ipsa rixa interfecti sunt, exciuitq; rumor  
 cruentæ contentionis ab urbe utriusq; partis auxilia: ac nisi  
 Pisani in eo tumultu ad arma uocati, Gallis opportunè fa-  
 uissent, luctuosum omnino facinus editum fuisset. Sequenti  
 die Fracasius Pisanis iratus, quod aduersum se pro Gallis  
 stetissent, ut erat ingenio maxime repentino, abducta parte  
 presidij Pisis excessit, & in Galliam Cisalpinam profectus  
 est. Non multis uerò post diebus, Antracius, cuius animus  
 æger incredibili Delantiæ uirginis amore desflagrabat, decu-  
 rionibus, Pisanis matronarumq; nobilissimis in arce epu-  
 lum dedit: & choreas ad tibicinum concentus ipse ante alios  
 duxit, omnibusq; humanitatis officijs testatus est, quum pri-  
 mum ex foederis prescriptione annus foret exactus, cõtinuò  
 arcem Pisano populo se dediturum, neq; sponsioni fides ab-  
 fuit, quanquam à Florentinis mirificè sollicitaretur, per  
 quos ingens auri pondus, si Pisanos excluderet, ipsi Antra-  
 cio, et nominatim singulis centurionibus offerrebat. Calen-  
 dis namq; Ianuarijs, aduocata populi concione, atq; indictis  
 supplicationibus, arcem dedit, transmisit Petrasanctam  
 obsidibus, ut in eius oppidi arce, quo ad promissa pecu-  
 nia foret numerata, custodierentur.

PAULI IOVII HISTOR.

ptis decuriones in uerba Caroli Gallorum regis sacramento adegit: tantusq; fuit præ lætitia eodem temporis puncto emisforum tormentorum strepitus, ut Florentinis in castris in spacio octuaginta amplius stadiorum sit auditus. Qui seditio- nem inter Pisanos & Gallos subortam rati, ne occasione de- essent, copias expeditas usq; ad secundum lapidem properan- ti agmine frustra produxerunt. Pisani eodem die Antracium ac omnes uno nomine Gallos ciuitate donarunt: quibus etiam domos prædiâq; Florentinorum, iam initio recuperatæ li- bertatis publicata, decreto publico, adiudicarunt. Nummus subinde in honorem Caroli regis cum liliorum nota percus- sus, & arx ipsa concursu totius populi incredibili celerita- te solo æquata est. Nec multo post Galli, qui Sergiani ar- ces custodiebant, Antracij exemplum secuti, eas Genuensibus magno auri pondere accepto uendiderunt. is quoq; Ro- sius Bastardus Lignini è Lucimburgensi familia propin- quus, qui Petrasanctæ præerat, Lucencibus Triginta milia aureorum nummum numerantibus, oppidum arcemq; tra- didit. Qui postea auaritiæ ac proditionis infamia notati, pulsîq; Galliæ finibus perpetuò exularunt. Caterum præsen- tem Pisanorum lætitiâ ingens cura conquirendæ pecuniæ magnopere minuebat, persoluumdum enim erat prætium co- emptæ arcis, æneorumq; tormentorum, quod publicè et pri- uatim exhaustis grauissimum erat, quum quadraginta mi- lium aureorum nummum summam omnino superaret. Sed tanta erat omnium alacritas pro defendenda libertate, ut ul- tro nobiles matronæ, ornamenta sua anulos, monilia fibu- lasq; Zonarum conferrent: quæ omnia Lucensibus pecunio- sis mercatoribus in mutuâ pecuniâ pignori mittebãtur. Sed has etiam ararij difficultates opportunè atq; mirificè suble- uauit

nauit Lusitana nauis, quæ ad ingentem uim nocturnæ tem-  
 pestatis, submersis magna ex parte nauis, supra ostium Au-  
 xeris amnis, cum pretiosis mercimonijs in littus eiecta est.  
 Tantum enim pecuniæ Pisani uix toto uertente anno in bel-  
 licos sumptus impenderāt, ut nihil iam ueteris argenteæ sup-  
 pelletilis usquam reperiretur, et uectigalium redditus mul-  
 to quàm antea deteriores facti essent, preuertentibus eos  
 publicanorum usuris, qui publicam egestatem ab initio præ-  
 senti pecunia subleuarent: adeo ut iam quosdam ciues, si bel-  
 lum foret diuturnum, recuperatæ libertatis pœniteret. Igi-  
 tur quum se impares opulentis hostibus faterentur: atque  
 open, ne incepto absteretur, undiq; implorandam omnes  
 censerent: oratores maxime industrij & eloquentes, ad prin-  
 cipes Italiae delecti sunt. Iere ad Ludouicum Sfortiam Maria-  
 nus Pecciolus, ad Alexandrum pontificem Augustinus Du-  
 nitius, ad ipsos uerò Venetos Bernardinus Agnellus, & in  
 Galliam ad Carolum Petrus Griphus, ut frequentius Floren-  
 tinorum legationibus occurreretur, qui in aula regia lar-  
 giendo atq; agendo procerum animos Pisanis infestos red-  
 dere contendebant. Nec multo post Sfortia tuendis Pisanis  
 intentus, Ludouicum Mirandulam cum ala equitum, & tre-  
 centos Germanos pedites Pisas misit: eodem quoq; tempore  
 Veneti, id Sfortia enixè flagitante, Paulum Mansionum ui-  
 rum fortem, & Socinum Benzorum cum utriusq; armatu-  
 re equitibus ducentis, Iacobumq; Tarsiam ueterane cohortis  
 præfatum, & cum his Franciscum Iudecam quastorem  
 cum pecunia misere. Ludouicus enim quanquam aduersus  
 Florentinos, quòd uni omnium in amicitia & societate Gal-  
 lorum communium hostium remansissent, Pisanorum liber-  
 tatem tueri uideretur, occulto tamen exitialiq; consilio Pi-

PAULI IOVII HISTOR.

*farum imperium affectabat: nec obscuro quidem iure, quòd id reguli Vicecomites ipsius progenitores quondam tenuissent. Sperabat enim eam ciuitatem, antiquis ac recentibus beneficijs sibi obstrictam, attritis paulatim diuturnitate belli Florentinorum opibus, aliquando in ipsius potestatem ultro concessuram, & quum se imparem ducendo bello cerne-  
 ret, Venetos Pisano bello alligare, & aliena impensa, ad id quod inani spe conceperat, gradum sibi facere contendebat: ratus Venetos nunquam adeò impudentes uel insanos fore, ut eam urbem ultra Apenninum sitam, & spectantem ad Tyrrhenum mare, quod ab eorum negotiatione penitus esset diuersum, adicere imperio cum summa omnium inuidia cogitarent. Sed ipse rerum exitus, qui simulata hominũ consilia patefacere solet, Venetos ualidiore aliquanto quàm Ludouicus, sed occultiore ambitionis insania laborasse declarauit. At Florentini maiore quàm antea cura atq; apparatu bello intenti, senis adhuc hyemis tempestatibus, arcem apud uada Volaterrana terra mariq; obsessam, ac tormentis demum quassatam ceperunt: Pisanisq; mari opem ferre conatibus, eorum biremis altera onusta armis & comeatibus, in proximo Liburni littore naufragiũ fecit: altera cum mioparonibus aduerso rapta uento, Lunensem portum tenuit. Quo successu Florentinorum classicula ad Arni ostium pro uectũ, aliquot Ligurum & Tuscorũ nauigia, quæ frumentum Pisanis importabant, interceptit. Cæterum Franciscus Sicus (is enim à Carolo post Tarrensem pugnam ad Florentinos redierat) receptis uadis ad Buttum oppugnandum cum magna parte copiarum est profectus: subuectisq; tormentis circumiectos colles occupauit, ne ullus ad oppidum aditus pateret, si Pisani suorum periculo adducti auxilio  
 pro*

properare conarentur. Neq; Siccum opinio, quam de eorum  
 adventu conceperat, omnino fefellit: accedentibus  
 namq; expeditis Pisanorum copijs ad ipsas collium munitio-  
 nes, atq; his egregie repulsis, oppidum simul atq; ipsi mili-  
 tes deditionem fecerunt. Per eos quoq; dies sancti Michaelis  
 vicus qui ad Verrucula montem pertinet, expugnatus est,  
 quum frustra ad opem ferendā ab arce Pisani decurrissent:  
 cohortes quoq; ad expugnandam Verruculam per ardua  
 montis ducta, commissumq; est praelium uehementi utrinq;  
 impetu:uerum ad extremum Florenti iniquitate loci et te-  
 lorum ac lapidum maxime procella retardati atq; deiecti,  
 re infecta ad sanctum Michaelem rediere. Sequenti die Siccus  
 ad expugnandum Calcium contendit: quod ubi Pisis est mun-  
 ciatum, inuito consilio ut laborantibus opem ferrent, complu-  
 res eximie agilitatis ac fortitudinis milites ex Cascina Vico-  
 pisaniq; praesidijs detractos, in arcem Verruculae euadere  
 iusserunt, ut quum ex edito equitatum per campos appro-  
 pinquare conspicerent, hostes in oppugnatione oppidi oc-  
 cupatos ab diuersa parte adorirentur. Sed Lucius qui co-  
 pias militares, magnamq; agrestium multitudinem ad ter-  
 rendos hostes in conspectum Calcienfium adduxerat, pre-  
 occupatos antea colles a Sicciānis subire non potuit, alacri-  
 ter tamen Verruculani descenderunt, illatiq; magno impe-  
 tu in primam stationem castra ab ea parte irruerunt, in-  
 terfectisq; circiter quadraginta militibus, multis captis, et  
 supra centum uulneratis, incolumes per asperos montis cal-  
 les in arcem redierunt. Quibus rebus animaduersis, praesi-  
 dij praefectus, quod muri assidua tormentorum ui, solo pro-  
 pe aequati erant, deditionem fecit. Amisso Calcio, Pisan-  
 ni molendi tritici difficultate laborare coeperunt, quo-

PAULI IOVII HISTOR.

niam omnes eius tractus frumentaria mole Serchio amni in-  
 posite, in potestatem hostium deuenere. Biduo post quum  
 in consilio ducum omnium sententiæ conuenissent, ducere  
 ad Verruculam atq; eam expugnare decretum est: erat enim  
 Pisanis omnibus, qui repentinis decursionibus itinera infe-  
 stabant, in eam arcem tutissimus receptus: eaq; pro specula  
 (uti superiore libro docuimus) utebantur. Itaq; circiter duo  
 milia peditum, & quadrigenti leuis armaturæ equites cum  
 tormentis minoribus in summum cacumē, ubi arx erat, mit-  
 tūtur. Ceteras copias, cataphractosq; præsertim Siccus sub  
 Butto oppido in exterioribus ædificijs continuit, ut suis Ver-  
 ruculam oppugnantibus præsidio esset: & quæ usui forent  
 ex propinquo subministraret. At Lucius cognita hostium  
 profectio, similem Verruculanorum & Calcensium op-  
 pugnacionis exitum ueritus, ut suorum periculo occurre-  
 ret, et Calcij in conspectu in ipsius nuper amissi dedecus au-  
 daci aliquo facinore resarciret, nocturna expeditione cum  
 delectis equitibus ex Sfortianorum Venetorumq; auxilijs, ac  
 ipsa Pisana iuuentute, Buttum aduolauit. Cæsisq; repentino  
 aduentu, qui excubias agebant priusquam hostes arma ca-  
 perent, in media castra penetrauit. In ea omnium subita con-  
 sternatione, ex numero resistētium circiter triginta sunt in-  
 terfecti, capti uerò plures, et equi partim sarcinarij, partim  
 militares paulo minus trecenti, ceteros proximæ conualles  
 nemoraq; texerunt. Siccus ipse ad oppidi portam cursu se  
 proripiens, quum ea præ timore ualidis uectibus esset obsir-  
 mata, funibus in murum ab oppidanis est sublatus. Qui ue-  
 rò Verruculam appugnabant, cognita suorum clade, digres-  
 si summo cacumine ad montem cui ab asperitate Doloroso  
 nomen est, propè Buttum se recepere, atq; inde diuisis inter  
 se

se copijs, duces Bientinam, Pontaderamq; reuersi sunt. Ex aduerso Pisani Paulum Manfronum cū Venetis copijs apud Vicopisanum, Ludouicum uerò Mirandulam Germanosq; ultra Arnū Cascinæ collocarunt. Rannucio Martiano ex Pontadera cum Sfortianis res erat: à Sicco autem cum Manfronianis è Bientina bellum gerebatur, neq; ulla præteribat dies, quæ aliquo præclaro belli facinore non esset insignis: uirtute enim, insidijs, audacia, nouisq; artibus quotidie certabatur. Is namq; regionis erat situs, admirabili naturæ uarietate in patentes campos, & uestitos arboribus colles terrenosq; tumulos, cauas ualles, emissaria, paludesq; distinctus, ut duces sicuti eorum ingenia ferebant, siue uera ui, siue astu ac dolis certandum foret, ad res gerendas cohortari atq; incitari uiderentur. Ab Bientina campi pabulo uberes ad Vicopisanum usq; pertinent, qui palude, collibus atq; Arno amne clauduntur. In hos Siccus uti erat in omni militiæ munere peracutus & sagax, Manfronum facile elici, & ex insidijs opprimi posse iudicauit: quòd sciret hominem naturam maxime pugnacem, & propterea uti plerunq; accidit, apertum & incautum, pugne studio iniquum in locum facile progressurum. Itaq; circumpositis insidijs, edoctisq; militibus quid fieri uellet, quum signum proponeretur, leuem emisit armaturam, quæ in conspectum oppidi se daret, pabulatoresq; consuetando, maiore quàm antea licencia uagarentur. At Manfronus, qui ex oppido cuncta despectabat, ubi pabulatores ac milites, qui eis præsidio simul exierant, maiore hostium numero urgeri uidet, Ioannē Rauennatem Ioannetumq; Pallaiam cum expeditis turmis celeriter emittit: moxq; ipse cum graui armatura equestri, subsidiarijsq; pedibus subsequitur. Idem facit Siccus accitis è proximo cata-



PAULI IOVII HISTOR.

phractis, præliumq; auctis undiq; uiribus, tanta animorum  
 alacritate committitur, ut magnorū exercitum species spe-  
 ctantium oculis præberetur. Nemo enim eques adeo segnis  
 erat, qui hastam in aduersa acie non perfringeret, & gladijs  
 eductis, collatisq; equorū pectoribus, cum hoste misceretur.  
 In eo peracri concursu quū multi equites prostrati, & equi  
 plures conuulnerati essent, Florentini Sicci monitu gradum  
 referre, & timoris simulatione terga uertere cœperunt, nec  
 Manfronus ingenio suo deest, suos cohortatur ut acriter in-  
 stent, neq; perterritis restituendæ aciei spatium relinquunt.  
 Ipseq; uehementi impetu in terga abeuntium cum delectis  
 equitibus inuehitur: et pugnando, magnum camporum spa-  
 tium prætergressus, ad occultatos hostes peruenit. Tum ue-  
 rō ex insidijs nouæ undiq; turmæ cohortesq; consurgunt,  
 Venetæ copiæ circūueniuntur, ipse Manfronus fortiter rem-  
 gerit, densari quàm maximè turmas iubet, & signa ad op-  
 pidum retrouertit, pugnatur aliquandiu in orbem summa  
 constantia, sed incidentibus undiq; hostium cuneis Mansro-  
 niani funduntur, & dissipati passim à pluribus opprimun-  
 tur. In ea fuga Venetæ alæ uexillifer cadit: Pallata equitum  
 præfectus capitur: ipse Manfronus atq; Rhauennas uulne-  
 rantur: pedites equitesq; plurimi in fugam se dedunt. Sed  
 dum parua uictoria Siccus incredibili letitia afficitur, ho-  
 stesq; persequitur, tormenti minoris glande traiectus concē-  
 dit, magno quidem illudentis fortunæ casu, quando ea pila  
 in spatio triū amplius stadiorū ex oppidi turre in incertum  
 emissa, ipsum unum uictorē ducē, miraculo quodā sustulisse  
 uideretur: Ita ut et uictoria, quanquam insignis, Florentinis  
 haud multū grata fuerit, quæ prudentis simul ac strenui du-  
 cis morte constitisset. Sed idem ferme tempus quo Carolus Ita-  
 lia

lia excessit, atq; hæc in Aethruria gesta sunt, Gilbertus Mon-  
 penserius Neapoli obsessus, Gallorū ducibus, qui eadem æsta-  
 te Ferdinandum in Brutijs acie superarant, significauit se re-  
 rum omnium difficultatibus adductū, nisi auxilia terra aut  
 mari Neapolim mitterentur, diutius obsidionem non esse to-  
 leraturum. Quibus de causis, Galli euocatis ad se Andega-  
 uensium paritiū regulis, coactisq; militibus, prouincias in-  
 ter se ita cōpararunt, ut diuiso exercitu, alter aduersus Con-  
 saluum, qui ex prælio Rhegium se receperat, & accitis è Si-  
 cilia auxilijs bellū renouabat, Brutios tueretur: alter iustis  
 itineribus Neapolim subsidio obsessis ire maturaret. Obe-  
 gnisto Brutij obueneret, Persiuus adiuncto sibi Bernardino  
 Sansseuerino Bessenniani principe, qui alam unam equitum  
 & quatuor cohortes ex clientibus suis in Brutijs conscri-  
 pserat, per Lucanian Ebulum peruenit, quod est oppidum  
 Picentinorum non longè à Sylari amne præalto in monte  
 positum, & profunda undiq; ualle circumseptum. Ferdinan-  
 dus eò duces copiasq; præmiserat ad prohibendos transitus  
 Gallos, quibus iter erat ad Salernum urbem: Ipse Neapoli re-  
 manserat, ut colloquijs Gallorum interesset, qui iam de pæ-  
 ciscendis inducijs arceq; dedenda desperatis auxilijs acturi  
 uidebantur. Præerat regio exercitui Thomas Carafa Ma-  
 talonij princeps, externe militiæ prorsus ignarus, sed cum  
 eo pleriq; uiri militares aderant, & in his ante alios Venan-  
 tius Camertium regulus, Lucasq; Sabellus: Quibus, cogni-  
 to Gallorum itinere, uiribusq; eorum diligenter exploratis  
 consiliū erat, hostes recta Salernum petētes, modicis itineri-  
 bus subsequi, auertere cōmeatus, nec prius acie confligere,  
 quam eos iniquior locus exciperet, opprimēdosq; præberet:  
 uel quòd maxime usui fore uideretur, cōtinuò ad oppidū cui

PAVLI IOVII HISTOR.

Lacui paruulo nomē est, cōuolare: incolisq; demigrare iussis, concrematoq; oppido, ne commeatu ac tectis hostis uteretur, Salernum præcurrere. Quo perfecto negotio necesse foret Gallos, qui nec cocta cibaria, nec maiora tormenta conueherent, retro in Lucaniam regredi, desperata præsertim expugnatione Salerni, quod magnis hostium copijs teneretur. Verum cæteri duces militesq; contempta hostium paucitate tanto pugnandi studio ardebant, ut incitati stolidi alicritate succlamaret, nequaquam pertinere ad regij nominis tantiq; exercitus dignitatem, si ea uictoria quam propè certam explanatamq; tenerent, non uera ui appertaq; uirtute, sed per circuitus ignauis artibus peteretur. Eam quoq; militum temeritatem præproperi ducis imperium augebat, qui nihil in castra præter spectatam fidem, & celebris familiarie nomen attulerat. Is enim castigatis qui cauta, & minus decora consilia sequerentur: Neq; inquit: Galli hodie antiqui illi Heroes sunt, quos ab admiranda ui corporis fabulosis carminibus Gallia celebrauit, neq; nos omnino foemine sumus in uirilem hunc modum armate atq; exornate, ut dubitemus hos barbaros temulento agmine incedentes ad primum statim conspectum adoriri atq; proterere. Ac simul hæc dixit, pronūciari iussit, ut omnes arma pararet, equosq; frenarent: de tertiāq; uigilia omnis exercitus Ebulo sub signis eductus est. Persius & Bessennianus sub auroram Syllarim amnem ponte traiecerant, & ad Salernum iter habebant: conspectis autem hostibus, ut æquiore loco aciem instruerent, per tria amplius stadia retro uerterunt agmen: et ingenti sylue quæ patentibus campis adiacet, leuissimum latius applicarunt, ne hostium multitudine tātule copie circumueniri possent. Erant enim uix mille Heluetij, quibus con-

iuncti

iuncti à tergo Brutij pedites oclingenti, quadratum pha-  
 langis corpus efficiebant. Equites utriusq; armaturæ, Galli,  
 Italiq;, circiter mille densati in unum agmen, lateri peditum  
 adhaesere. At Matalonius omnes copias, ueterum morem se-  
 cutus, qui nostris sepius funestus fuit, in quinq; acies diuisit,  
 quæ pari fronte ad similitudinem directorū cornuum à me-  
 dio agmine extendebantur, in quo ipse Lucasq; Sabellus con-  
 stiterunt, septi à leua mille Cantabris, à dextra uerò, tribus  
 milibus peditum Italarum. In extremis autem cornibus cum  
 suo quisq; equitatu, hinc Venantius Camers, illinc Hyero-  
 nymus Tutauilla Sarnensis regulus curabant, eo consilio, ut  
 quum primum Matalonius peditatu pedites Heluetios, equi-  
 tatu uerò equites Gallos à fronte adoriretur, Venantius se-  
 cum turmis suis Cantabrorumq; cohortibus inter hostes &  
 syluam facto impetu protinus insinuaret, & eodem simul  
 tempore leuum cornu à Tutauilla in latus ac terga hostium  
 duceretur, non absurda quidem ratione, si militum animi ac  
 acierum motus, quos mille casibus Fortuna subijcit, quum  
 manus conseruntur, ipsis ducum consilijs atq; imperijs ple-  
 nissimè responderent, ut tum fortè accidit. Nam præter id  
 quod Aragonia acies eo loco imprudenter erat collocata,  
 ubi aduersi orientis Solis radij militum oculos magnopere  
 perstringebat, ob id etiam temerè instructa uidebatur: quo-  
 niam ordinibus modico interuallo disjunctis, neque satis ro-  
 boris inerat ad consistendum, neque singulis tantum spatij  
 relinquebatur, ut si circumagere conuertereq; aciem oport-  
 teret, fieri non posset quin mutuo se implicarent, ac pertur-  
 barent: sed quod magno fuit detrimento, & militiæ uidetur  
 execrandum, miles ipso tirocinio alacer, quum nec dicto pa-  
 rere nec bene pugnare didicisset, neutrum disciplina munus

## PAULI IOVII HISTOR.

impleuit. Namq; ut primum à longè emissa fuere tormenta, aliquot nobiles splendidiq; equites, ut cæteris spectata uirtutis decus præeriperent, inuissu extra ordinem inclinatis hastis, alij post alios, certatim equos in aduersos hostes concitarunt. Quorum impetum, quum densata inconcussi agminis fronte Gallicus equitatus excepisset, nonnulliq; aduersis hostium hastis induti repulsiq;, ex equis cecidissent, reliqui omnes extemplo retrouertentes equos, uehementi ac tumultuario quodam recurso in Cantabros inciderunt, totamq; eorum aciem perturbatam à dextro latere in Venantianam alam propulerunt, ita ut fluctuantibus prementibusq; Cantabris, equitum ordines non modo impulsì, uerùm etiam prostrati soluerentur. Eodem quoque temporis momento Aragonij pedites incitati cursu, Heluetios pari temeritate sunt adorti: nam quum alij scutati intortis hastilibus gladios stringerent, alij aut aurita uenabula, aut rompheas aduncancipitiq; ferro lato præfixas ferrent, ad ipsum corpus phalangis longiores lanceas ericij modo prætendētis, peruenire minime potuerunt. Tantaq; consecuta est animorum commutatio, ut qui modo singulari ferocia summaq; alacritate præcurrerant, retro statim, factò uirium periculo, suorum maxime intercurrente equitatu, pauidi uerterentur. Perseus tantæ rei miraculo stupefactus, ne Fortune contra spem obnixè fauente deesset, gradum intulit, et supra aceros hominum equorumq; cadentiū audacter progressus, quod uix credibile est semihoræ spatio, penè sine suorum uulnere hostiū copias profligauit: peditatus Italicus ferme totus ab Heluetijs est concisus, ac simul deleta cohors una insignis audaciæ, quam ex sicarijs Neapoli conscripserant, perieretq; dum cæteri terga uerterēt, egregie repugnādo strenui centuriones,

Henri

Henricus nobilis Corsus, Aloisius Squarcia, & Vincentius  
 Capocius. Cantabros armis expeditos atq; agiles, densissimæ  
 sylvæ, armatis haud facile penetrabiles protexerunt. Matalo-  
 nius uerò cæteri; duces multis equitibus amissis, Ebulum  
 foeda fuga petiuere. Sed dum agrè intra portam reciperen-  
 tur, & Galli equites tergis inhaerent, Venantius constanti  
 uir animo, hostium impetum à nouissimo agmine fortiter su-  
 stinens egregieq; dimicans, capitur. Cæteri porrò equites nu-  
 mero ferme trecenti, capto circuitu per iniqua loca ad ad-  
 uersam oppidi portam peruolarunt. Verum tanta erat in  
 oppido omnium consternatio, ut nemo esset qui portam ape-  
 riri permitteret, uel tendentium ad muros pro salute sup-  
 plices manus, periculo permoueretur. Sed Galli sicuti impe-  
 ritia ignauiq; hostium uictores euaserant, ita pleniore uti  
 uictoria, fatali sua socordia nesciuerunt, delèdorū enim equi-  
 tum occasionem Persiuus amisit, quum fortè nihil explora-  
 to circum exteriores fossas oppidi situ, instruatam suorum  
 aciem ad id tantū, quod ante oppidum erat, patētis areæ spa-  
 tium produxisset, mirabundus et expectans, ut portæ ab his,  
 qui tam socdè fugerāt, uictoribus aperirētur. Verum, Galli  
 non multo post, quū expugnādo oppido tormenta deessent,  
 & Bessennianus Serpentine pilæ, quæ propugnaculo fortè  
 emissæ, gladij capulū deterferat, thoracemq; colliserat, propè  
 exanimatus cecidisset, ad spolianda cadauera redierunt: qui-  
 bus abeuntibus equitatus supremo timore atq; periculo libe-  
 ratus est, & intra portam receptus. Eo quoq; post aliquot  
 horas Cantabri sylvarum beneficio seruati, & qui uarijs  
 fugæ casibus cladem euaserant, cateruatim peruenere.  
 Quod si Persiuus ad Ebulum castra posuisset, pleriq; affir-  
 mant oppidanos, quod Andegauensis erant factionis se-

PAULI IOVII HISTOR.

quenti die ad apertis Gallo portis, copias omnes Aragonias  
 fuisse tradituros. Ea que secuta est nocte, Tutauilla cum par  
 te copiarum ad firmandum presidio Sarnum est profectus:  
 quò etiam Prosper è Neapoli ad eius cladis nuncium appli  
 cuit. Galli præda onusti, omnibusq; oppidis, studio aut metu  
 liberaliter recepti, ab Salerno ad Sarnum anem, ubi oppi  
 dum est eius nominis, biduo post peruenere, ac ponte quem  
 Prosper Tutauillaq; resciderant, super ueteres sublicas re  
 fecto, nequaquam tentata oppidi oppugnatione Neapolim  
 contendere. Interea Ferdinandus, tota Neapoli ob amissos  
 ciues metu simul ac dolore consternata, incredibili animi sol  
 litudine torquebatur. Nam supra cladem fusi cæsiq; tur  
 piter exercitus, etiam ingenti suspensus cura magnopere ti  
 mebat, ne eius acceptæ cladis fama uictorisq; simul exerci  
 tus aduentus, ab obsessis, aliqua Andegauentium fraude sen  
 tiretur. Nam Galli, quum iam plerosq; eorum conclusionis  
 uitijs affectos grauis autumnus ualitudine tentasset, nec iam  
 reliqui extremam rerum inopiam perferre possent, nequa  
 quam spernendas de dedendis arcibus condiciones obtule  
 rant, desperatis præsertim maritimis auxilijs, quòd littora  
 Tyrrheni maris Aragonia classe clausa atq; obsessa teneban  
 tur. Quibus de causis agendo per crebra colloquia cum re  
 gis nuncijs, ad ultimam disceptationem transigendæ pactio  
 nis erat peruentum. Ob id Ferdinandus in omnem adeò ur  
 gentis metus dissimulationem compositus, quòd mature fa  
 cto opus erat, Mompenserio earum rerum penitus ignaro  
 denunciavit, si intra præsentis diei spacium, in eas quas ob  
 tulisset condiciones de dedendis arcibus ex æquo pacifcere  
 tur, se cuncta que ob signatis tabulis promitteret, regia fide  
 præstiturum. Porro si ad extrahendum tempus impudenter  
 eludendo

eludendo fallacibus colloquijs uteretur, nullam Gallos posse à impetranda uenise facultate habituros. Se propterea inuitis etiam amicis, ipsisq; presertim foederatis principibus, præbuisse aures admodum benignas eorū postulatis, ut sine sanguine, ulloq; utriusq; partis incommodo pax ipsa pararetur, quod natura ab omni crudelitate penius abhorreret, qua se postea, abiecta omni humanitate, necessario usurum sciret, si bellum non certa ac tolerabili conditione mutua pactionis, sed insana animorum obstinatione ac pertinacibus armis finiretur. Ad ea Mompenserijs respondit, se eo animo de arcium deditioe semper egisse, ut si æqua uel certe non indecora conditione fieri posset, nequaquam pacem abnueret. Idcirco secum ducibus egressurum, si Rex obsidibus caueret, ne ab æquabili compositione discederet, totumq; id incunde pacis negotium expeditis sermonibus esse confecturum. Itaq; statuitur colloquio locus in Aragonia trireme, mittiturq; pro obside in arcem Dimasius Triuentij classis præfecti frater: nec mora: Mompenserijs, Alegria, Belcarius, Gratianus Guerra, ipseq; Salernitanus cum Gallo questore, nobilioribusq; nauarchis, ad pratoriam triremium accedunt: eò quoq; simul, Triuentius, Prosper Columna, Albericus Carafa, Andreasq; Gemarius peruehuntur. Fit magna, uti debebat de summa re, in utranq; partem disceptatio, ita ut colloquium mutuis altercationibus plurimum extenderetur. Erāt ob id suspensi omnium animi expectatione tantæ rei: ipseq; ante alios Ferdinandus maximis incerte mentis fluctibus agitabatur, ut qui nec rem maximæ spei festinatione sua impedire ac conturbare uellet, nec ullam moram animus iniquies omnino pateretur, quum Gallica castra non abesse putaret, eorumq; fremitum auribus propè percipere uide-



PAULI IOVII HISTOR.

retur, uti auxilijs suspensisq; frequenter accidit, quibus uana atq; inanes remotissimarum rerum imagines deceptis sensibus offeruntur. Igitur moræ impatiens, Franciscum Capuanum astuto ingenio iuuenem scaphæ impositum ad eos mittit, ut regio nomine Prosperum ac ceteros coarguat, quod se inanibus uerbis ac ambagibus distineri ac longius abduci paterentur: simulq; imperet, nisi Galli intra horæ spatium de deditioe pepigerint, tabulisq; subscripserint, uti eos confestim abire iubeant, ijsq; omni spe uel colloquij uel pacis in posterum sublata, perpetuò cuncta hostilia, & quam maxumè seua denuncient. Quibus auditis Galli fortunæ suæ prorsus ignari, quum quisq; de propria salute sollicitus, calamitosum diurnæ obsidionis exitū demisso animo formidaret, cūctiq; si incolumes inde euaderet, renouato bello neq; plenam iterum uictoriam, neq; ipsas demum arces sibi defuturas existimarent, in has conditiones de dedendis arcibus pepigerunt. Vti intra certum diem, nisi tanta terra marique Gallorum auxilia superuenirent, ut eorum metu adductus Ferdinandi exercitus, relictis patentibus campis, intra oppida se recipere cogeretur, arces omnino dederent: ipsiq; per id tempus quotidianis cibarijs impenso pretio iuuantur. Intereaq; datis decem obsidibus quos Ferdinandus diligeret, terra ac mari manerent induciæ, nec ullum omninò telum utrinq; mitteretur. Inducijs opportunissimo tempore constitutis, Ferdinandus, uti erat altera negotij tãti cura liberatus, quibus nam modo belli artibus aduentanti Persiuo obsistendum foret, summa sollicitudine consultabat. Variæ siquidem pro ingenio ducum sententiæ dicebantur, nec deerant ex intimis amicorū Albericus Carafa Marinusq; Brancatius, qui, quum bis uictis perterritisq; militibus magno-

pere

pere diffiderent, copias intra urbē recipiēdas, congressumq; uictoris exercitus omnino deuotandum differebant, quando munitiones, quæ arcem perpetua coniunctione ab urbe penitus excluderent, nullo cum periculo et solis prope tormentis defendi posse uiderentur, quibus defensis necesse foret tantā Gallorum multitudinē paucis diebus absumpto omni uetere pariter ac aduēctio cōmeatu, inedia penitus interire, quod militū numero propemodū duplicato, qui aduenissent non modo presentē inopiam aliqua ex parte subleuare, sed nec se ipsos quidē alere possent, etiam si cōtra prodigæ gentis morē cibaria parcissime metirētur. Insane demū esse pertinaciæ ac temeritatis potius quàm ueræ uirtutis, copias apertū in locū educere, et toties uictoris exercitus uim periclitari, quando salus omnium atq; imperiū periniqua sorte unius prælij alex cōmitti uideretur, si milites magna ex parte aut uulneratos aut recenti metu trepidantes, uictoribus Gallis, quorū arma, crista sagulaq; Aragonio sanguine redundarent, pecudū more maētandos obijceret. His maximē uerbis, quæ timidorum auribus magnopere placebant, adeo presentium animi sunt permotti, ut qui nullis etiam manifestis uitæ periculis pro tuenda regis salute dignitateq; terreri didicerāt, Alberici, Mariniq; sententiæ assensuri uiderentur, nisi eos Prosper Columna, qui magnitudine animi ac dicendi libertate ante alios erat insignis, contrā disserendo acerbissimis uerbis castigasset. Qui copias inquit in urbem non modo turpi, sed admodum pernicioso consilio reducendas censent, ij mihi potius de fuga nauibus capeffenda, quàm de munitionibus fortiter defendendis cogitare uidentur. Quid enim nobis intra urbem metu compulsi, reliquæ spei supererit, si hostes tam ualida recentiq; manu militum aduēti,

PAULI IOVII HISTOR.

ob idq; sublatis iure inducijs, ex omnibus munitio-  
 rum locis eruperint? Puerorum puto ac foeminarum planctus, in ipso  
 urbis supremo discrimine, trepidantium in tergo auditus, ui-  
 res addet, uel animus excitabit, consistentq; fortiter, alacri-  
 terq; pugnabunt, qui salutem suam in aliena uirtute uel igna-  
 uia positam esse conspicient, quum diuersis in locis, uaria  
 fortuna, dimicari ad euentum summae rei suspensis animis co-  
 gitabunt. An uobis mente atq; memoria excidit quanto cum  
 labore quantoq; cum periculo repentinis hostium eruptiones  
 sustinuerimus? ut nunc omnino insani simus, si qui Gallise qui-  
 tibus pedestri in pugna uix aequabamur, nunc demum Helue-  
 tiae phalangis uim sustinere ex improuiso posse confidimus.  
 Ego certe, quanquam sciam multo facilius esse contra disse-  
 rendo, alienis obrectare consilijs, quam ueram in summa ne-  
 gotij difficultate salutis atq; uictoriae rationem inuenire, nul-  
 lam tamen reliquam ad auertendos hostes uiam superesse con-  
 stanter affirmauerim, praeter eam, quae nobis in hac rerum om-  
 nium angustia securitatem pollicetur, non modo salua uerum  
 etiam amplificata regij nominis existimatione, qua una re uel  
 infirmos exercitus feliciter regi, et plena spe ad uictoriam  
 facile perducere uidemus. Castra etenim ad Ecciam loco aperto  
 atq; munito locanda, concidendosq; omnes aditus quae iter  
 ad arcem factururus sit hostis, ea ratione censeo, ut nec hostes  
 temere contemnere, nec eos demisse nimis ac perditè timere  
 uideamur. Exercitus namq; noster decoro in speciem egressus  
 eo tutior atq; nobilior erit, quod uallatis castris locoq; na-  
 turæ permunito, et prohibere ex tuto hostem, si temere pro-  
 gredi pergat, et ostentare uires poterit, sine ullo coacta dimica-  
 tionis periculo: ij quoq; qui in arcibus sunt omnino conque-  
 scent, nec inducias, ut datis obsidibus caueant, unquam uiola-  
 bunt.

bunt. Quòd si consiliū nō dictu modo foedum, sed ipso etiam exitu lucuosum sequemur, & copias in urbe continendo, stratū atq; expeditum iter ad arcem Persiuo relinquamus, non modo de tuenda Neapoli, sed de summa belli uictoria omnino nobis erit desperandum, quando receptis semel intra arces tot hostibus, ijsq; omni induciarum religione solutis, nec robustissimus quidem exercitus repugnabit. At si quosq; aditus locorumq; angustias uel iusto opere, uel congerie lapidum, decisisq; & obiectis arboribus, ut ipsa loci firri natura, strenuè atq; celeriter muniamus, hæc quæ ple-risq; ardua uidentur, opinione omnium faciliora euadent, conatusq; hostium maiore aliquanto cum uoluptate quàm periculo nostrorum militum penitus eludentur. Ergo si urbem incolumen, Ferdinande, saluum imperium, ciues pariter ac milites tuos seruatos uictoresq;, quàm hæc omnia ueluti uno fulminis ictu concussa atq; prostrata uidere malueris, protinus ad Ecciam educ signa, regisq; animi uigorem, quum maximè factu opus est, alacritatis atq; fiducia plenus ostēde. Aliena namq; uirtus uel falso etiam fulgore hostibus sæpe timorem præbet, animusq; uel aduerso successu consternatus plerunq; ad alieni metus imaginē uel falso conceptam erigit. Sed hæc tibi extemplo per agenda sunt, nam in præcipiti bellicarum rerum occasione, grauias repentinaq; pericula multa deliberationis consilium non admittunt. Ferdinandus ea permotus oratione, ueluti discusso ancipiti metu, animum erexit, quanquam eum ingentis spei plenum binæ clades uehementer contudisse uideretur: Statuitq;, ut protinus ad Ecciam periti locorum atq; militia mitterentur, qui inspicere cuncta oculis, diligenterq; lustrarent, si concidi ac muniri aditus possent: Se nihil moraturū quin eo copias om-

PAULI IOVII HISTOR.

nes educeret et Prosperi consilia sequeretur. Nec multo post  
 Ioanes Montanus fide uirtuteq; animi illustris, qui pedestri-  
 bus copijs præerat, desumpto sibi eo munere Ecciam profe-  
 ctus, renunciauit ea quæ Prosper docuisset, optimo prouisa  
 fuisse consilio: operâq; suâ ad ea perficienda maximè cōstan-  
 ter obtulit, ita ut conductis operis prolixè polliceretur, se ce-  
 leriter munitiones esse perducturum: quæ nisi summa cum  
 pernicie accedentium hostiū, non modo superari, sed nec op-  
 pugnari quidem posse omnium iudicio uideantur. Itaq; ma-  
 gnus numerus agrestium ad faciendum tuendumq; opus, si-  
 nitimis totius Campaniæ imperatur. Urbana omnis multi-  
 tudo, ac milites qui ex prælio Neapolim fuga repetebāt, edu-  
 citur: tormentaq; in primis Ecciam conuehuntur. Is est lo-  
 cus admodū editus non procul ab occidentali porta, qui ad  
 arcem Pizafalconis extenditur, desinitq; in præaltâ cautem  
 præciso undiq; deiectu mari imminentem, quâ Gallis ad ar-  
 cem tendētibus necesse erat penetrare. Paulo infra Ecciam,  
 cœnobium est Capella nomine nuncupatum. Id ad mare per-  
 tinet, impositūq; est uix inferiori, quæ maris fluctibus allui-  
 tur. In eo cœnobio tormenta locis idoneis sunt collocata:  
 hisq; urbanæ cohortes duæ præsidio additæ: ut ab omni si-  
 mul parte accedendi facultas Gallis eriperetur. Montanus  
 etiam Cryptæ uiam, quæ perforato antiquitus monte Pausi-  
 lipo, Puteolos recta perducit, aggestitia materia præcludere  
 conatus est. Sed Persiuus prima luce motis castris, per dor-  
 sum Pausilipi agmen erigere cœpit: cuius aduentu Aragonij  
 ab opere reuocati, instructis ordinibus uti rex iusserat, suis  
 locis parati ad pugnam constiterunt. Collucebant proximi  
 colles ingenti armatorum agrestium multitudine, quorum  
 inconditis clamoribus cuncta resonabāt. Regiæ uerò copiæ  
 paulo infra arduo atq; opportuno loco tenebātur, adeo ut

procul in magnis tympanorū, tubarumq; concentibus, tormentorūq; strepitu, longè maximi exercitus species subeuntibus Gallis redderetur. Persius sua opinione deceptus paululum substitit: quippe qui regem ad samam tantæ uictoriæ perterritum, atq; adductū ancipiti periculo, nō modo extra urbem habiturū castra, sed fuga sibi omnino consulturū crediderat. Mox ubi suos nihil ab arcibus moliri neq; ullum omnino lætitiæ signum, dissolis de more tormentis, edere conspexit, ratus eos aut deditos esse, aut omnino, uti erat inducijs alligatos fidei religione detineri, ad dextram in littus deflexit, & iuxta Regine hortos castrametatus est. Tum uerò Galli eminus è castris, et è Capellæ cœnobio tormētis oppugnari coepti. Imminebantq; eis è superiore loco instructæ acies, leuiāq; certamina extra ordinem ab expeditis peditibus edebantur. Sic tamen ut se potius pugne auidos in clamando atq; arma quatiendo procul ostentaret, quàm ut ad confendas ex propinquo manus decurrere auderent. Nanq; eos Ferdinandus descendere prohibebat, quū munitus castris egregiè se teneret, ne parta propè uictoria, in discrimen improuise pugne temeritate militū adduceretur. Interim Persius proximo in littore piscatorium nactus lembum, de aduentu suo, et de prælio ad Ebulum prosperè factò, nuncium ad arcē transmittit. Mompenserijs ceteriq; duces his cognitæ tantæ uniuersæ uictoriæ occasionem nimis celeri rerū desperatione amissam, ne quicquam deplorat: et Fortunā quæ puncto temporis cuncta præuerterit, inanibus querelis execrantur: instructoq; mioparone idoneos homines remittūt, qui de inducijs Persium doceāt, quas sibi inopia rerū subactis, ultima necessitas expresserit. Sibi enim quandiu Ferdinandus aperto in loco castrametaretur, nō licere quicquam hostile moliri, quod id esset expressè & iureiurando, &

## PAULI IOVII HISTOR.

*obsidibus cautum. Quòd si Persiuus pulsus hostibus, patefactoq; aditu ad arcem perrumperet, se tum instructa acie protinus erupturos: Sin loco uiribusq; inferior id facere nequireret, & propterea regrederetur, se ad constitutã diem deducturos arces, & copias quas haberent, incolumes, expectata equiore rerum Fortuna, donec Carolus noua auxilia transmitteret, seruatuos. Itaq; Persiuus locorum difficultate deterritus, quò neq; ad arcem neq; ad urbis portas propter angustias penetrare, neq; oppugnare castra, nisi summa cum clade suorũ militũ posset, ea quæ imminebat nocte discedere cõstituit, presertim quò cum his in locis diutius permanere commeatus inopia minime pateretur; neq; triremes Aragoniæ quæ Baiano sinu eductæ, ex alto ea littora tormentis infestabant, Gallos apertis in locis tendere permetteret. De secunda igitur uigilia silenti agmine proficiscuntur: pars eodem Pausilipi dorso iter facit, pars Cryptã quam Aragonij obsesserant, dissectis paruo labore repagulis ingreditur. Tũ uerò cerea funalia religione hominũ suspensa in Mariæ uirginis templo, quod Cryptæ adiacet, ad præbendũ lumẽ, lixarum ac militum concursu rapiuntur, quando id iter perpetuis tenebris incultum, ac intonantis turbæ, ualidoq; equorum terram pulsantium repercussu, Gallis et Heluetijs horrendum foret, qui cum inauditã antea uiam humano opere perfectam fuisse non crederent, ueluti inferorũ ingenio, magicisq; artibus perfossa montis uiscera mirabantur. Sequenti die Persiuus pluribus carris cum magna ui omnis generis commeatus ad Cryptam relictis, quibus obsessorũ inopiã se abunde subleuaturũ sperauerat, Pomelianũ peruenit. Id opuspidum cum omnibus rebus tum maximè consilio infirmum, Galli, quod ab Aragoniæ factionis hominibus portæ clauderentur,*

bantur, nullo negotio expugnant: omnesq; ad unum, ut nec  
 foeminis nec pueris parceretur, interficiunt: eoq; inhumanitatis  
 Barbara seuitia peruenit, ut quæ abditas res quærerent, la-  
 tebras omnes sedulo scrutarentur, quosdã qui in Furnos me-  
 tu mortis se coniecerat, iniectis ignibus concremarint: alios  
 in latrinis latitantes hastis atq; lapidibus demersos foedissimo  
 mortis casu pernecarint. Direpto atq; incenso Pomiliano,  
 Persius Nolanã uia iter intendit, nouissimũ Gallorũ agmen  
 carpentibus regijs equitibus: nanq; Ferdinandus motis exem-  
 plo castris, abeuntes iisdem uestigijs fuerat infecutus: uerũm  
 adeo cunctanter & cautè, ut tergis inherendo non procul  
 abesset, & nulla dimicandi necessitas imponi posse uideret-  
 tur. Ad id tamẽ quod omnibus artibus deuitabat summæ rei  
 certamẽ quorundã equitum petulantia penè perductus est.  
 Nam quum in patentes Palmæ campos qui ad Nolan uer-  
 gunt, ubi quondam Marcellus atq; Annibal conflixere, esset  
 peruentum, Gallorum extremum agmen, ut ientaret, fortè  
 confedit apud uillam regio edificio insignẽ, quam Alfonso  
 maior uenandi studio allectus, opportuna ad id genus uolu-  
 ptatis regione cõdiderat. Quibus potantibus Aragonij equi-  
 tes leuis armaturæ superuenerunt: certatumq; est tumultua-  
 rio prælio, sed celeriter leuis armatura à Gallis equitibus ca-  
 taphractis repulsa est: qui uti primum conglobati equos in-  
 citarunt, regij non modo uerterunt terga, sed præcipiti fuga  
 in mediã peditũ suorum aciem, quæ non procul aberat, inci-  
 derunt, totamq; foeda trepidatione iniecta perturbarunt.  
 Montano qui peditatum regebat obsistenti ac ordines con-  
 seruare conanti, aduersa fugientis militis cuspide crus traj-  
 citur. Raynaldus Feramusca atq; Cerbellio leuis armaturæ  
 præfeli, immisti hostibus densissimi pulueris beneficio ser-



## PAULI IOVII HISTOR.

uatur: isq; tumultus & consternati metu exercitus fuga ad regem momento peruenit: adeo ut rex ipse, & Prosper Columnna oppositis equitum turmis effuse fugientes multū increpando, & plerisq; ora gladijs fodiendo uix sisterent. Constat ea die tantum exercitū parua manu deleri potuisse, nisi ea eleuati pulueris nubes Gallis prospectū penitus ademisset. Nanq; paucitatis suæ cōscij, alienæq; trepidationis prorsus ignari, quū se ab suis in multo spatio disiectos, & trahi in insidias & circumueniri facile posse iudicarent, retro ad suos plenis passibus redierūt. Ferdinādus quanquā plerosq; suorum uulnerasset, ægrè retentis & restitutis ordinibus, Cerbellionem atq; Raynaldū temeritatis castigauit: et nonnullos qui proiectis scædē armis Neapolim usq; res perditas nunciantes persugerāt, ignominia notauit. Postera die Perficiū per Sarnenses montes euadentē, concidentēq; in tergo itinera, ut sequentiū cursum retardaret, ad Sanseuerinū oppidū usq; persecutus est. Inde Galli expugnatis in Sannio aliquot ignobilibus castellis, in Apuliā in hyberna cōcesserūt. Ferdinandus uerò aliquot dies ad Auelinū moratus, multis de causis eos persequi destitit: & quod hyems suberat, et ad recipiēdas arces exactis iam inducijs, Neapolim uocabatur, eò cū familiaribus equitibus est reuersus. Caterū Mompenseriū priusquā induciæ prefixo ad certū diem exitu finirentur, arcēq; dederet, contra iusurandū ex arce nona cum leuissimis suorū equitū, noctu cōscensis nauibus, Salernū profugit, ipsius maximē Salernitani consiliū secutus: qui cum se nunquam alicuius Aragonij principis fidei salutē suam commissurū iurasset, Gallos omnes omnibus arcis locis concionabundus ad renouandū bellum hortabatur. Quando si uiciorum arbitrio se dederent, non modo hostium fraude, qui

nula

nullum iusturandū nullamq; pietatem colerent, scedē peritu-  
 ri essent: sed ceterorum quoq; omniū Gallorum, qui in præ-  
 sidijs toto regno essent dispersi, salutē prodituri uiderentur.  
 Superesse bis in Torē exercitū, egregia ubiq; Andegauen-  
 studia uigere, Caietā Tarentumq; ualidissimas regni urbes  
 præsijs teneri: expectari classes quæ in Gallia atq; Liguria  
 pararentur. Non esse cur regem inani multitudinis studio in-  
 spem obtinendi regni sublatum, ceterum profligatum, exu-  
 tum armis, exhaustumq; pecunia, Neapoli ac regno iterum  
 expelli posse diffiderent. Si enim neq; animos dimittant, neq;  
 armaturpiter abijciant, cuncta ipsos, quod semel uires ac ani-  
 mi uerterentur, prospere tentaturos. At turpè non modo  
 sed erumnosum omnibus fore, si Mompenserus & personæ  
 quam gereret, & supremi officij militaris, quod ab Carolo  
 sibi esset demandatum, penitus obliuisceretur. Debere eum  
 sicuti præpropere inducias paciscendo, uictoriam aliorum  
 uirtute partam interpellarit, inexpiabilis eius errati detri-  
 mentū fortioribus consilijs resarcire. Nec tum ipsi duci præ-  
 clara audenti milites defuturos, qui publicum Gallie decus  
 respicerent, ipsamq; omnium salutem ac libertatem obnixè  
 tuerentur. Se quidem qui id consilij præberet, omnes Luca-  
 niæ opes permultis & recentis & ueteris belli casibus Gal-  
 lico nomini obligatas confestim additurū, & ad extremum  
 constanter in fide persistendo, si Dij tantis ac utiq; pruden-  
 ter initis susceptis consilijs infesti forent, Carolo Regi uel  
 acerbissima morte satisfacturum. Erat enim Salernitanus  
 Aragoniis omnibus maximè insensus: nec ullum omnino  
 gratiæ, aut ueniæ locum ullo unquam tempore apud eos si-  
 bi futurum arbitrabatur, propter insignes iniurias qui-  
 bus seniore Ferdinandum affecerat, quum antea depraua-

PAULI IOVII HISTOR.

*tis concitatisq; omnibus ferè totius regni proceribus, aduer-*  
*fus eum coniurasset: ac tum demum quum in Gallia exularet,*  
*Alfonso regi tantum bellum undiq; concitasset. Monpensiero*  
*Salernitanoq; in Lucaniam ad instaurandum bellum profe-*  
*ctis, ceteri duces Galli arces dediderunt: obsidibusq; receptis*  
*cum reliquis copijs Caietam nauigarunt. Nec multo post Al-*  
*fonsus febre seu a correptus quam ex atris humoribus con-*  
*ceperat, Messanæ interijt: tanta quum moreretur cœlestis*  
*uitæ cura, adeoq; insigni in Deum pietate, ut qui regia licent-*  
*tia per omnem ætatem cunctis uoluptatibus effusè seruierat,*  
*despectis humanis rebus, longè omnium sanctissime ex hac*  
*luce migrasse diceretur, quanquam post Ferdinandi filij re-*  
*ditum, arcesq; receptas, rursus eum repetendi regni cupido*  
*inuaserit: quum animus haud satis constantibus decretis ad*  
*priuatam uitam fortiter ferendam confirmatus, sese in his*  
*arridētis Fortunæ successibus erexisset. Obtulerat enim Fer-*  
*dinando præter ueteris gazæ reliquias, industriam suam, si*  
*ea ad conficiendum bellum usui futura uideretur. Ceterum*  
*se ab omni humanarum rerum cura penitus abdicatum, arce*  
*Capuana contentum fore, quæ amoenissimum regalis Podij*  
*secessum extremo in urbis angulo ab se conditum despecta-*  
*ret, atq; ibi uitæ reliquum procul à conspectu multitudinis*  
*tranquilla in pace finiturum. Sed Ferdinandus uti regum se-*  
*rè omnium mos est, qui regnandi causa, neq; pietate neq; ue-*  
*recundia permouentur, quum eadem imperij libidine tene-*  
*retur, insipientis Patris desiderium celeriter elusit, deprecant-*  
*do ne initia infirmæ adhuc uictoriæ, intempestiuo aduentu*  
*suo perturbaret & euerteret: Quod erga eum alieno essent*  
*animo non modo ipsi Andegauenses, sed omnes propè Arago-*  
*nij, qui ueteris eius imperij memoriam reformidarent: et stu-*  
dia

dia in Gallos, si tum aduenirent, subita animorum consternatione conuersuri uiderentur. Ob id Alfsnfus suo pudore planè castigatus, omnè recuperande regie dignitatis spem penitus abruptit: contulitq; se in cõtubernium sacerdotum, ubi sacris intentus literis religiosissimi officium usq; ad uitæ exitum plenissimè uel simulauit uel impleuit.

PAULI IOVII NOVO-  
COMENSIS EPISCOPI NVCERINI  
Historiarum sui temporis.

LIBER QVARTVS.



INTEREA Carolus qui iam superatis Alpibus in Galliam ulteriorem peruenerat, postquam de Persui uictoria certius cognouit, eos qui bis collatis signis adeò feliciter dimicassent, auxilijs terra mariq; transmissis iuuare constituit. Itaq; in maximam spem belli prosperè conficiendi haud dubiè erectus, naues onerarias insignis magnitudinis parari atq; exornari Massilie iubet: mittunturq; Genuam ad alias pecunia conducendas Orpheus prefectus nauium Gallicarum & Primodeus quæstor: qui tamen si ab his rebus administrandis per Ludouicum Sfortiam haud obscuris artibus retardabantur, classem tamen coactis undiq; nauibus celeriter compararunt: copijsq; impositis, nauitas Caietam cursum dirigere

PAULI IOVII HISTOR.

iusserunt. In ea classe Busechus & Anzoltus erant cum ali-  
 quot delectis Germanorum Heluetiorumq; cohortibus: præ-  
 terea circiter mille Vascones sagittarij, & nonnulli equites  
 Galli illustres cum Aloisio Arfio duce impigro: itemq; ex  
 Neapolitanis Andegauenfis factionis Aloisius Gesualdius  
 Compfanus princeps, & Traianus Papacanda magni uir  
 consilij, gnarusq; militiæ, qui Carolum secuti, pace demum  
 apud Vercellas constituta, eum proceresq; omnes ad trans-  
 mittenda auxilia continuis cohortationibus accenderant. In-  
 terim Ferdinandus à Ludouico Sfortia de aduentu classis  
 certior fiebat: nam qui exscedere, quin portus, classes, cum  
 etaq; regijs procuratoribus paterent, prohibere non pote-  
 rat, assidue monebat Aragonios, ut quanta maximè possent  
 cura ac celeritate classem auerterent ac educerent. Quando  
 interclusis maritimis auxilijs, non multo post ueluti despe-  
 rata uictoria, & Mompensero & cæteris Gallis omnibus  
 regno esset cedendum. Quod si eam hostiũ classem Caietam  
 libero mari incolumen deferri paterentur, ipsos uictoriam  
 quæ iam certa explorataq; esset, non in dubium modo, sed in  
 funestum rerum omniũ discrimen esse deuocaturus. Verum  
 ea fuit supra cæteras rerum difficultates in educenda atq;  
 expedienda classe Aragonijs incuria, ut Gallicæ naues quæ  
 auerti uel opprimi facile poterant, prius Caietanum in por-  
 tum ex alto se intulerint, quam Triuentium ex Pontia insula,  
 ubi stationem habuerat, eas adipisci potuerit: una tamen, ma-  
 gnitudine insigni nomine Magdalena milite commeatuq; onu-  
 sta, quæ cæterarum cursum æquare non potuit, intercepta  
 est. Per eos quoq; dies conductus Gallico stipendio Virgi-  
 nius Ursinus: & cum eo pleriq; uiri illustres ex eadem fami-  
 lia, qui eius tanquam factionis militiæq; principis nomen  
 atq;

atq; authoritatem sequebantur. Is enim quum captiuus in Galliam à Carolo duceretur, ea fortè die qua ad Tarrum est dimicatum, eger pedibus ad Foronouum in Apennino subfiterat, incertum, data fide, an custodum incuria, regis scilicet Gallorūq; omnium animis atq; oculis in eius imminuentis pugnae discrimen intentis. Exinde nonnihil in Gallia Cisalpina moratus est, ut belli inclinationem potius quàm exitum expectaret: explorataq; principum erga se uoluntate, nouæ fortunæ consilia sequeretur. Transiit non multo post in agrum Romanum, & ueteres milites cœgit pecunia Petri Medicis maximè adiutus: quem se uti primum exercitus sub signis foret, Florentinam reducturum pollicebatur. Inde profectus in Umbriam, Valdum Nucerinum agri oppidum in gratiam Baleonum Perusie principum, qui id armis repetebant, oppugnauit, sed sædo admodum exitu: nam defendentibus non modo mœnia Fulginatiū cohortibus, uerùm etiam audacter erumpentibus aliquot milites & ferreum ingens tormentum amisit: Filijq; eius Carolus atq; Iordanes itemq; Liuianus, conuulserati fuere. Nec irritò incepto abscedentem, ac signa in Aethruriam uertentem, Baleoni secuti sunt, uti se facturos promiserant: quando cum qui in oppugnatione oppidi plures dies frustra hæsisset, tantæ molis bellum parum prosperè tentaturum apparebat. Virginius Umbria digressus, superato Clani amne, ad Rapolanas aquas in finibus Clusinarum concedit: magnumq; Florentinis amittendæ libertatis timorem præbuit: pleriq; enim suspensa metu ciuitate occultas coniurationes à ueteribus Mediceorum amicis, clientibusq; initas esse suspectabant, uerebanturq; ne ex copiæ, quæ tum exiguæ erant, occulto Ludouici Venetorumq; consilio, maximi exercitus initium

PAULI IOVII HISTOR.

fierent: Quando illi iam ex professo, et tueri Pisanos uellent, et Gallorum socios pro hostibus habere, belloq; persequi decreuissent. Quibus de causis Florentini, ne aliqua uis intestine fraudis eruperet, suspectos ciues in proxima oppida prescriptis finibus ablegarunt, aduētantiq; Virginio Herculem Bentiuolum, & Rannucium Martianum apud Cortonam opposuerunt, quos ex agro Pisano cum expeditis copijs euocarāt. Ob id Virginius per niuosa loca copias circumducens ad alendū militē aliquot ignobiles uillas expugnauit: quum nec sibi satis uirium esset, uti uim magno conatu moliretur aperteq; perumperet, neq; Petro Medici consilia procederent, qui amicorum erga se studia opinione debiliora fuerat expertus. Interim Camillus Vitellius cum Gimello Gallo equite ē Galliamissus, ad Virginium cum mandatis Regijs peruenit: attulitq; in stipendium duodecim milia aureorum nummum: congressusq; cum Virginio & filijs, praesertimq; eius magnis pollicitationibus nutantem, perpulit ut Gallorum partes sequeretur. Veneti namq; & Ludouicus Sfortia itēq; Alexander Pontifex per idoneos homines Virginium Ferdinando conciliare conati fuerant: ac tum maximē hominem obtestabantur, ne contra totius Italiae consensum atq; iudicium, publicis hostibus adherere uellet. Fore etenim ut à Ferdinando, qui iam honestissimas obtulisset conditiones, in antiquam amissorum oppidorū possessionem, pristinaq; militie dignitatem restitueretur, si uti erat humaniter inuitatus, uetera erga Aragonios beneficia nouis uirtutis ac fidei meritis cumularet. Enimuerō Ferdinandus Tallacotiū in Marfisi, & alia oppida Virginij ditionis, Fabritio Columnae attribuerat, quae ab eo sub Caroli aduentum fuerant capta. Ipseq; Fabritius Magister equitum erat creatus, quem honorem militie

litia lōgè amplissimū sub Ferdinādo Seniore, Alfonsoq; Vir-  
ginius antea gesserat. Ea una re animus eius, nequaquam su-  
periozem uel parem dignitate ferè solitus, uehementer offen-  
debat. Porro, in partes Gallorum transiret, ducis quidem  
nomen penes Mompenseriū fore, ceterum in castris Gallos  
sibi uni obtemperaturos existimabat, quod neminem esse,  
qui se melius Aragoniæ militiæ, rationes regni, opum, loco-  
rumq; omnium notitiā teneret, arbitraretur, neq; utile si-  
bi uel decorum putabat, si Ferdinando sese uiresq; adderet,  
apud quem aduersæ factionis principes Prosper atq; Fabri-  
tius ueteres ipsius hostes, primum honoris & gratiæ locum  
occupassent. Liuianus tamen sepius est eum deprecatus, ne  
sese totq; clientes suos ac uniuersam Vrsinam familiam in  
summum discrimen adduceret. Quoniam aduersus summas  
opes tantorum regum, qui Ferdinando ex fœdere fauerent,  
eam belli expeditionem, Dijs atq; hominibus infestis, susce-  
pturus esse uideretur. Sed Virginiū uel innata elato eius  
animo contra æquum & bonum contumacia, uel occulta uis  
fati, quæ sepe numero prudētes ad insaniam uertit, contactu  
Gallicæ pecuniæ corruptum, aliò rapiēbant. Itaq; Petrum  
medicem quem pecunijs nuper exhauferat, magnificis so-  
latus uerbis, dimittit: abeuntem orat, ut neq; de sua erga ip-  
sum uoluntate, neq; de Fortuna desperare uelit. Fore etenim  
ut Neapolitanæ uictoriæ quam ipse concepisset, fructum ma-  
ture sentiret, quando ipse non prius quàm Mediceam fami-  
liam armis Florentiam reduxisset, corpore uel animo esset  
conquieturus. Eo dimisso Carolū filium pro obside in Gal-  
liam transiit: & per Tudertinum Sabinūq; agrum  
Aquilam profectus est. Eius aduentu timore adductus Can-  
telmus Populi comes, cum Aragonio presidio urbe exces-



PAULI IOVII HISTOR.

fit: Simulq; Interamna in præcutinis partes Gallorum secuta est. Montelconum quoq; oppidum à Vitellianis ex itinere captum, & cum multa cæde oppidanorum crudeliter direptum: paucisq; diebus Lancianum celeberrimum Apulie emporium, quod antiquitus Anxanum Erentanorum fuit, magno Aragoniorum cum terrore peruenit. Erant enim sub signis Virginij equites cataphracti circiter quingenti, et totidem leuis armaturæ: singulas alas ductabant Iordanes filius, Paulus & Franciottus Vrsini: præterea Linianus & Antonius Comes, itemq; Baleonij eximia uirtutis iuuenes Simonettus, Carolus & Hadrianus à proceritate corporis cognomento Morgantes, Vitellij quoque Camillus & Paulus, nam Vitellocius Tiferni remanserat, ut in Galliam pro obside proficisceretur, quadringentos utriusq; armaturæ equites militariter potius quàm splendide instructos adduxerät. His quoq; Baylinus Vitrius qui Apurtinam præfecturam obtinebat, cum ala Gallorum ex itinere se adiuxerat. Ab Gratiano autem Guerra, Ioanncq; Rouoreo & Sigismundo Cantelmo in Marsis et Pelignis bellum impigre gerebatur. Belcarius Caietæ proximisq; Campaniæ oppidis copias, quæ à Gallia nauibus aduenerant, singulari cura recreabat, armis, uesteq; ac rebus reliquis omnibus adornabat. Ipse Mompenserijs & Persuius, Salernitanusq; & Besennianus copijs nouo delectu auctis, ex Lucania in Hirpinos ita opportunè transferant, ut Ferdinandus qui Appenninum transgressus ad Fogiam urbem in Apulia confederat, undiq; magnis hostiũ exercitibus circumuentus esse uideretur. Quibus de causis in summis eius belli difficultates adductus, quòd extrema pecuniæ inopia premebatur, ad Venetos confugit, orando, ut sicuti totius Italiæ egregijs operibus

ribus editis conseruatores omnium iuditio nuper extitis-  
 sent, ita Imperij Neapolitani atq; ipsius Aragonie domus sa-  
 lutis ac dignitatis curam susciperent: Se in testimonium egre-  
 gie uoluntatis, ad gratiam eius accepti immortalis bene-  
 ficij integra fide, quum potis foret referendam, concessurum  
 in eorum potestatem, quas uellēt Apulie urbes pignoris no-  
 mine, donec ea, restituta pecunia quam mutuam dedissent,  
 recuperata forent: Futurumq; esse, ut si ipsis mature open-  
 ferentibus Aragonie res starent, ac cieccto externo hoste fir-  
 marentur, ipse Aragonijq; posterij omnes, Venetos tanquam  
 precipuos patronos ac tutelares dominos studiosissime cole-  
 rent. Veneti qui tum magnis opibus florebant, ac imperij si-  
 nes extra principium inuidiam proferre cupiebant, adhor-  
 tantibus maxime Ludouico Alexandroq; Pontifice, defen-  
 dendi aduersus Gallorū uim Ferdinandi, conseruandiq; eius  
 regni negotium susceperunt, ea conditione, ut sibi maritimæ  
 urbes Tranium, Monopolis, Polygnanum, Mola, Hydrun-  
 tum, atq; Brundisium in Apulia traderentur: essentq; Ve-  
 nete ditionis donec Ferdinandus impensam eo bello pecu-  
 niam Senatui Veneto persoluisset. Nec multo post Mantua-  
 nus recenti rerum gestarum gloria clarus, quum neminem  
 eo fortius Gallos debellare posse homines crederent: eumq;  
 precipue Ferdinandus flagitaret, Imperator deligitur: addi-  
 turq; legatus Paulus Capellius excellenti uirtute patritius.  
 Itaq; circiter Idus Februarias, euocatis ad se Mantuam ex hy-  
 bernis delectis militibus, hisq; nauibus impositis secundo Pa-  
 do Rauennam deuehitur: atq; inde per Umbriam itinere fa-  
 cto paucis diebus Romam est profectus, putās Alexandrum  
 Pontificem in ipsius gratiā, ut ille promiserat, Sigismūdum  
 fratrem purpurei galeri dignitate protinus ornaturū, quod

PAULI IOVII HISTOR.

in ea periculosi admodum belli difficultate, & à senatu Veneto, & à Ludouico Sfortia, magnopere in eius honoris petitione fuerat commendatus. Verum quum ab Alexandro, qui iam aliquot neq; animi uirtute neq; natalibus insignes, Sigismundo præterito, in eum ordinem legerat, falsis pollicitationibus impleretur, auersatus hominis ingenium Roma excessit, transgressusq; sancti Germani salus angustias, & Venafro ex itinere recepto, Capuam, atq; inde Beneuentum exercitu incolumi peruenit, ubi tum erat Federicus regis patruus, qui urbem pontificæ ditionis aduersus Gallos ex omnibus Samnij oppidis imminentes, præsidio imposito tuebatur. Eius aduentus labantem Aragoniarum rerum fortunam mirificè subleuauit: adduxerat enim utriusq; armaturæ equites eximie ornatos, circiter mille & quingentos, in quibus erant septingenti, partim Greci, partim Epirotæ, duce Contareno. Sed in ijs minores præfecti plures erant probatæ uirtutis: & ante alios Dominicus Bosfigia, et Mercurius, uiri in eo genere militiæ omnium postea eius nationis longè clarissimi. Mille quoq; ueterani pedites, quibus ob spectatam uirtutem pace ac bello stipendio soluebantur, Crasso duce, secundum Adriatici oram nauibus in Apuliam delati, ad eum peruenerat. Dum Mantuanus è Latino agro in Campaniam transfiret, Galli de eius aduentu multorum literis certiores facti, diuersa gerendi belli consilia inibant. Virginius ad eum intercludendum ex Apulia in Campaniam proficisci oportere censebat, coniunctisq; uiribus cum his, qui mari aduenissent ducibus, & tormentis ex arce classeq; detractis, dū Ferdinādus in Samnio moraretur, ad oppugnandam Neapolim properè cõtendendum esse differebat. Quod consilium quum ab ipso Belcario, tum à cæteris qui Caietæ erant,

erāt, maximē probabatur. Mompenserius uerò atq; Persius presentis potius commodi, quā uniuersi belli exitus rationem secuti, ex Hirpinis perscribebant, nō uideri sibi cur ali-  
 bi potius quā in Apulia bellum geri deberet. Imminere ad-  
 dulti ueris tempus, quo portorium pecoris, ijs qui in Apu-  
 lia uiribus pollerent, exigendum foret, uti ex mutuata pa-  
 ctione cum hostibus conuenissent. Ex eo uectigali supra cen-  
 tum milia aureorum nummum pendi: Propterea nihil stul-  
 tius fore, quā si ipsorum beneficio, Ferdinandus pecunia-  
 rum inops, tantum opimi portorij emolumento ditaretur.  
 Quòd si in Apulia undiq; Gallorum arma coirent, milites  
 qui iam debita sibi stipendia flagitare cœpissent in tam pro-  
 pinqua spe noui prouentus, nō modo conquieturos esse, sed  
 in ea alacritate omnem penitus existimationem, quæ uana  
 potius regij nominis imagine quā ueris uiribus constaret,  
 hostium copijs erepturos. Proinde sibi uideri magno usui fo-  
 re, si Vitellij fratres cum alis suis ad Caietana præsidia ex iti-  
 nere excipienda mitteretur, ut ad se per Hirpinos iter factu-  
 ris, tutissimus aduersus hostium insidias transitus præbere-  
 tur. Virginii qui nec absentes docere poterat, monstrando  
 qualis occasio ad summæ uictoriæ profectū, eo in Apuliam  
 transitu, penitus amitteretur, & Gallos homines ab eo con-  
 filio literis dimoueri nō facile posse intelligebat, utinam, in-  
 quit, Fortuna, quæ recta monētes sepius eludit, opinionem  
 meam fallat: Ducemq; nostrum præposteris utentem consi-  
 lijs, secunda ac fauens omnino subsequatur. Nec multo post  
 Vitellij trans Apenninum in Campaniam mittuntur, ut pe-  
 destribus copijs ac tormentis præsidio essent. Quibus exce-  
 ptis iunctisq; in unum copijs, ad Mompenseriū contende-  
 runt. Cognitis hostium cōsilijs Ferdinandus è Samnio, sicuti

PAULI IOVII HISTOR.

diximus, in Apuliã transgressus, Fozia, quæ urbs ex Harporum ruinis creuit, cõfederat, urbesq; mediterraneas, opportunãq; oppida præsijs munierat, quõ ora maritima ferme omnis, Venetæ classis præsidio, Aragonia in fide teneretur. Ex aduerso Virginius ad sancti Seueri oppidum agri Sipontini castra promouerat, omniumq; utriusq; partis animi in eam curam erãt intenti, ut coactis ac ostentatis uiribus, aduersarios ad pugnam prouocarent, æ patentibus uagando campis, hosti detrectanti certamen, amissa possessionis Apulie confessionem exprimerent. Quoniam qui eam rem obtinissent ex præscripta passione exigendi uectigalis iura habituri uiderentur. Inclinauerat enim iam se annus ex seua hyeme, ac uernum tempus appetebat, ut armenta quæ niuis Præcutinorum Pelignorumq; montibus deducta, in herbis apricis Apulie campis hyemem absumpserant, à pastoribus reducerentur, qui non procul à Gargano monte quum transibant, portorium regijs publicanis persoluere consueuerant. Per eos dies quum Ferdinandus ad tentandas Virginij uires leuem armaturã, qua maximè ualebat, sepius emitteret, Franciscus Romanus sagittariorum equitum præfectus, & Theodorus Bocalus Græcorum dux non procul à sancti Seueri oppido cum Virginij equitatu prosperè conflixerunt: occisoq; Antiquario insigni architecto, & Morgante consauciato, pluribusq; alijs interfectis & captis, cæteros perterritos intra oppidi portam compulerunt. Quo successis Rex inuitatus, sequenti die omnes copias in conspectum oppidi instructis ordinibus adduxit, ut prius quàm Mompenserijs Vitellijq; cum Germanis in Apuliam descenderent, cum Virginio manus consereret, si temeritate hostium aut casu aliquo, pugnandi facultas præberetur. Quod si Virgi-

nus ad pugnam elici non posset, campos circumeundo ad-  
 pte possessionis portorij nomen apud pastores adsequere-  
 tur. Sed quum Virginius cauto innixus consilio munitis lo-  
 cis ac uinetis, quæ oppido iungebantur, se contineret, Ferdi-  
 nandus alterū propositū tenuit: circumuectusq; oppidum,  
 alas in pompæ morem explicando, ac ignauiam hostibus ex-  
 probrando, ita ut ex propinquo militum uoces exaudirentur,  
 Fogiam uictori similis est reuersus. Triduo post Mon-  
 penserius apud Casalem arborem, quod est oppidum Hirpi-  
 norum in radicibus Apennini positum, cum pedestribus co-  
 pijs, quæ ab Caieta ad se peruenerāt, castra coniunxit, depo-  
 sitisq; ibi maioribus tormentis, quoniā ad exigendū pecoris  
 uectigal, celeritate potius quàm uera ui opus esse putabat,  
 expedito cum exercitu in Apuliā descendit. Ei quoq; ab san-  
 cto Seuero obuiam progressi Virginius Baylinusq; Vitrius,  
 apud Syluam planam Troiani agri cum omni equitatu con-  
 iunguntur. Fit magna gratulatio tantis in unū coactis auxi-  
 lijs, Bussecus Germanus et Anzoltus Heluetius cohortes suas  
 producunt: explicatisq; uexillis ac instructis ordinibus eas  
 ostentant: ingressiq; in sermonem de Tarrensi pugna, con-  
 temptim de Italis, de se uerò ac Gallis magnificè proloquuntur:  
 omnibusq; de obtinenda non modo pecunia ex ipsa pos-  
 sessione uectigalis, sed de summa rei uictoria spes confirma-  
 tur. Erant enim in castris cataphracti mille centum, leuis at-  
 tem armaturæ equites circiter mille & quadringenti, pedi-  
 tum Germanorum ac Heluetiorum sex milia, Brutiorum  
 & Lucanorum quos Besennianus & Salernitanus addu-  
 xerant adiunctis Vasconibus, cohortes decem: quibus cum  
 minimè congressurus esse uidebatur Ferdinandus, prius  
 quàm Mantuanus cum auxilijs superueniret, quum & nū-

## PAULI IOVII HISTOR.

mero, & uirtute militum inferior haberetur. Erat eius exercitus trifariam diuisus: Fabritius Columna Troie presidio erat impositus. Prosper Columna Luceriam tuebatur: ipse ut diximus Fogie castra habebat. Gallis propter Luceriam ac Troiam iter erat contendentibus Manfredoniam, quæ Sipontus olim fuit, ut publicanos locumq; exigendi portorij præoccuparent. Iis in itinere obuij sunt septingenti Germani pedites duce Hederlino, qui Troia egressi, ut se cum cæteris Germanis Prosperoq; coniungerent, Luceriam petebat. Eos Fabritius monendo deterrendoq; ne se in tanta hostium propinquitate ad apertis præsertim locis sine equitatu committeret, multum fuerat obtestatus. Sed Hederlinus suorum uirtuti cõfissus, omne periculum stolidam temeritate contempserat. Itaq; patentibus in campis à Vitellianis, qui antecessores erant, circumueniuntur. Germani discipline memores, pectora obuertunt, ac in orbem depugnant, cominusq; prælongis hastis, eminus uerò sclopettis rem gerunt. Contra Vitelliani quum ordines frustra incurrendo perumpere conati essent, multiq; equi pilarum procella sauciarentur, balistis ac sclopettis uti cœperunt, sic ut quaternæ turmae sibiipsis in gyrum succedentes, orbem incedentium hostium sagittando perpetuo ordine circuirent, multiq; passim, quum nulla sagitta confertis frustra incideret, configerentur. In tanta prælij iniquitate Germani pertinacia ac rabie quadam incitati, quod neq; alicunde subsidium expectabant, neq; se in tanto emensi itineris spatio, si conseruatis ordinibus se recipebant, sagittarum uim tolerare posse iudicabant, aperto orbe circiter ducentos emiserunt, factoq; impetu in equites, eos pluribus interfectis disiecerunt. Periere eo concursu Cempersus nobilis Gallus Aletij in Salentinis regulus, item Petrus

trus Postius turmæ sagittariorum præfectus, & Busus insti-  
 gnis eques ueteranus. Sed quum Germanis nullus disciplinæ  
 ac uirtuti locus relinqueretur, absumpto præsertim omni  
 puluere sulphureo, quod & repugnantes extra ordinem mul-  
 titudine equitum opprimebantur, & densato agmine ince-  
 dentes, à circumfufis sagittarijs debebantur, desperata salute  
 ad Chilonem amnem peruenerunt. Ibi quòd solutis ordini-  
 bus propter impeditas ripas descendere erat necesse, Heder-  
 linus, què multis miserabiliter confixum sagittis exanimem  
 equoq; impositum summa pietate descerebant, à suis deser-  
 tur: ceteri incredibili peruicacia repugnando ad unum om-  
 nes interficiuntur. Eius celebris facti laus penes Camillum  
 Vitellum fuit, cui quum equus fuisset interfectus, & phare-  
 tras equitum exinuitas esse animaduertisset, cataphractos  
 descendere ex equis iussit, et cū ijs pedes in fluminis alueum,  
 ubi suprema Germanorum obstinatione pugnabatur, singu-  
 lari promptitudine se coniecit. Ea die sclopettarios equites,  
 quos Camillus suopte militari ingenio nuper instituerat,  
 tum primum in aciem et foelici quidem periculo productos  
 fuisse constat. Deletis iam magna ex parte Germanis, Liui-  
 nus cum ala subsidio Vitellijs aduolauit: alijq; deinceps, ac  
 alij duces: ipseq; demū Mompenserius atq; Virginius super-  
 uenerunt. Iacebant passim, uti incedentes sanguis uiresq; de-  
 fecerant, toto eo itineris tractu ingentia corpora Germa-  
 num ipseq; amnis, quanquam exiguas undas traheret, obice  
 cadauerum retentus, alueum cruentis aquis restagnantem  
 transeuntibus ostendebat. Eius cladis fama uno simul tempo-  
 re Luceriam, Troiam, Fogiamq; delata, Aragoniorum ani-  
 mos magnopere perturbauit, auxitq; Gallis ducibus auda-  
 ciam, quam nuper cunctarum uirium, opportuna coniun-



PAULI IOVII HISTOR.

Alione conceperant. Nec mora eo successu alacres rectè Fogiam pergunt, ut regem insultando ac pronocando ad certamen extraherent: Si fortè iuuenta uigore præseruidus ad periclitandas uires, potiore decoris quàm salutis cura duceretur. Sed Ferdinandus suorum ducum monitis obtemperare solitus, dispositis undiq; tormentis, copias ita eduxit, ut à mœnibus portisq; minime discederet: et Græcorum tantum leuis armatura, quæ ei erat mirifica, audacter emitteretur. Nanq; ijs ferme diebus supra mille egregij equites Venetorū pecunia conducti, è Macedonia Fogiam peruenerant. Horum alacri ac specioso admodum egressu confirmatus, defensusq; præsidio tormentorū, quæ in mœnibus erant, aliquandiu in acie stetit: atq; ea mora tam diu hostes futura pugna expectatione frustratus est, ut iam ipsum minime prælio defugisse appareret, & Galli ingruentibus tenebris, magno cum incommodo castra ponere cogerentur. Postero die Galli promotis castris, instructaq; & parata ad dimicandum acie, Fogiæ mœnia præteruecti, ad Deipara uirginis Coronatæ Fanum, quod in medijs nemoribus est positum, concesserunt. Tuncq; primum pristini erroris sui incommodum Mompenserius sensit, quod tormentis maioribus ad Casalem arborem relictis, præpropera atq; inani festinatione in Apuliam transcendisset. Nam omnium opinione constabat regem turpissime fugere, relictis impedimentis necesse fuisse, aut eum, si dignitatis iacturam quàm salutis potiore duxisset, expugnata nullo negotio Fogia opprimi potuisse. Sed is animo erat ad uictoriam adeò confirmato, ut quo Gallos magis despicere uideretur, falconum aucupio intentus Fogia exiret, & per eos campos ipso propè in conspectu hostium, incredibili fiducia uagaretur: ita ut quum semel omnibus

nibus de eius salute sollicitis, errabundus in multam noctem redisset, à Prospero singulisq; militum ordinibus, qui armati obuiam prodierant, tantæ temeritatis libera uoce reprehenderetur. Inde Galli ad armenta cogenda traducendaq; Liuianū cum leui armatura præmisere. Interim uerò Mantuanus è Samnio frequentibus nuncijs accersitus, Asculum Apulorum profectus est: ibiq; præsidio relicto, ad Ferdinandum in subiectis Fogiæ cãpis peruenit, à quo incredibili letitia, singulariq; totius exercitus alacritate susceptus est. Enim uerò nõ modo auxilia summæ spei, sed & famam pugna cissimi ducis attulerat: ad cuius nomen sæpius Galli duces excitabantur, qui ab eo belli initio Italos aliquanto consilijs quàm manu meliores esse persuasum habebant: uidebaturq; is nullam occasionem prætermisurus, quin ex æquo manus confereret, quum iam Gallicæ militiæ morem non modo tenere, sed contrarijs adiuuentis artibus propè contemnere diceretur. Coactis in unum ducibus qui in proximis erat præsidijs, & de tota belli administratione aliquot initis consilijs, statuerunt prælio supersedere, tueri circumiecta oppida, & iter per Apenninum in Campaniam atq; Neapolim aperire. Quoniam in Samnij uallibus pleraq; oppida uexilla Gallorum erexerant. Fiebatq; eorum atrocinijs & locorum opportunitate, ut commætus in Apuliam egrè conueheretur. Poteratq; ideò trahi bellum nullo metu amittendæ existimationis, quod undiq; auxilia à Venetis, Alexandro Pontifice maturè conuentura nunciaretur. Mantuanus nauandæ operæ cupidus, eam prouinciã ultrò sibi desumpsit: progressusq; cum Francisco Ursino Grauiæ regulo, regionis admodum perito, & Aragoniæ domui in primis fidei, celeriter Montem uiridem, Rochetam et Carbonariam

PAULI IOVII HISTOR.

in fidem recepit. Vallata quoq; oppidum in edito colle positum, magna vi atq; ira militum expugnata, trucidatisq; ad unum ferme omnibus oppidanis direpta, quòd Vallatenses agresti feritate in fide Gallorum perseverantes, primo statim aduentu ad colloquium progressos Alexium Beccatum, Aloisiumq; Alberum delectorum cohortis prefectum, & Crassum centurionem, missilibus uulnerassent, Suardinoq; etiam ex armigeris familiaribus nobili decoroq; adulescèti, aduersum os lapidis ictu deformassent. Vallatensium calamitate permoti populi omnes, qui Vicobisazam, Carifras, Guardianam, sancti Angeli castrum, Urbemq; Cidoniam incolunt, præmissis oratoribus, ad Aragoniam fidem redierunt. Idem paulo post fecere Pandinenses & Montecutani: totumq; id iter una atq; ea admodum celeri expeditione patrefactum est. Galli interea ad sanctum Seuerum innumerabilem pecoris multitudinem coegerunt. Verum quum pecuniam ex uectigali se exacturos sperarent, Ferdinandus uniuersum equitatum noctu Fogia emisit: accersitaq; leui armatura Mantuani, & tumultuario prælio pluribus simul locis initio, magnam pecoris partem auertit & abripuit eo euentu, ut Galli, gregibus in utriusq; partis militum prædam conuersis, et captis dispersisq; pastoribus, fugatisq; demum Publicanis, omnem penitus preoccupande pecunie facultatem amiserint. Erant, quod uix dictu credibile est, supra sexcenta milia minoris pecoris, maioris uerò circiter ducenta milia. Fuit eius editi facinoris spectaculum ualde deforme & miserabile, quum eo tumultu innocentissimorum populorum opes inexpectata calamitate conciderint. Videre enim erat milites inter se latronum more de præda decertare, armenta ipsa aspectu armatorum et concursu rapientium, metu con-

sternata

sternata undiq; diffugere: pastores uinctos trahi, tumultuo-  
 soq; contentionis genere cuncta permisceri: & quod propè  
 ridiculum erat, milites desperatione maioris lucri, oues rap-  
 tum detundere, alios iugulatas excoriare, ut lara ac pellibus  
 potirentur. Aragonij partem pecoris Troiam abegerunt,  
 Galli uerò multò maximam ad Garganū, atq; inde in Apru-  
 tij fines, ut dominis, qui Andegauensie factionis essent, red-  
 deretur, deduxerunt. Verum & ea pars pecoris paulo post  
 ab Aragonijs est direpta, quum fortè Gratianus et pleriq;  
 alij Andegauenses reguli, qui præsidio armentis satis incau-  
 te per Pelignos ferebantur, in Cantelmum populi comitem,  
 Traianumq; Sabellum incidissent, à quibus apud Pallenam  
 agri Sulmonensis tumultuaria pugna superati sunt. Mom-  
 penserius eo depulsus consilio, quòd neq; sibi neq; hosti uecti-  
 galis pecunia cesserat, ad Casalem arborem iter intendit, ut  
 sumptis sibi maioribus tormentis pristinam belli rationem  
 in repetenda Neapoli sequeretur. Ex itinere Colleonesium  
 oppidum post factam deditiōem Germanorū et Gallorum  
 crudelitate, trucidatis serè omnibus oppidanis & foeminis  
 ad libidinem abductis, deletum est. Petracallum quoq; haud  
 ignobile castellum, eandem seui impetus fortunam tulit: atq;  
 inde Casalem arborem per Apennini ualles est peruentum.  
 Ferdinandus interea apud Luceriam cum Mantuano castra  
 coniunxit: prouisoq; comiteo medium iter tenuit, ut ho-  
 stium uestigia sequeretur: nam duo omnino erant itinera,  
 quibus Galli diuerso consilio, aut Pelignos, aut Neapolim  
 per Samnitium fines petitori uidebantur. Sed ij spe potiundi  
 Beneuenti ad læuam deflexere. Verum, quum eam urbem,  
 & regio præsidio, & recentibus Ioannis Sfortie Pisaren-  
 sium reguli auxilijs firmatam nequicquam tentassent, retro

PAULI IOVII HISTOR.

Murconem abscessere. Regius uero exercitus ad Poctum ca-  
 stellum confedit: quò etiam Ioannes Gonzaga Mantuani fra-  
 ter, alam equitum suo ere conductam regi in auxilium ad-  
 duxit. Sequenti die Circellum oppidum à Gallis infeliciter  
 est oppugnatum: nam Camillus Vitellius, quum leuata admo-  
 dum ac segnis pugna à Vasconibus iniretur, & militibus  
 ignauiam increpitans, multis secum ex equis desilire iussis,  
 audacius muro successisset, lapidis ictu collisa uehementer  
 galea occubuit: uir profectò corporis ac ingenij eximij doti-  
 bus inter paucos etatis nostrae duces numerandus: si supre-  
 mos egregie uirtutis conatus, nequaquam tunc pro externi  
 regis amplitudine, sed pro seruiture mox Italiae libertate de-  
 uouisset. Camillo prostrato, cohortes occupatae metu, & du-  
 cum imperio reuocatae, retro pedè retulere, nam tum fortè  
 Mantuanus cū uniuerso leuis armaturae equitatu castra im-  
 prouiso adortus, interceptis undiq; commeatus subuectori-  
 bus, & ex numero uagantiū militum multis captis & inter-  
 fectis, magnam undiq; trepidationem intulerat. Quo spatio  
 temporis, oppidani qui egerrimè aquabatur, liberè egressi,  
 ex subiecto amne proximisq; fontibus aquam sumpserunt, et  
 nuncios de sua constantia ad regem protinus emiserunt. Eo  
 dem die Ferdinandus in ipso hostium conspectu, Frangetto  
 tormenta admouit, ut Galli amittendi eius oppidi, quod An-  
 degauensis nominis maxime erat studiosum, periculo addu-  
 cti, à Circelli oppugnatione discedere cogèrentur. Erant ei  
 oppido paulo antè presidio impositi circiter quadringenti  
 Vascones, qui quum murus haud multis tormentorum icti-  
 bus esset quassatus atq; disruptus, & propterea uehemen-  
 ter de sua salute dubitarent, admissio ad colloquium Cerbel-  
 lione, sese ac oppidum præter omnium opinionè extemplo de-  
 dide-

diderūt. Cerbellio nanq; uti supra docuimus, sub Carolo me-  
 ruerat, eorūq; noticia ac familiaritate adductus, facile per-  
 suaserat, ne supremos oppugnationis impetus expectarent:  
 ne dum sero oppidum præsidio ac mœnibus infirmissimum  
 tueri aduersus tanti exercitus uim stultè contenderent, ad  
 unum omnes pro aliena salute trucidarentur. Qua repenti-  
 na Vasconū deditioe mox effectum est, ut Galli duces, qui  
 reductis à Circello tormentis, Frangettanis auxilio ire matu-  
 rabant, utramq; & Circelli capiendi, & Frangetti pericu-  
 lo liberandi occasionem amiserint. Nam dum appropinqua-  
 rent, nō modo oppidum ab regijs occupatum senserunt, ue-  
 rùm discussa radijs solaribus matutina crassiore nebula,  
 quæ prospectum adimebat, tecta oppidi incendio fumantia  
 expropinquo conspexerunt. Quoniam Ferdinandus de ho-  
 stium aduentu certior factus, quā prælio decertare necesse  
 fore existimaret, nec milites prædabundi commessabundiq;  
 ullo militari signo proposito, educi possent, tectis faces inie-  
 cerat. Mompenserus contra oppidum molli in tumulto con-  
 stitit: & quanquam, uti consilio repente depulsis sepe acci-  
 dit, militibus eam quam modo pugne auidi ferocesq; attule-  
 rant, animorū alacritatem, refedisse cerneret, pugne tamen  
 signum multo tympanorum tubarumq; concentu edidit. In-  
 tererat modica uallis inter Frangettum & castra, in quam  
 primò Gallis erat descendendum, mox uerò haud multum la-  
 to aditu per collis dorsum in planiciem ad oppidum perti-  
 nentem, ubi regiæ copie confederāt, erat euadendum. Is adi-  
 tus utriq; deiectus habebat inæquales & abruptos, nec tan-  
 tum spatij uie militaris in medio relinquebatur, ut exerci-  
 tus expansa acie subire posset. Verum Mompenserus atq;  
 Virginius quo minus ad hostē extemplo contenderēt, nulla

## PAULI IOVII HISTOR.

eius loci iniquitate deterrebantur, quum Germanorum Helueticorumq; uirtuti plurimum considerent, et multis de causis reliquas spes omnes ad unam eius prelij fortunam omnino periclitandam recidisse conspicerent. Contra autem Persius, Paulus Ursinus & Liuianus, insanie uel ultime desperationis consilium esse diserebant, milites astu ac itineris labore fatigatos iniquissimo accessu recētibus hostibus, qui loco opere munito se continerent, ac oppido potirentur, obiecta re: non defuturam mox occasionem ex a quo confligendi, nisi tum Germanorum ac Helueticorum alacritate penitus abuterentur, qui campestribus in locis, si signa conferrent, hostilem acie cecis nuper ad Lucerum fortissimis Germanorum cohortibus uehementer attenuatam, nullo negotio prostraturi uiderentur. Tum uero Ferdinandus et Mantuanus uultu quidem alacres, sed intimis sensibus maxime suspensi, milites ad signa uocare, acies idoneis locis instruere, non modo duces atq; prefectos obsecrare ac obtestari, uerum singulos quoq; milites nominatim appellando cohortari, ut pro salute omnium, pro libertate dignitateq; Italiae, pro premijs, quae singulis ex amplissimi regni opibus promissa essent, forti animo consistere, & strenue manus conferere uellent. Sed ea erat insita Aragoniorum animis de externo hoste uirtutis et crudelitatis opinio, ut pleriq; praeda onusti, ardentibus ac semiuertis in telis se conderent, aut turpi fuga dilaberentur: necesseq; esset regem ipsum sua manu alios laqueo suspendere, alios intentato gladio uulnerare ac interficere. Interim Prosper atq; Fabritius qui antea in postremo agmine curarant, e uetere disciplina, fossam in fronte eius planiciei transuersam tumultuario opere perduxerunt: quae tametsi latitudine erat mediocris, nec moratur a hostium im-

petunt

petum uidebatur, ob id tamen magno usui fuit, quod terrenum in aduersum fossæ labrum de more eiectum, specularibus Gallis amplioris munitionis speciem procul ostendebat. Iam leuis Gallorū armatura, & ex aduerso Græcorum turmæ pugnam clamoribus cientes in subiectā uallem deuolarant: ipsēq; Virginius quanquam ætate ac obeso corpore ualde grauis, undiq; tamē armis protectus ac paludatus, ad cohortandos milites processerat, quum Heluetij merita stipendia & donatiuum certaturis dari solitum deposcere ceperunt, qua inopinata ac planè flagitiosa cunctatione, paratorum ad pugnam ducum & militum impetus est retardatus. Iis porro creuere animi, qui dudum aduersus summos duces ineunde pugne consiliū improbarant. Itaq; quū semel auarè & turpiter consternata legionis animi, uel multis pecuniæ pollicitationibus egrè pacarentur, ingentis uictoriæ occasio à Gallis amissa uideri potuit. Ferūt Heluetios per se specie amplioris hostiū munitionis deterritos, etiam Persuui obliquis artibus, apud quos ille autoritate plurimum ualebat, ad detestandum certamen fuisse inductos: Quod ille supra uerum decus ad Seminariam atq; Ebulum insigni uirtute partum, nouā ac inanem gloriam ex Mompenserijs emuli sui fœlicitate turpiter quesuisse diceretur. Virginius nequicquam Heluetiorum, qui ad eò impudenter summi imperij iussa cōtemnerēt, ingenia detestatus, quū è manibus eripi sibi uictoriā quereretur, uti uerus uates calamitosi exitus, fatales lachrymas tenere nō potuit. Sequenti die Galli uictis similes Murconem atq; inde Andrettam signa uerterunt, ut in fines Hyrpinorum & Lucanorum proficiscerētur. Ibiq; amicarum ciuitatum studijs & fertilissimæ regionis copijs freti, reliquum æstatis extraherent, donec ampliora prest-



PAULI IOVII HISTOR.

dia pararentur. Andegauenses autem reguli Besennianus, Salernitanus et Compsanus, siue desperatis rebus, siue ut ipsi dicebant ad accersendum e Brutijs, Obegninum, nouosq; exercitus comparandos in sua ditionis regiones discesserunt. Abeuntibus Gallis, Fabritius Columna, uti erat alacri pugnaciq; ingenio, Insistamus inquit abeuntium tergis, more militie maxime tuto decoroq;, ut qui ultrò abeunt, ui pelli fugariq; uideantur. Nec mora rege Mantuanoq; approbantis, tanta uis equitum nouissimum agmen persecuta est, ut quum Gallicus equitatus undiq; insultantes ac urgentes agerrime sustineret, Heluetij et Germani scloppetarij à media acie deducti, in terga agmen claudere ac lacescentes sum mouere cogerentur. Ferdinandus interea æquioribus locis exercitum ita ductabat, ut nec à uestigijs, nec à cõspectu hostium abscederet: præmissaq; leui armatura eos omnibus partibus sectaretur: sæpeq; fiebat, uti ex eodẽ flumine aquarẽtur, leuiusq; cõtinuè commissis certaminibus, Galli cataphracti galeati intentiq; in pugnam in summis solis feruoribus magno cum incommodo distinerentur. Tertio die Ferdinandus in conspectu hostium Gesualdium Compsani reguli oppidum expugnauit, arcemq; recepit, quum forte miraculo quodam uni e custodibus e summa arce Gallicum uexillum uibranti, falconis pila, brachium cum uexillo fuisset abreptum. Eodem die Galli haud multum ab tergo lacesciti, Atellam Hyrpinorum oppidum concesserunt: primoq; aduentu oppidi arce, quam Gurellus Caracciolus auaritia insanis, ut præsidij stipendium interuerteret, custodiendam acceperat, absq; ullo certamine potiti sunt. Eos Ferdinandus Andreta, Paternoq; ex itinere receptis biduo post cum toto exercitu atq; apparatu tormentorum est consecutus. Gallis in Atellam compulsi,

compulsis, uaria ab ducibus ad gerendum bellum consilia agitabantur. Virginius eius tum belli euentus sepius diuina mente presentire solitus, nisi mature inde mouerent castra, Atellam ipsis, quae Capua quondam Poenis extitisset, haud dubie futuram testabatur. Quando ea uini rerumq; omnium copia, qua adeo licenter ac auidè milites uescerentur, omnem corporum ac animorum uigorem prius extinctura uideretur, quam è Gallia terra aut mari auxilia superuenirent. Ex aduerso regem hostem, qui mox tota mole exercitus undique oppidum esset circumfessurus, Hispanos & Consaluum magnum ducem è Brutijs nouaq; ab Pontifice auxilia propediem expectare, nec obsidionem tolerantibus in tam longinqua spe auxiliorum, commeatū exigui oppidi, quam multus esse uideretur diu sustenturum: milites enim, externoq; praesertim qui ex alieno penu largè prodigèq; conuiuarentur, sero uel praescripta dendum uictus ratione, futuram penuriam praecauere consueuissent: nec ullum ab ijs qui mercenarij essent ac inter se moribus linguaq; differrent, erga duces in perferendis obsidionis incommodis, obsequium sperari, quum modo in acie ad classici signum adeo insolenter atque obstinate dicto audientes esse noluerint: Venusiam unis castris contendere posse, ubi ad trahendum bellum commeatum affatim & pulueris sulphurei pilarumq; & tormentorum apparatus essent inuenturi. In tergo quoq; esse pleraq; oppida arte ac natura locorum permunita, eximia tum fidei tum fertilitatis Andegauensium regulorum, ac patere expeditum iter commeantibus in Lucanos & Brutios: nec diu moraturos regulos quin coactis & iun-ctis cum Obegnino ualidis copijs ad se reuenterentur. Si id consilij extemplo caperent, integra adhuc spe, nec iniqua

PAULI IOVII HISTOR.

*fortuna gesturos bellum: at si cunctarentur, & sententijs  
 disiderent, ipsos non multo post sese ac legiones regi, cum  
 ex merito implacabili atq; acerbissimo hosti, tum ex natura  
 familie crudeli ac seuo sub iugum mittendas: et quot Dij  
 auerterent, sub fide maectandas præbituros. At Mompense-  
 rius probare quidem consiliū prouidentia militaris plenū:  
 sed militem stipendia merita flagitantem, consternatum ad-  
 huc, aliena tumq; ab ducibus circumducere, quotidianisq;  
 minutis prælijs obiectare, multo periculosius uideri: Ger-  
 manos robor esse totius exercitus, gentem ex leuibus sæpe  
 offensionibus turbida consilia agitare solitam: equiore eos  
 animo stipendiorum dilationē perlaturus, si in oppido omni  
 cibarium genere affluenti gratuito alerentur. Quod si in  
 itinere ab innumerabili hostium equitatu aliquo adficeren-  
 tur incommodo, & in congressibus cum consanguineis suis,  
 qui apud regem militarent, colloquerentur, facile futurum  
 esse, uti belli tedio et regijs pollicitationibus repentina dese-  
 ctione ad hostem transirent: quarum rerum occasio munito  
 oppido se tenentibus omnino tolleretur. Neq; se dubitare  
 quin prius quàm omnem absumeret comæatū, certi nunciij  
 de aduentu classis atq; auxiliorum in castra perferrentur.  
 Alienum namq; esse à iudicio fortissimorum uirorum, si pu-  
 tarent Carolum regem cunctosq; Gallie principes, omnem  
 penitus rerum humanarum memoriā amisisse: adeo ut su-  
 bita mentis commotione, uel inaudita segnitie atq; socordia  
 oppressos, ciuium, fratrum, consanguineorum, amicorum,  
 cõmilitonumq; suorum, salutem neglectam ac perditam ue-  
 lint. An non audistis inquit quanto ardore, quantoq; appa-  
 ratu Galli duces ab Narbona Hispania fines irruerint, Sal-  
 sularūq; munitissimo in Pyrenæis propugnaculo ui capto,  
 Catela=*

Catelanorum nobilitate trucidata, quantum bellum hostiū  
 nostrorum scederatis intulerint? Maiore profectò cura inco-  
 lunitatem nostram respicient, qui ut in Italia hostibus Ara-  
 gonijs Hispanorum auxilia detraherent, finitimam natio-  
 nem animis uiribusq; potentem, ultrò armis laceffere mini-  
 mè dubitarunt. Virginius postquam ex Gallorum omnium  
 sententia Atellæ commorandum esse uidit, ut ipse cum Ita-  
 lico equitatu in Brutios mitteretur, suadere cōuius est, quod  
 ij qui Atellæ remanerent, ipsius discessu ampliore copia cō-  
 meatus potituri essent. Andegauenses quoq; inquit reguli,  
 me cohortante & bellum iustis uiribus administrante, ala-  
 crius copias cogēt atq; euocato ex ultimis Brutiorum fini-  
 bus Obegnino, ad Atellam obsidione liberandam maiore  
 studio reuertentur. Sed Galli cōmuni sorte fortunam, quæ-  
 cunque ab Dijs pararetur, subeundam esse succlamarunt.  
 Quoniam suspiciosi homines Virginium durioribus, quæ  
 imminerent belli difficultatibus, sese ac suos explicare po-  
 tius cupere, quàm salubri consilio futuris malis remedia pa-  
 rare existimabant. Interim Ferdinandus iuxta oppidū Cal-  
 litras, editum montē, qui à septentrione Atellam & subie-  
 ctos despectat campos, munitis castris occupauit. Atella qui-  
 dem in æqua planicie posita est: Sed cum mille fermè passus  
 ab oppido recesseris, perpetui montes in altitudinem sex sta-  
 diorum molliter assurgunt, non omnino ardui, uerū agri-  
 colarum industria impediti atq; difficiles, quum passim in  
 ipso ascensu æquiora loca per gradus aratris proscindātur:  
 cetera uerò quum frequentibus uinetis tum frugiferis arbo-  
 ribus pulcherrimo artis atq; naturæ ordine ita uestiantur,  
 ut ab tribus fermè lateribus, oppidum in orbem cingant, et  
 in medium relicto camporum spatium, ingentis theatri spe-

PAULI IOVII HISTOR.

ciem spectantium oculis representent. A leua urbs Melfi-  
 eta conspicitur: à dextra ubi Compsana est uia, deſiſſimæ oc-  
 currunt ſyluæ: ab occaſu æſtiuo, amnis decurrit paruus qui  
 median planiciem irrigat, latoq; circuitu Atellam præter-  
 lapſus, coarctatusq; anguſtiore alueo, frumentarias agit mo-  
 las, atq; inde effuſus in Auſidum amnem euoluitur. Ab or-  
 tu Ripa candida oppidum Venuſinæ uix impoſitū eſt, qua  
 ex parte libere Galli frumentari pabulariq; poterant, quòd  
 Ripa candida eorum præſidio tenebatur, omnesq; finitimi  
 populi Andegauenſium rebus maxime ſtudebant: ab alijs  
 uerò partibus propter leuis armaturæ equitum multitudi-  
 nem, niſi magnis cum præſidijs ſummoq; periculo exire ac  
 longius euagari nõ licebat. Græci enim inſidioſi expeditiq;  
 homines è ſummis collibus ſeſe ſenſim demittebant, & quo  
 minus ab hoſte conſpicerentur, equos loris pertrahabant,  
 arboribusq; & uinetis condebantur: quum uerò Galli pa-  
 bulatores oppido exhibant, improuiſi ex omnibus locis euo-  
 labant: atq; omni re superiores, cum Gallis diſperſis atq;  
 perterritis in ea planicie præliabatur: eoq; audaciæ ſucceſſu  
 quotidiani certaminis erant euecti, ut non modo Gallorum  
 equitum arcus, Italorūq; baliſtas contemnerent, ſed cata-  
 phractorum integras turmas ob longis ac inflexis protecli  
 clypeis, adoriri, & cominus equos admittere auderent. Fie-  
 bat enim equorum pernitate equitandiq; peritia, ut ſæpe  
 Galli cataphracti, quum inſolētius appropinquantes repri-  
 mere magna ui contenderent, ab inermibus circumuenti ce-  
 leriter opprimerentur. Tormenta quoq; maiora editiori-  
 bus locis oportune collocata, & ad conſpectum excuntiu  
 agminum emiſſa, nihil tutum in ea planicie relinquebant.  
 Dum hæc initio obſidonis ſunt, Conſaluis cum centum  
 cataphra

cataphractis, quingentis uero Hispanis scutatis equitibus,  
 & duobus milibus Hispanorum peditum in castra perue-  
 nit. Is superiore hyeme in Magna Graecia pluribus oppi-  
 dis atq; urbibus Gallos expulerat, Scyllaccum, Sybarim,  
 Crotonem, Semenariam, Neocastrum, Terranouamq;  
 ui aut uoluntate receperat. Inde initio statim Veris Con-  
 sentiam progressus, Gallis acie pulsus, eam urbem ceperat:  
 domitisq; agrestibus, qui Cratis annis ualles incolunt, ad  
 Laynum oppidū, Andegauensum partium copias, inter-  
 fecto Americo Sansuerino earum duce, repente adortus op-  
 presserat: ommissosq; Obegnino et reliquis regulis, ab Ferdi-  
 nādo Alexandroq; Pōtifice euocatus, Atellā iustis itineribus  
 cōtenderat, iudicans in Brutijs hostiū reliquias facile posse  
 debellari, si hostes ubi maiore belli mole regem urgerēt, per  
 quā mature uincerentur. Igitur primo aduentu locorum  
 sitū stationesq; hostium speculatus, non longē à frumētarijs  
 molis confedit: ac mox uti erat in prouidendis perficiendisq;  
 rebus ingenij maxime praestantis & celeritatis eximia, pro-  
 fessus est, se non prius milites cibum capere permissurum,  
 quā praesidium quod ad molas erat expugnarent. Nec  
 mora Hispanis bipartitō ad munitiones signa ferentibus,  
 strenueq; irrumpentibus, praesidium Gallorū deiicitur: mul-  
 tisq; cū in ipso certamine tū in fuga trucidatis, machinarū  
 molares lapides, rotæq; lignae perfringuntur. Ea res Gallorū  
 animos magnopere cōterrui, quōd ab nouo hoste primo sta-  
 tim eius aduētū in oculis ipsorū penē prius cōfecta fuerat,  
 quā ab oppido prouideri succurriq; potuerit. Triduo post  
 equitatū quē Alexander Pōtifex mittebat, Petrus Gonzaga,  
 et Nicolaus Gābara alarū duces in castra perduxerūt: Super-  
 uenit quoq; Philippus Roscius Venetæ militiæ equitū præ-  
 fectus

PAULI IOVII HISTOR.

fectus: qui in transitu Sorani saltus à Gratiano Guerra impeditentis & magna parte equitum exutus fuerat: nouerq; ab Neapoli Italorum cohortes quotidie mittebantur. Regijs, aduentu auxiliorum spe ac uiribus aucti, maiore studio atq; fiducia, Gallorum pabulationes frumentationesq; obseruabant, ac euectos procul ab oppido, quum proximis euastatis agris longius necessario procederent, ex omnibus locis adoriebantur, magnisq; incommodis afficiebant. Nam sepe pulso fusoq; presidio, & multis sarcinarijs iumentis cum toto calonum grege simul interceptis, non quotidiana modo, sed singularum propè horarum exercitatione in castra reuertebantur. Quibus detrimentis Galli duces, quantum ratione prouideri poterat, pabulatoribus magna addendo presidia, explorando loca & idonea tempora, quibus hostes corpora curarent, captando, diligenter occurrebāt. Sed ijs innixi consilijs, quum iam necessariarum rerum inopia sentirent, & Gallorum Germanorumq; corpora in magna recentium obsoniorum uiniq; penuria, immoderatis aestibus conficerentur, tertiam equitum partem Venusina uia emittere statuerunt. Itaq; Nonis Sextilibus, delecto ad fallendos hostes meridiano tempore, quo maximè, uti in seuis Apuliæ feruoribus accidit, iumenta atq; homines ab omni militiæ munere quiescebant, Pauli duo, Vrsinus atq; Vittellius sub signis agmen educunt. Conspiciuntur Galli undiq; è summis iugis, & totis castris ad arma conclamatur. Alexius qui in statiōe erat, frenatosq; equos sub tugurio lis umbraculis atq; tentorijs continebat, cum leui armatura Italica primus procurrit. Contareneus Græcis conscendere equos iussis, extemplo subsequitur. Ipse Mantuanus statim arma induit, et cū reliqua expeditorū equitum multitudine ad

ad hostes contendit: Conseritur ingenti tumultu magnisq; clamoribus prælium. Pauli desato agmine incedunt, circumuentiq; ab omni parte neminem acie excedere permittendo, fortiter depugnant, ita ut tantæ multitudinis impetus egregie à cataphractis sustineretur. Sed dum Græci à fronte, à tergo, latereq; omni acrius ac insolentius lacesunt, atq; agmen totum demorantur, fortè Perusinus eques cataphraclus, natura ferox & quietis impatiens, appellatis proximis equitibus tribus, ut insultantium arrogantiam unà supprimerent, intèta hasta in medios hostes incurrit, Græcumq; equitem eo impetu transfigit. Idem ceteri sæliciter audent, totumq; proximum hostium globum propellunt. Sed illi ex fuga maiore denuum audacia in hostes reuertuntur. At dum Perusinus ceteriq; agrè se explicant, & recurrentes à suis recipiuntur, laxatur agmen, mirumq; dictu, Græci equites in medios cataphractos se celeriter insinuant: momètoq; temporis cuneata acie totum eorum agmen aperiunt, atq; perturbant. Tum uerò in maxima nube eleuati pulueris atrox prælium committitur, cohortante atq; urgente acriter Mantuano Gallorum uexilla sternuntur, & supra trecenti utriusq; armaturæ equites interficiuntur aut capiuntur. Vrsinus autem atq; Vitellius cum confertissima delectorum turma sese ab circumfusis Græcis eripiunt: beneficioq; Liuiani & Iordanis Virginij filij, qui subsidio cum duabus cataphractorum turmis adcurrerant, impetumq; persequentium retardarant, seruantur: reliqui uerò omnes in oppidum ex fuga pauidi compelluntur. Ea die Græcorum Italarumq; leuis equitatus maximam uirtutis opinionem apud omnes uindicauit, qui tot cataphractis oppositus, nullo peditum aut grauis armaturæ subsidio, tantum facinus singulari sælicitate



## PAULI IOVII HISTOR.

peregisset. Non multo post Ripacandidam pedestres copie cum tormentis ductæ: repulsæq; primo in certamine Consului cohortes. Erant ij ex ultima Hispania Callaici Oceano proximi, quibus eo tempore in uniuersum scuta erant ingentia breuesq; tragulæ: alijs parui umbones ferrei cum hastilibus prælongis, ab hoc inepto armorum genere cunctis ridiculi: sed qui ab audacia & corporis agilitate minimè contemnendi uiderentur, Callaicis à muro sædè repulsis Crassus cum ueteranis Italis successit, et secundum eos Cantabri, ac reliquæ demum Italorum Germanorumq; cohortes: paucisq; horis oppidum pari propè uirtute ac pertinacia defensum atq; expugnatum est. Ripacandida hostibus adempta, Ferdinandus è superioribus locis in aduersam planiciem transtulit castra: & ad intercludendum iter Venusina uia confedit, duasq; res hostibus maxime aduersas, ea castrorum mutatione est consecutus: nam occupato & planè obstructo aditu, qui antea commeanibus liber erat: et recipiendi comæatus ab Andegauensibus populis, & Venusiam euadendi, spes omnis hostibus erepta uidebatur, promotisq; in oppidi conspectum castris, hostes grauiore in dies obsidione premebantur. Iamq; ad eas rerum difficultates Galli peruenerant, ut quum molis paulo antè uis hostium perfractis farina deficeret, singuli panes singulis Regalibus denarijs uenirent: & gregarij milites fabis coctisq; tritico uescerentur. Aliud quoq; incommodum iam penè subactis accesserat, quod nisi summo cum periculo magnisq; adductis præsijs aquabatur: quum ex eodem amniculo utriusq; exercitus iumenta potarent: Fieri q; non posset quin ad accessum tantæ multitudinis mulionum & militum, incredibili contentione omnibus horis in ipso flumine certaretur. Galli in parte fluminis propin-

quiore

quiore dolia uinaria lapidibus plena medio in uado collo-  
 carant, adiectoq; aggere profluentem exceperant, ut plenio-  
 re alueo & tutiore loco aquarentur. Ibi quaterna uexilla  
 Heluetiorum & Germanorum perpetua in statione excu-  
 babant: aquatoribusq; quum hostis urgeret, ex propinquo  
 celeriter auxilium ferebant. Forte inclinante in uesperam  
 sole pugna solito tumultuosior ad aquã, crescentibus utrinq;  
 auxilijs, erat accensa: eoq; res summo contentionis ardore  
 processerat, ut neutra pars sese inde explicare atq; recipere  
 sine magno incõmodo singulariq; infamia posse uideretur,  
 quod regijs qui audacter flumen trãsterãt difficilis in equo-  
 ribus locis receptus dabatur, et Galli, si locum pulsã reliquif-  
 sent summo cum dedecore cuncta exercitus iumenta paulo  
 post siti interitura existimarent. Aderat spectator pugne  
 Ferdinandus, qui quum Germanos pro numero admodum  
 fortiter rem gerere animaduerneret, Annibalq; Pandonius  
 Camilli filius ante oculos esset interfectus, & Octavianus  
 Columna insignis adolescens ex equo deturbatus, in summo  
 uitæ periculo uersaretur, quin subsidio suis ire contenderet,  
 minime dubitauit: delatusq; in pugnam cum lectissimis fami-  
 liarium equitũ, Germanorum ordines perripuit, duabusq;  
 primis cohortibus cataphractorum repentino turbine dis-  
 sipatis, reliquos in fugam coniecit: qui quum ad oppidum se  
 reciperent, Ioanne Spinello nobili iuvene obliquum iter re-  
 gijs monstrante à tergo circumueniuntur, ac passim undiq;  
 irruente, & confestante equitatu trucidantur. Tantus uerò  
 terror eo tumultu hostibus illatus est, ut Galli qui in oppidi  
 porta stationem agebant, nulla Germanorum in fuga pere-  
 untium misericordia adducti, præ timore obseratis ualu-  
 complures excluderët, & eos ante portã crudeliter interficã

## PAULI IOVII HISTOR.

pateretur. Periere eo praelio amplius trecenti Heluetij, Germaniq; et ferme totidem capti, uexilla duo relata, aliquotq; aurei ac plures argentei torques, et operosi ex argento emblemata, quibus plumeas cristas in pileis induebant, occisis captiuisq; detracta. Repertus quoq; est Germanus signifer amputata dextra manu, & leua fœdo uulnere discissa, uexillum mordicus retinēs, ita ut in uestigio inuictæ uirtutis expirasse uideretur. Post id factum Germani paulatim ad regem transire cœperunt: quos prolinus intercessione eorum, qui apud se militabant, in supplementum cohortium duplicatis stipendijs adscribebat. Meleager quoq; Foroliuiensis equitum præfectus, multis antea à Gallis affectus contumelijs, ad Mantuanum transiuit: adeoq; tum aduersis praelijs, tum crebris transfugijs, uti in suprema rerum desperatione contingit, Gallorum copiæ erant extenuatæ, ut iam Galli atq; Heluetij in coronis passim, & absentis Caroli regis, & presentium ducum nomen maledictis aperte lacerarent: quod hi malignis prauisq; desensionibus, tot fortissimos milites toties uictores, è summa spe uictoriæ, in eas calamitates morte ipsa duriores adduxissent. Ille uerò nefaria segnitie atq; infami negligentia, tot milia benemeritorum de semilitum, contra fidem datam omni ope destituta, in ultimis Italiæ finibus ab insensissimo rege trucidanda reliquisset. Has militum querimonias acerbioresq; sermones Persiuus excipiens, utpote qui res maximè afflictas ad inuidiam aliorum ducū uertere cupiebat, bono, inquit, animo estote mei commilitones: Nam postquam Fortuna suo more mutabilis, & nusquam fida consilijs nostris illudens, nos omnes huc compulit, dabo operam, ut me sequestro, conditiones ab hostibus, nec Gallico nomine nec superioribus uictorijs nostris,

indignas referatis. Quod si illi crudelius sanguinem nostrum  
 exhaurire quam moderata potiri uictoria maluerint, effici-  
 am profecto, ut uos qui mecum hos ipsos sepius sine uestro  
 uulnere cecidistis, si à Dijs omnino deseremur, implacabili  
 hosti uictoriam longè omnium luctuosissimam relinquatis.  
 Quibus dictis, pauca ad duces in prætorio prolocutus, ma-  
 ximo militum assensu ad amnem contendit: & præcone trans-  
 misso, regem ad colloquium euocauit: Nam & pridie quæ-  
 stor Gallus apud regios milites captiuus, quum fide data ad-  
 cogendam pecuniam qua redimeretur, ultro citroq; com-  
 mearet, de compositione loqui cœperat. Itaq; concursis  
 multorum facto, & rege alacriter prodeunte, Persiuus ab  
 ulteriore fluminis ripa, in hunc modum loquutus est. AEquum  
 uidetur, inquit, Ferdinande, ut ego ante omnes Gallos, qui  
 duabus illatis cladibus, res tuas afflixerim, hodie gratissimum  
 tibi de optima spe futuræ pacis nuncium feram, ut hoc meo  
 insigni erga te officio, ueteres iniuriæ penitus expientur.  
 Trium dierum inducias postulo, ut commodè deliberando  
 de compositione agi possit. Conditiones uerò tales erunt, ut  
 nos aliquanto maiore uirtute cepisse hoc regnum, quam re-  
 liquisse uideamur: Et tu toties acie uictus, egregium uicto-  
 ris titulum feras. Qui uerò speratam uictoriam nulla dubij  
 euentus æquitate præfiniunt, summa & immoderata cupi-  
 entes, sepe aduersam, non semper æqui Martis uim experi-  
 untur. Proinde si amici socijque tui ferocius loquentes, ani-  
 mum à pace alienum ostenderint, impudenter feceris, quum  
 alieno arbitrio in ipsa summæ rei tuæ causa periculosum  
 consilium sumes. Potior enim est moderata sine uulnere ui-  
 ctoria, quam eadem si decertes & uincas summæ optima  
 eruentaque. Consilium meum propterea ne spreueris, quod

PAULI IOVII HISTOR.

non uoluntate atq; iudicio, sed ultima expressum necessitate uideatur. Nam publicus hostis salubria tutaq; consilia aduersarijs aliquando tulit. Sed de pace bellouæ quæcunq; mens tua fuerit, quod dederis alacriter accipiemus: nam inuictos Gallorum animos, & ad utramq; fortunam egregiè paratos inuenies. Ferdinandus ad ea respondit: diuina fieri iustitia, ut qui primi bellum iniquè & arroganter intulerint, supplices pacè petant: Sed porrò quod totius iniuriæ obliuisci malit quàm non omnino clementiæ ac humanitatis meminisse, planè pacatū pronunq; animum ad completendam pacem ostensurū: quanquã ex nature suæ lenitas neq; utilis neq; decora quibusdam uideri possèt, uel ob id quòd ipse non ignarus militiæ, & profligatas Gallorum uires, & spes omnes penitus accisas præclare conspicit, ita ut bellum funesto hostium exitu propediem se finiturum speret. Cæterum generosi propositi summam esse, ut eos qui etiam crudelius uictoriã exercuerint, incolumes uelit: modo conditiones accipiant, quas ex sententia ducū suorū, qui essent uiri summæ æquitatis paulo post daturus esset. Dirèpto colloquio sequenti die Liuianus, Bertanus Manglos, Petrus Cræstus, Busfecus, & Anzoltus, cū summis de pace mandatis ad regem mittuntur: breuiq; disceptatione res his legibus uigesimo septimo obsidionis die componuntur. Mompensarius atq; Virginus, nisi iusta obsessis auxilia intra trigesimum diè alicunde summittantur, cū omnibus copijs Gallias se profecturos promittūt. Tormenta ænea, equosq; omnes regia nota in scriptos relinquēt: omnes regni arces restituent, præter Terētiam, Venusinam, & Caietanã, quibus discedens Carolus custodes præfecisset, tesserasq; acceptæ fidei in Galliã detulisset: Captiui utrinq; sine pretio redderē

tur, ac Obeguinto Gratianoq; & omnibus regulis Andegauensibus, qui in partibus Gallorum essent, eius foederis beneficio uti liceret. Rex interim comatus ac naues quibus transportaretur, expediret, ut intra statutum tempus in Galliam enavigare possent. Ut haec porro firma rataq; sint, singulorum nationum obsides dantur. Pro Gallis Persius, Baolinusq; Vitrius, & Aloisius Arsius: Pro Italis Pauli duo, Ursinus atq; Vitellius: Pro Germanis Brocardus: Pro Helueticis autem Hescuia, primarum cohortium praefecti. Traianus uero Papacanda Neapolitanus, & Leoninus Tyburs Virgini medicus, ut rerum exitum Carolo regi certius demonstraret, & inite ad Atellam pactionis tabulas deferant, in Galliam abire permittuntur. Ex aduerso autem, Ioannes Borgia Cardinalis pro pontifice, Consalvus pro Ferdinando Hispaniarum rege, Paulus Capellius pro Veneto Senatu, Franciscus autem Casatus pro Ludouico Sfortia, regem cuncta quae ille promississet Gallis integra fide praestaturum ceperunt. Rebus in hunc modum compositis, Persius equum illum ab incredibili praestantia supra ceteros omnes maxime celebratum, Ferdinando restituit, cuius lapsu regem in pugna ad Semnariam penè oppressum & captum à Gallis fuisse memorauimus. Postero die Ferdinandus mouit castra, & ex itinere Arrianum recepit: Sansseuerinum interfectis defensoribus expugnauit. Inde Salernum profectus urbem & arcem, septimo die in deditioem accepit. Interea Gallorum copia Castellum quod ad mare dicitur, iuxta ueteres Stabias peruenere: pars eorum in Baianum sinum delata est. Quibus in locis, quod tum ad mare grauis erat autumnus, & Gallorum Helueticorumq; corpora aestibus ac siti maxime obnoxia, quum uino & uuis, omnisq; generis, pomis dissoluta

PAULI IOVII HISTOR.

quoddam uitæ genere, immoderatus indulgerent, tanta uis morbi eos inuasit, ut infinitis propè funeribus ea littora complerentur. Mompenserus ante alios, quum seruari & abduci inuitante Mantuano cuius sororem in matrimonium habebat, recusasset, ne exercitum turpiter deseruisse uideretur, Puteolis interijt. Similiter Vitrius Baylinus, & Anzoltus uentris profluuiio perierunt. Fuere ex Gallis qui uina ueneno infecta ab Aragonijs sibi uendita dicerent: quorum etiam opera naualem apparatus, interpositis quotidianis difficultatibus, ut nemo in Galliam rediret, retardatum esse querebantur. Sed eius sceleris suspicionem celeriter extinxit insingnium uirorum interitus: quum iisdem ferme diebus exercitus Aragonius pestilenti propè ualitudine tentatus, Contarenum & Crassum & Bartholomeum Georgium Venetæ classis præfectum amisisset, & ipsi Mantuanus & Paulus Capellius, & pleriq; alij uiri fortes seuis impliciti morbis summum uitæ periculū adijissent. Reliqui Galli atq; Heluetij nauibus impositi, quum quibusdam solles tubiq; spiritales ad exhauriendam sentinam, & quibusdam armamenta deficerent, iactati etiam aduersis tempestatibus, partim naufragiū fecere, partim Genuæ omnibusq; Prouinciæ portibus, quòd navigationis tedia ferre non poterant, contabefactis corporibus, interierūt. Germani uerò magna ex parte consanguineorum suorum beneficio non modo seruati sunt, sed regijs stipendijs additi. Reliqua tot nationū inutilis multitudo nauibus minimè recepta miserabili errore rerum omnium egena, per omnem Italiam conuersa ac illudentis fortunæ spectaculum præbuit. Vrsinorū quoq; copiæ, quum pacatum eis iter, ut in Romanū agrum redirent, regio diplomate Ferdinandus prestitisset, in Pelignis

lignis Alexandri pontificis iussu, ab Guidone Vrbinatiū regulo, armis & equis exuta sunt, captiq; Liuianus & Iordanes. Sed Liuianus fide data, quū liberius costodiretur, per fenestram noctu euasit. Iordanes uerò Neapolim missus est, ubi Virginius pater contra iurandum, quū se in Galliam profecturum speraret, in Oui arce seruabatur. Enim uerò pontifex Alexander, quo nemo principum ea tēpestate atrocior fuit, Ferdinandum datam fidem seruare cupientem, monendo ac sc̄ua denunciando induxerat, ut Virginium custodia traderet, quòd ille aduersum Aragonios prioris sc̄amenti militaris religionem uiolasset, atq; insanabili per uicacia perpetuum bellum moliturus esse uideretur. Borgia quoq; Cardinalis Paulum Vitellium iussu pontificis sibi tradi postulauit. Sed Mantuanus, cuius fidei Vitellius salutem suam antea commendarat, omnes urgentis pontificis minas contempsit, ne summæ uirtutis uirum ad supplicium cruento generi hominum traderet: atq; ita nequicquam insidiantē pontifice, incolumis Mantuā est perductus. Agitabat enim uir ille immoderatus, & personæ quam gereret penitus oblitus, quibusnā modis ingentes opes filijs pararet, quod nisi multo cū scelere, multorumq; insontiuū regulorū nece fieri nō poterat: propterea utriusq; factionis insignes uiros, qui uiribus authoritateq; pollebāt, ne consilijs suis alicunde obuiā iretur, uti postea perfecit, pellere ac interficere statuebat. Interea dum Federicus Caietam parat oppugnare, Ferdinandus multis militiæ laboribus cōsecutus, in uilla apud Vesuū montem, dysenteria laborare cœpit. Erat habitu corporis ad perferendam omnē aduersæ rei contumeliam ualde firmo, sed quum intemperantius nouæ nuptæ, quæ Ferdinandi aui filia erat, cōplexibus indulgisset, & iam ferme



PAULI IOVII HISTOR.

pestilens esset autumnus, nim morbi sustinere non potuit. Neminem regum maioribus omnis generis hominū, aut certe uerioribus lachrymis tumulatiū ferunt, quod ille tāta animi corporisq; uirtute præditus, in medio ætatis flore ipsoq; parte uictoriæ, ac recepti regni limine, quū maxime primū laboris fructum capere deberet, iniqua fatorum lege fuisset extinctus. Celebrato funere, Federicus patruus rex saluatur, aliquanto Andegauenſibus gratior quàm Aragonijs, quum ex præclara regis iuuenis liberalitate, in quem certatim omnes studia oraq; conuerterant, incredibilia sperarent: contra uerò Federicum lenem potius, æquū & moderatū regem, quàm gratum & liberalem fore arbitrarentur: quòd ex priuata uita tale prorsus ingenij specimen ostendisset, ut in summo etiam imperij fastigio, neq; inimicis ualde insensus, neq; amicis & clientibus ualde indulgens atq; beneficus futurus esse crederetur. Eorum enim mos est, qui obsequijs & certis bello & pace facinoribus editis principum gratiam querunt, ut eos & iustos & temperatos esse nolint: propensum uerò erga nominis sui studiosos, & ueterum factionum memorē citoq; exorabilem, parati ad omne uite discrimen singulari beniuolentia prosequantur. Mortuo Ferdinādo Besennianus & Compsanus, qui paucis ante diebus ad Aragoniam fidem redierant, Salernitanum lenitate naturæ noui regis inductum, impetrata uenia in partes pertraxerunt. Sed is, quum solenni die festo multa omnium alacritate Federicus regali diademate ornaretur, euocatus ad celebrandam pompā Neapolim uenire recusauit, et uti erat suspiciosus & Gallicis studijs inueteratus, bellū renouare cepit. Quæ hominis amentia permotus Federicus, in Lucaniam exercitum duxit: expugnatoq; Diano celebri opido,

pido, omnibus eum ditionis locis expulit. Ad extremū quū  
 ut in Galliam abire permitteretur, impetrasset, ad fallēdas  
 insidias quas sibi regios tetendisse putabat, Senogalliam  
 cuius itineribus profugit: quō se Ioannes Rouoreus Sora  
 pulsus receperat: atq; ibi aliquanto post, qui tantū bellum  
 Aragonijs ad exitium Italiæ concitarat, & calamitosus &  
 exul interiit. Exinde Caieta terra mariq; obfessa uerius  
 quā oppugnata: nam Melchior Triuisanus, qui pace ad  
 Nouariam facta Grimano in clasfis præfectura successerat,  
 adiunctis Aragoniorū trirēmibus late maria tuebatur, ne  
 Gallicæ naues, uti antea prosperè tentarant, Caietanis com-  
 meatus importarent. Federicus autem à terra bellum impi-  
 grè gerebat: & quanquam ea urbs monte ac summa arce  
 munita, difficilem ac periculosam habebat oppugnationē,  
 & Obertus Rossettus præsidij præfectus uirtutis & contu-  
 maciæ singularis, egregiè se defenderet, tamen nullis incom-  
 modis deterrebat, quo minus eam urbem in potestate redi-  
 geret. Sed quū durior indies & grauior obsidio obfessis pa-  
 riter ac obsidētibus esset, & pleriq; uiri fortes, & in ijs Ray-  
 naldus Feramusca, tormētis icli periissent, Eberardus Obe-  
 gninus obsidioni finem imposuit. Is enim Atellani fœderis  
 beneficio usus, quum è Brutijs oppidorū facta deditioe, ut  
 in Galliā abiret, Neapolim uenisset, uti erat summe apud  
 Gallos authoritatis, Oberto persuasit, ut fortunæ expro-  
 fesso Gallis infestæ reluctari desineret, ne uana & mox noci-  
 tura pertinaciā, sese reliquosq; milites summis uite peri-  
 culis implicaret. Obertus non minus extremis rerum diffi-  
 cultatibus quā eius longè clarissimi uiri exēplo monitisq;  
 cōpulsus, Caietam reliquit, & Gratianus Guerra ex Apri-  
 tio sub id tēpus, quiq; Tarenti & Venusiæ in præsidijs erāt,

PAVLI IOVII HISTOR.

ad extremum tedio rerum belloq; domiti, regni finibus excesserunt. Hunc exitum habuit terribilis paulo ante Gallorum aduentus: qui sicuti ab initio distinctis, inermibus, atq; imperitis hominibus maximum negotium fecit: ita successu belli, quum deprehense artes, & collatae in unum sunt vires, talis apparuit, ut eam gentem nostris tantum dissensionibus ualidos impetus habuisse constet, uel ob id quod non multo post Italia pristini atq; insani pertesa erroris, dum se-  
ra prope concordia consentit, quod libertati omnium imminabat discrimen, reparata militia positisque odijs, haud longo labore depulerit. Sed eo grauior Gallorum aduentus omnibus est uisus, quoniam post turbatam quietem, etiam inauditum prioribus seculis morbum nobis importauit, ei hercule persimilem, qui Tiberio imperante sub mentagræ nomine uehementer Romæ grassatus est. Is ueluti occultiore uisyderum coelo demissus, dira ac admirabili contagione sexum omnem ac etatem inuadebat. Venereis maxime contactibus & multo accubitu uulgabatur: à pudendis idcirco primum uirus erumpebat, seua serpigine cuncta passim abrodens: Inde cætera membra, atq; ipsa præsertim ora ulceribus ac pustulis foedabantur. Irrequieti porro cruciatus singulis artubus intolerabiles, exteriora pariter ac interiora corporis uastabant: Neq; tedio miserabilis uitæ confectis, et frustra mortem inuocantibus, quisquam mortaliū ab arte medica foelix remedium tulit. Aliqui tamen ex argento uiuo axungia permisto, triduana inunctione conualuerunt, sed ut enormia morbi uestigia relinquerentur. Alij laborioso exertationis genere, et parca exquisitaq; uictus ratione, quum se uas manus medicorū alieno periculo remedia quæretium effugerent, certiora subsidia repererunt. Fuere qui crede-  
rent

rent id malum ab nouo orbe ad occidentē reperto, initium duxisse, & ab Iudeis sub id tempus tota Hispania pulsis, in Italiam ceterasq; regiones uario eorum errore delatū, sub id tempus quo Carolus passim uictor Italiam percurrit. Sed ubi & quando coeperit, diligentiores uestigabunt, et uerius nomen imponēt, consensu certē multarum gentium Gallici cognomen tulit, ita ut ea natio inquieta & uehemens, quæ infestis armis foelicitati Italiæ sæpius inuidet, & hoc quoq; pestilenti uulnere inflicto, sempiternam nobis odij sui memoriam reliquisse uideatur. Gallorū copijs ad Neapolim uarijs casibus terra mariq; deletis, quanquam Italia omnis grauissimō ingentis belli periculo leuata uidebatur, nequaquam tamen bellum esse desierat. Namq; pontifex Alexander ueteribus suis innixus consilijs, Vrsumorum opes euertere, ipsiusq; Virginij maxime oppida occupare maturabat: & Florētini Pisas cum Veneto tum Sfortiano milite summaq; ciuū pertinacia defensas, incredibili omnium ordinum studio, totisq; collatis in arariū ciuitatis opibus repetebāt. Carolus quoq; regni pariter atq; exercitus amissi dolore permotus, renouandi belli consilia agitare nunciabatur. Is enim Fusium Aquitanū regulum cum ualido equitatu, Vasconumq; cohortibus, & tribus Heluetiorum milibus Aynauolebano duce clarissimo, ad Pyreneos præmiserat: qui quū Perpenniano plurimū imminerent, & aliquandiu ad fallenda Hispanorū præsidia Tolosatium fines circuisserent, improuisis diuersis itineribus ad oppugnandas Salsas conuolarunt. Salsæ hodie uocantur, quæ antiquitus Salsula fuerūt, ad stagnū salsæ aquæ uerius quàm dulcis, Narbonensi uia impositæ, ubi extrema Pyrenæorum iuga Balearici maris fluctibus alluuntur. Propugnaculum id potius diceres aduersus Gallos quàm oppi-

PAULI IOVII HISTOR.

dum: nam pauci admodum, præter eos qui meritorias tabernas exercent, locum grauitate aëris insanem incolunt. Eò ualida manus Hispanorum equitum & peditum processerant, quotidianisq; excursionibus finitimos Gallorum pagos prædabantur. Salsis tum præerat Bernardus Francus uir eximie uirtutis atq; constantie. Is Henricum Albalistæ regulum, copiarum quæ Perpenniani erant, ducẽ de aduentu Gallorum certiozem facere, monere, ut aduersus eorum uim atq; celeritatem præsidia parata haberet: Salsas cum muro tum munitione infirmas esse, tamen se militũ uirtuti confisum, quin tridui oppugnationẽ sustinere queat minime dubitare. At Henricus qui angustias aditus inter stagnũ et imas montiũ radices ad Salsas pertinentes, uel parua manu tueri, & Gallos transitu prohibere poterat, Fussum transire permisit, sperans circiter quatuordecim cohortes, quæ proximis in oppidis cõscriptæ fuerant, ad se biduo peruenturas, foreq; ut uno tempore à laua per montes ductis pedestribus copijs, à dextra uerò per militarẽ uiam, quæ inter stagnum extremamq; maris marginem, Narbonam ducit, immisso equitatu, à tergo obsessurum hostes: interceptoq; comæatu eos penè sine uulnere deleturum. Verum pedites citerioris Hispaniæ edito regio in speciem tantũ cõscripti, quum se non modo ad bellum, sed ad ipsum ineundẽ pugne discrimen duci conspicerent, una edita uoce se progressuros negarunt, nisi stipendium amplissimi paulo antò uerbis promissum, præsentì pecunia solueretur. Quæ scõda inopinataq; tot cohortium cõsternatione, Henricus tota spe perficiendi suscepti cõsiliij deiectus, necessariò sese continuit. Perscripsitq; regi ut pacandis cohortibus pecuniam in stipendium, uel paucorum dierum submittere maturaret. Fer-

dinandus

dinandus enim ad Gerondam cum Eklabella uxore confede-  
 rat, euentum Gallici motus expectans: utpote qui maxime  
 cautus & pecunie tenex, speciem ingentis coacti exercitus  
 ad deterrendos hostes præbere, quàm bellum gerere mallet,  
 quum id sine ingenti pecunia administrari non posse intelli-  
 geret: & Gallos cum hyemis tum locorum difficultate ad-  
 ductos, extemplo retrocessuros arbitraretur. Itaq; Fustius  
 bidui spacium nactus, à stagno ad prærupti montis radices  
 perpetuam munitione perduxit: iterq; maritimū per angu-  
 ste eius uis, presidio imposito celeriter occupauit: & ca-  
 stris undiq; permunitis prolato tormentorum apparatu, op-  
 pidum oppugnare adortus est. Murus erat perantiquus &  
 debilis, & qua parte uetustate erat collapsus, ea terreni ag-  
 geres multa materia conserti, & in mediocrem altitudinem  
 eaducti oppidū uallabant. Sed ea uis erat ingentium colubri-  
 narum, ut non modo aggerem, sed coniunctas etiam muro  
 domos, & mirum dictu nonnunquam aduersæ partis oppi-  
 di murum, pile ferreæ, cum multa obuiorum hominum stra-  
 ge penetraret. In ea rerum acerbitate, Hispani, tametsi neq;  
 multis, uel idoneis tormentis uterentur, neq; perfracti agge-  
 res muriue sine certa cede reparari possent, neq; ullum ab  
 Henrico subsidiū expectarent, usi tamen inuictis animis ali-  
 quandiu restiterunt. Ceterum tertio die, quum uulneribus  
 laboreq; & continuis uigilijs confecti essent, peruadente in  
 oppidum per ruinas hoste, ad unum ferme omnes memorabi-  
 liseuitia trucidati sunt. Periere circiter ducenti nobiles ex  
 ulteriori Hispania equites: et in ijs illustres eorum dnces, Pe-  
 trus Solerius à Corduba, et Didacus Azauedius Archiepisco-  
 pi Toletani frater. Bernardus ipse multis acceptis uulneri-  
 bus uiuus in potestatem hostiū deuenit. At Henricus captis

PAULI IOVII HISTOR.

iam Salsis, nequicquam promotō equitatu, in conspectum hostium deuenit, proximæq; Catalanorum cohortes pudore excita castra compleuerunt. Verum Fusius quanquam multo tubarum cantu ad pugnam ab Hispanis prouocaretur, suis munitionibus quas tormentis in hostem uersis instruxerat, se tenebat: missisq; præconibus se prælio congressurum profitebatur, si ad se oppugnandum propius munitiones accessissent: quando non eo consilio Hispaniæ fines intrasset, ut ad nutum hostium dimicaret, sed ut Salsas in conspectu Hispanorum, qui nihil dedecoris admissuri uiderentur oppugnaret & caperet. His foeliciter expugnatis, satis abunde expiatis uideri iniurias, quas ipsi paulo antè Gallie populis omni præsidio nudatis intulissent. Quòd si dolore interfectorum affinium, & commilitonum permouerentur, eorumq; cædem ulcisci uellent, debere ipsos innatam uirtutem aliquo nobili edito facinore periclitari: neq; id ab hoste petere, quod ne insulsissimæ quidem gentes, uel ab imperitis postularent. Hybernæ tum pluuiæ campos molliuerant, fœdoq; coeno cuncta tenète itinera, propter difficillimas subuectiones, Galli pariter atq; Hispani commeatus angustijs premebantur. Quibus de rebus, quum Henricus neq; bellum durissimo anni tempore, pecuniæq; inopiâ consternatis cohortibus, prosperè se gesturum prouideret, cum hoste quatuor mensium inducias pepigit, Fusio nequaquam detrectante, quum Hispanorum audaciâ, Salsis expugnatis, cæsoq; præsidio, satis abundè repressam esse arbitraretur. Interea quum Carolus Ambosiæ hyemaret, ac eius uictoriæ nuncio maxime letaretur, regia aula exulibus & legatis, omnisq; generis hominibus belli & nouarum rerum cupidis plena erat. Florentini ante alias regiam fidem implorabant: Venetorumq;

&

& Ludouici Sfortie communium hostium opibus Pisanos  
 aduersum se defendi, & bellum summa eorum iniquitate ge-  
 ri querebantur. Iulianus quoq; Rouoreus, Paulusq; Frego-  
 sius Cardinales, & Hiblettus Fliscus, cum ducibus Gallis ue-  
 teribusq; amicis suis inuadende Ligurie consilia agitabant.  
 Carolus item Ursinus Virginij patris fratrisq; Iordanis, &  
 Pauli Orsini salutē, cum regi tum purpuratis assidue cōmen-  
 dabat. Quod omnis pacationis datēq; fidei uiolata religione,  
 in cathenis Neapoli seruarentur, ipseq; pontifex Alexander  
 cūctis Ursine familie oppidis immineret. Vitellocius etiam,  
 quanquam Paulum fratrem beneficio Mantuani è manibus  
 infesti pontificis et uite periculo ereptū sciret: de eius tamē  
 libertate sollicitus, Carolū obnixē deprecabatur, ne Tiferna-  
 tes omnesq; Vitellie domus fortunas, se absente, altero pre-  
 sertim fratre capto, altero in partibus Gallorū interfecto, ab  
 nemine defensas, seu pontificis caterorumq; inimicorum  
 iniurijs diutius expositas esse uellet. Fore etenim, si clientium  
 salutem non omnino negligeret, ut Gallici nominis hostes  
 non diu ea uictoria letarentur, quam multi potius perfidia  
 fallacissimisq; artibus, quā uera uirtute sibi peperissent.  
 Nec Traianus Papacauda, quem ab Atella in Galliā missum  
 fuisse docuimus, tot exulum opem implorantium querellis  
 deerat, quin & regem & proceres multiplici oratione ad  
 renouandum bellum hortaretur. Superesse plures regulos,  
 & in primis Salernitanum ipsum, qui Gallica in fide non mo-  
 do perseueraret, sed bellum uimq; omnem Aragonij exerci-  
 tus egregie sustineret, foelici certē cōstantia, nisi à Gallis pro  
 quibus uitam ac fortinas deuouisset, omnino desereretur: ex-  
 tinctum esse Ferdinandum, cui generosi planeq; regij, et mi-  
 litares spiritus inerant: ac in regno successisse Federicum,



PAVLI IOVII HISTOR.

qui in istam animo eius timiditatem inani prudentiæ nomine congerere ab ineunte ætate cõsueffet. Sed ante alios Aurelianus Cispalini imperij audus, & Triuultius Ludouico Sfortiæ maxime in sensus non modo regem, sed & ingentes duces & proceres, omnibus quibus poterant artibus, ad repetendam Italiam concitabant. His iustis clientium suorum querellis ductus Carolus, Florentinorum legatos, qui apud se erant, cohortes sagittariorum Vasconum conscribere, et naues Marsiliæ conducere permittit: Carolum Vrsinum & Vitellocium consolatur, eis uetera stipendia persoluit, multaq; pecunia ambos replet, ut in Italiam ad tuendas res suas proficiscatur. Triuultium cum aliis duabus equitum Alpes transgredi, & in Asteni agro hyemare iubet, ut primo quoque tempore, maioribus è Gallia transmisis copijs Liguriæ bellum inferretur. Quibus cognitis rebus, Ludouicus, Venetiq; & Alexander pontifex, ut Gallorum & Florentinorum consilijs obuiam iretur, Maximilianum Cesarem in Italiam euocare statuerunt. Erat magna eius uiri bellicæ uirtutis fama, & publico priuatoq; odio Gallorum hostis esse uidebatur. Florentini quoq; Cesaris nomẽ horrebãt, quod insensum sibi atq; terribile superioribus seculis extitisset, & is tum in re suo Augustæ maiestatis Pisas suæ ditionis esse predicaret, pecuniamq; ingentem tributi nomine repeteret, quam Florentini ueteres Cesarum stipendiarij à multis annis pendere neglexissent. Sperabant enim ipso Cesaris aduentu, Florentinos ueluti impares ei bello quod tantis auspicijs gereretur, à Pisanorum oppugnandorum consilio Gallorumq; societate discessuros: ne si pertinacius Pisanos bello persequi perseuerarent, aliquo sorte aduerso prælio contusis uiribus, uicinas urbes amitterent: et quod summæ rerum graue mo-

mentum

mentū secū trahere posse uidebatur, nouus non planē confir-  
mata republica ciuitatis statis periculum adiret, Medicæ  
presertim factionis uigentibus studijs. In hæc quanquam see-  
derati omnes consentirent, quisq; tamen dissimulanter pri-  
uatis commodis studebat. Ludouicus enim ex aliqua tandem  
turbatarum rerum compositione, ijs de causis quas supra  
memorauimus, Pisas in ditionem sibi concessuras, et Gallico  
metu se liberatum iri existimabat. Contra Veneti quod ma-  
gnis opibus & specioso quidem prætextu Pisanorum liber-  
tatem tuerentur, & ciuium propensione & defatigatione  
hostium eam urbem imperio se adiecturos confidebant. Ipse  
uero Cæsar & tenuitate Germanici regni, et profusiore sua  
liberalitate pecuniarū maximè inops, si Italiae fines ingrede-  
retur, ad eundis liberis urbibus, appelladisq; regulis, præter  
ipsa stipendia magnum auri pondus se coacturum sperabat:  
rebaturq; sibi oblatam iri Augusti imperij coronam, qua  
mox ex ipso rerum prosperè gestarum successu, ad urbē Ro-  
mam euocatus à pōtifice more maiorum ornaretur. Itaq; Lu-  
douicus cum uxore insigniq; comitatu per Larium lacum  
& Volturenzæ uallem Burmiū extremum Italiae oppidum  
ad Abduæ fontes profectus, cum Maximiliano, qui Malsium  
pagum usq; processerat, coram transegit, ut accepta pecu-  
nia conscriptisq; militibus in Italiam iisdem tramitibus de-  
scendere maturaret. Interea dum à Cæsare copiæ parantur,  
à Venetis maiora indies præsidia terra mariq; Pisas mitte-  
bantur. Triremes decem ab Siculo freto Italiae orā circumue-  
rte, cum multo commeatu Arni ostia subierūt, Iustinianusq;  
Maurocenus patritius cum octingentis partim Grecis par-  
tim Epirotis equitibus, per Lucensium fines Pisas peruenit:  
ea equitū ala uel equorū genere, uel hominū cultu uirtuteq;

PAVLI IOVII HISTOR.

nihil ornatius fuit. Erant in ea centurijs præfecti Ioannes Paleologus, Nicolaus Annonius, Ioannes Zaphinius, Theodorus Frusinius, et Demetrius Bizantius, quem ab militari indole Magaducem appellabant, uiri eo tempore illustres: sed qui postea alijs bellis eximia cum laude floruerunt. Per eos dies Lucius Maluetius, quo nemo tum uigilantior aut acrior fuit, intempesta nocte Pontefacum adortus, scalis magno silentio admotis, cæsisq; uigilibus, oppidum irrupit: captoq; Ludonico Martiano Ranucciij fratre cum amplius ducentis armatis equitibus, cætera uerò turba peditum atq; oppidanorum à Germanis scedè trucidata, prius quàm à Florentinis ducibus sentiretur, Cascinã reuersus est. Nec multo post eadem scelicitate peruagatus Pisciensẽ agrum, abactaq; multa pecoris atq; hominum præda, Bolgianũ uicum crematis foribus expugnauit atq; diripuit. Exinde sancti Reguli uicus, & Larium oppidum à Pisanis frustra tentata, tri duoq; post Græci equites qui in Volaterrano agro Villamagne uicum diripuerant, & opimam prædam Pisas reducebant, in itinere à Martianis equitibus exuti præda fugatiq; sunt. Quo prælio nõ pauci ex Græcis confixi sagittis, aut in fossas utrinq; militari uie adiacentes uel cataphractorũ præcipitati, perierunt. Ex Florentinis autem aliquot occisorum capita hastis præfixa, Græci ne omnino uicti uiderentur, ad Venetum legatum detulere. Per eos quoq; dies Pisanorum manus Vaiannæ castellum cepit, & Lucius Buttũ oppidum conuectis eo tormentis, dedeteq; se ad uictoris arbitrium Florentino præsidio, celeriter expugnauit: commissã quoq; sunt inter Cascinam & Eræ pontem aliquot prælia quum pabulatoribus utrinq; præsidio iretur, modo ijs modo illis aduersa secundaq; in queis Nicolaus Annonius graui balistaria sagittã

gitta à tergo transfixus interiit: & Pirrhus Martianus Ra-  
 nuncij frater Græcorum insidijs est interceptus. Erat id  
 belli genus, ut neutri cunctas vires in unū cogerēt, aut iusta  
 acie præliarētur: Sed dispersi in præsidij oppidorum, intē-  
 tiq; in omnes casus, hostium motus notarent: & quantum  
 occultis itineribus, uel repentinis & nocturnis excursioni-  
 bus fieri posset, aduersarijs detrimenta inferrent, pabulatio-  
 nes impedirent, & dolis atq; insidijs, magis quàm uera uir-  
 tute niterentur. Sed Pisani in ea militum exercitatione, Græ-  
 corum equitum numero freti, propter eorum uigiliantia &  
 celeritatem, sæpius superiores euadebant. Ii enim tantam  
 uim pecoris omnis generis, & bubalorum è maritimis locis,  
 quæ ad Volaterranorum fines uergunt, longinquis excur-  
 sionibus abegerant, ut superioris anni incommoda toties ab  
 hoste perpeffa, ampliore armentorum copia sarcirentur.  
 Sed ea die Græcorum equitum uirtus plurimum enituit,  
 qua Ranuccius cum ualida parte exercitus maioribusq; tor-  
 mentis tribus ad oppugnandam Vatañam ab Ercæ ponte des-  
 cēdit. Pisani enim qui Lauennæ erāt, animaduerso suorū pe-  
 riculo, quum ad ferendam opem properarent, & castel-  
 lo uirtute Ranuccij celeriter expugnato, sero appropin-  
 quassent, Græci equites castra adorti memorabile certamē  
 ediderunt. Ibi lato ac patenti campo uidere fuit leuis arma-  
 turæ equites cataphractis insultare, eos circumire, audacter  
 intentis hastis adoriri, ac si Paulum turmæ laxarentur, miro  
 celeriq; impetu intercurrere, cūcta perumpere, clauis fer-  
 reis, & incuruis grauioribus gladijs incredibilia uulnera  
 inferre, agilitateq; corporū & equorum hostium ielus atq;  
 impetum ludificari, & ipsos deniq; inermes (mirum dictu)  
 undiq; armis protectos equites passim capere atq; proster-

PÄVLI IOVII HISTOR.

nere. Nicolaus Martianus Ranuccij petruelis de præfectus  
 fortissimè dimicans, & cum eo circiter uiginti cataphracti  
 equites interficiuntur: equi insignes per pictis bardis con-  
 tecti, triginta sex capiuntur: multoq; maior clades fuisse ac-  
 cepta, nisi Ranuccius, qui ab initio eius certaminis in ex-  
 pugnatione castelli fuerat occupatus, subsidio laborantibus  
 confertissimas turmas adduxisset: & Græcos, cæsis qui per-  
 tinacius præde inherebant, effuse refugere coegisset. Nec  
 multis post diebus Venetæ copie Laurentianū vicum, et san-  
 cti Reguli oppidum expugnarunt. A Florentinus uerò duci  
 Solliana oppidulum inprospere tentatū: nam Petrus  
 Caponius legatus Florentinus quū in administrandis scalis  
 cohortandisq; militibus intrepide periculoso in loco uersa-  
 retur, è muro minoris tormenti glande ictus interiit, uir in-  
 ter patritios, cum uestigate familie, tum eo præsertim cele-  
 bri facto ualde insignis, quod pro dignitate patriæ aduer-  
 sus purpuratorū Caroli regis superbiam, iniqui scæderis li-  
 bellū libera uoce edita conscripisset. Per eos dies Veneti re-  
 bus ad Atellam foeliciter confectis, quū Pisanum bellum in-  
 tentiore demum cura administrandum esse censuissent, An-  
 nibalem Bentiuolum cum trecentis utriusq; armatura equi-  
 tibus, & cohortibus ueteranis duabus, stipendio conductū,  
 Pisas miserunt. Ei Luccensium alpium iuga superanti, Cy-  
 riacus cum expedito peditatu ad Bargam uicū obuius fuit,  
 ut fauces Apennini quibus munitionem addiderat, euocatis  
 agrestibus tueretur. Sed Annibal præsidio incondite multi-  
 tudinis deiecto, iter expeditū facile sibi patefecit, & in Pisanum  
 agrū descendit. Eius aduentu uehementer permotus  
 Lucius Maluetius, Pisis egreditur, & cū Sfortianis copiis  
 iter in Galliam Cisalpinam intendens Apenniū transcendit,  
 quod

quod Bentiuolis, aduersus quos ipse paucis ante annis Bononia cū uniuersa Maluetiorū familia coniuisset, salutem suam minime cōmittendam existimabat. Ea res Ludouicū animū uehementer pupugit, quod nemo adeo absurdis sensibus erat, qui nō Bentiuolū propterea Pisas missum iudicaret, ut Maluetius cū Sfortianis inde pelleretur: & Pise demū omni alio eiecto presidio, in potestātē Venetorum cederet. Hęc suere initia eius execrabilis insanēq; dissensionis inter Ludouicū et Venetos, quæ nō multo post, quum utrosq; lōge maximis bellorū cladibus inuectis, penitus obruisset, uniuersam penē Italiā fractis opibus labantē, in externarū gentium seruitutē adduxit. Interea Maximilianus Rheticis alpibus & Lario lacu in Italiam descēdit, adeo tenui comitatu, ut frequentiā populorum officij causa obuiā prodeuntū deuitaret: nec urbes Comam & Mediolanū ingrederetur, quæ in eius honorem portas templaq; & domos singulari studio exornarant. Cæterum obliquis transiibus iter facientē, delectæ cohortes decē & quingenti Germani geleati equites sequebantur. Equitibus decora erant arma singulis commensurata artibus, ac intercisis ad elegantiam sagulis emicantia: ab hastarū cuspidibus, quod erat probatæ uirtutis argumentū, uulpinæ caudæ dependebant. Equis uerò eorū omnibus, caudæ penitus abscissæ, nobis quidem ridendo, sed ueteri probatoq; Germanorū & Belgarū more quod ob id equi certa contractioris alimenti ratione pinguiores, & spine robore fortiores euadere existimantur. Ludouicus & Bernardinus Caruaial Cardinalis Alexandri Pōtificis Legatus Mediolano profecti Comēs uia apud Medam pagum Cesari affuerunt. Ibi de genere ac numero auxiliorū, de itinere ac ratione gerendi belli consilia imita,

PAULI IOVII HISTOR.

attributus Cesari Calatinus cum Sfortianis equitibus utri-  
 usq; armaturæ septingentis: quibus coactis copijs acceptaq;  
 pecunia Genuam peruenit. Adurnij fratres uenientem sum-  
 mo cum honore, ac insigni maxime liberalitate susceperunt: pa-  
 rata uerò classe atq; expectata idonea ad nauigandum tem-  
 pestate, postridie Nonas Octobres, qua die rex Ferdinan-  
 dus ad Veseuum excessit è uita nauem conscendit, et legendo  
 oram Pisas est deuectus. Tum uerò Pisani incredibili gaudio  
 exultare, omnibus regionibus effundi, letis acclamationi-  
 bus, multisq; tormentorum bombis studium atq; alacritate  
 significare: Maximiliani inuicti Cesaris omnium libe-  
 ratoris nomen ingeminare, mirari augustam faciem, in qua  
 tantum maiestatis, tantumq; bellici uigoris, ac benignæ pro-  
 bitatis inesse predicarent. Cesar à decurionibus urbis, lega-  
 tisq; Venetis in Medicæan domum deducitur: scutumq; mar-  
 moreum cum liliorum aureorum insigni, quod in honore  
 Caroli regis Pisani, medio in ponte collocarant, multitudi-  
 nis concursu in Cesaris gratiam confringitur, & in Arnum  
 precipitatur. Postero die conueniunt omnium principum le-  
 gationes: Liburnū propter maris opportunitatem terra ma-  
 riq; oppugnandum decernitur, ne ullus Gallicis classibus re-  
 ceptus in Italia relinquatur. Pisani magno agrestium sabro-  
 rumq; coacto numero, paludē Liburnina uia maxime impe-  
 ditam & insuperabilem, ueteribus relictis pontibus conste-  
 runt. Tormenta aliquot ænea, inspiciente nec probante Ce-  
 sare, ad aptiorem formam cōflata renouantur: et cuncta de-  
 niq; quæ res posceret mira celeritate diligentia comparantur.  
 Cesar in conspectum Liburni portus, qui Veneta classe obsi-  
 debatur, trireme deuectus, ex alto oppidi situm, portus lit-  
 torisq; spatia despectauit: inde Pisas reuersus ad Liburnum  
 oppugnandum

oppugnandum copias duxit. Florētini in oppidum duas delectorum militum cohortes, itemq; tormenta omnis generis abunde contulerant: Bettinum Ricasolum legatum supra toga opinionem uirum fortem ac strenuum, presidio præfecerant. Is ante Octogoniā turrem Lunensi ē marmore decoro artificio parua in insula edificatā, quæ latè maria, portum, littoraq; tuetur, circumducto aggere cōmuniuerat: refertāq; tormentis, Florētinis ciuibus custodiendā attribuerat: arcis atq; oppidi mœnia in longo belli metu refecta, cōstitutis passim idoneis in propugnaculis maioribus tormētis instruxerat: domosq; aduersus omnē inopiæ metū, uino, frumēto, pecoreq; repleuerat. Erant ad dextram tres aliæ, marmoreæ ali quanto minores lateritiæ turres, quæ mari pariter alluuntur. Eæ primū tormētis uerberari coeptæ, cōsilio, & à Cesarianis militibus, et ab hostibus pariter ridendo, quum longo in spatio emisse cannonibus pile contumacibus muris frustra inciderēt: nec patefactæ etiam uel dirutæ turres, ullum omnino momentum ad expugnādum oppidum habituræ uiderentur. Veneti nanq; et Sfortiani nequaquam bonis artibus bellum gerebant. Quoniam de obtinendo Liburno, si caperetur, magna contēctione in consilio certatum fuerat: quum Ludouicus oppidum portūq; sibi tradi usq; ad belli exitum postularet: Venetis id sibi custodiendū iure deberi prædicatibus, q; eorū classe maria teneretur. Dixerāt aliqui mediā sententiā, ut .s. Cesaris æquissimi ducis arbitrio permitteretur, cuius auspicio bellum gererent. Ea ex ore Ludouici mitti uidebantur: qui quū Venetos Pisarū imperio potiri ægerrimè ferret, nimitā eorum potentiam reformidās, etiā maritimum oppidum ad inuadendas Pisas opportunum, eorum presidio occupari nolebat. Veneti uerò tametsi occultè ipsorū cupidi



PAULI IOVII HISTOR.

tatis presentem inuidiã uitare cuperent, eoq; haud agrè de-  
 scenderet, ut Casari traderetur, conditionem periculosi cõsi-  
 lij renuebãt, quum Casarem ex inopia augustalis ararij, &  
 plerũq; ex inconsulta liberalitate alienæ pecuniæ avidum, à  
 Florentinis auro corrũpi posse, ut oppidum sibi emptionis  
 iure de manu traderetur, magnopere dubitarent. Sed dũ tur-  
 res haud obscuro quodam ludo tormentis uerberantur, tur-  
 mæ nauales, quæ in terrã descenderãt, eruptione præsidij ac  
 oppidanorũ ad triremes cum cade ac trepidatione sunt con-  
 pulse. Postera die Gallica classis in cõspectũ se dedit, nauisq;  
 una cognomento Normãna ante alias prægrãdis et militari-  
 ter exornata secundũ naçta uentũ, despectis Venetis triremi-  
 bus et ingenti naue Ligustica, plenis uelis in portum se intul-  
 lit, & octingentos Vascones mercede conductos exposuit,  
 cõmeatuq; omnis generis oppidanos repleuit. In ea naue fue-  
 re Carolus Vrsinus et Vitelloccius, qui regia onusti pecunia  
 transuersis itineribus, Perusiam ad cogendos milites conten-  
 derunt. Interim oborta sunt sædæ tempestates, adeoq; sæuus  
 Aphricus pluuia commixtus inualuit, ut Germani pedites,  
 qui tabernacula secum ferre minimè consueuerunt, duritiæ  
 frigoris subacti Pisas refugerent: aliorumq; militũ tentoria  
 passim sternerentur: quo etiam uentorum turbine quod por-  
 tui Liburnio uentus Aphricus maxime est aduersus, trire-  
 mes uehementer sunt conflictatæ, unaq; in littus eieçta atq;  
 perfracta naufragiũ fecit: & eo quidem miserabilius, quòd  
 enatantibus socijs naualibus, aut uulnere aut fluctibus, ef-  
 fuso ad prædam hoste, erat pereundum. Adurnia quoq; one-  
 raria admodum insignis, quum abruptis rudentibus quibus  
 anchoræ distinebantur uim tempestatis sustinere non pos-  
 set, interijt. Quibus detrimentis ueluti aduerso omine per-  
 motus

motus Caesar saepe dictitans se, Dijs atq; hominibus insensis,  
 bellum non esse gesturum, copias reduxit: à ualida tamē Ger-  
 manorū manu quæ lōgius prædatū ierat, Burgarū oppidum  
 ui captum, ac occiso Henrico maritimæ regionis regulo,  
 cunctisq; fere incolis crudeliter interfecit, incensum atq; de-  
 letum. Nec multo post Caesar diuersis itineribus præmisso  
 milite Appenninum Pontremulani iugis transgressus, Tici-  
 num ubi tū erat Ludouicus peruenit: atq; inde per Larium  
 lacū media hyeme, niuosis admodū alpibus, in Germaniā est  
 reuersus, nō uno in loco iratē atq; minaciter iurans se nō ue-  
 natoris habitu, ut tū sociorū auxilijs confisus incautē fecif-  
 set, sed armati Caesaris more totis imperij uiribus instructū,  
 in Italian aliquādo reditū. Maximiliano Pisis excedente,  
 Germani omnes Sfortianiq; milites pariter in Cisalpinā Gab-  
 liam abierunt: ac tum demum Pise in Venetorum potestate  
 sunt constitutæ. Nam quū Pisani aduersus uim Florentinorū  
 longè infirmissimas ciuitatis opes esse conspicerent, ac se pla-  
 ne reliquo omni auxilio destitutos intuerentur, arcem uete-  
 rem quæ ad mare spectat, & Stampacis propugnaculum ad  
 paruæ arcis effigiem citra flumen exporrectū, omniq; belli  
 iura Venetis ultrò concesserant: Cascinamq; & Verrucula-  
 nam speculam Venetis præsidijs commiserant, ut liberaliter  
 fidenterq; cuncta concedendo, Venetorū uoluntates redime-  
 rent, ac maiore eorū studio, amplioribusq; præsidijs in tuen-  
 da libertate uterentur: aut si Dijs omnino infestis de Repub.  
 foret desperandum, mitioribus certē atq; potentioribus do-  
 minis seruirent, postquam extrema supplicia potius pati,  
 quàm Florentinorū imperiū rursus perferre, publicè decre-  
 uissent. Dū hæc in Aethruria geruntur, Alexander pōtifex,  
 ut urbis proceres deleret, quos Romanorum pontificū com-

PAULI IOVII HISTOR.

pedes appellabat, utq; maior inde filijs potentia strueretur, ad oppugnanda Virginij oppida copias misit. Iere cum Francisco Borgia filio principe Candiano, Guido Feltrius, Fabritius Columna, Antonellusq; Sabellus: primoq; aduentu oppida circa Cassiam uiam, Insula, Galeria, Campanianum atq; Scrofonũ facile occupata: quæ uerò ad Sabatinum lacũ pertinent, Trebonianum, Anguillaria & Braccianum ditionis caput ueterano Virginij milite tenebantur. Eò enim Liuianus ex fuga se contulerat, ut afflictis familiæ rebus, extremã operã nauaret. Is milites armis, equis, uesteq; spoliatos exceperat, singulis equos indomitos ex armētis attribuerat, liberalitateq; Bartholomeæ uirilis animi foeminæ, quæ Virginij soror erat, recrearat, & instruxerat, quũ ea maritales zonas mundũq; omnẽ muliebrẽ, ac uestes nuptiales, ut ex ijs saga militibus fierent alacriter protulisset. Mira quoq; Liuidani celeritate Braccianũ ualido aggere cõmunitũ, tormenta uetera coaptata, agrestesq; eius tractus fermẽ omnes euocati armatiq; : missilis plurimus ignis in ollis testaceis sabrestus. Itemq; trabes onustæ lapidibus in summa pinnarũ corona, ad obruẽdos hostes collocatæ. Nanq; Liuidano neq; ardẽs studium in gerendis rebus, neq; militaris industria unquam defuerunt. Interim Trebonianũ in ora lacus ab hoste conuectis eò tormētis oppugnari cœptum. Liuianus præpositis oppido peritis centurionibus, id egregiẽ tueri, ab aduersa ripa recẽtes milites lembis transmittere, spe maioris celerisq; subsidij, ubi periculum posceret, oppidanos implere, hostiumq; impetũ nauigationis beneficio retardare atq; frustrari. Quibus rebus quum nulla ui terrestris exercitus occurri possẽt, Duces à pontifice postulabant, ut ab urbe Mioparonẽ plaustris ad se deuehi curet: sperare se eo fretos nauigio celeriter

& Treboniano & Bracciano esse potituros. Pontifex Mioparonem sumptum e Tyberi, cohortis uigilum praefecto, Troiloq; Sabello impigro iuueni couehendum tradit. Id autem ad Liuianum, Vrsinae factionis hominum studio ac diligentia celeriter defertur: quare cognita uehementer perturbatur, quum ualido nauigij genere res suas profligatas iri uideat. Caeterum a praesenti animo audax, sed euertu saelix consilium capit: cum delecta namq; suorum manu teelus intempestae noctis tenebris, aduentatibus obuiam progreditur, caeteris oppidum tueri, et sui maxime praesentis specie praebere iussis. Vix dum pontificij Mioparonem ad sextum ab urbe lapidem conuexerant: quum Liuianus inexpectatus superuenit, magnoq; impetu factus, sublatoq; ab omnibus clamore hostes adoritur. Cohors & turma praefecti uigilum assuetae triumphis capitalibus infamem prestare opera, terga protinus uertunt. Troilus strenue dimicans, uulnerato, Liuiani manu, quo uehebatur equo, in fugam conijcitur, eo pulso caeteri profligantur, Liuianus desertum ab hostibus nauigium incendit, ac omnibus suis incolu- mibus, negotioq; fortiter ac saeliciter confecto Braccianum reuertitur. Ea re pontificijs in castris nunciata, secus ac Liuianus putarat, omnium animos plurimum incitauit: quum plerumq; fiat, ut ex dolore contumeliae, uel ignaui milites ad uirtutem accendantur. Itaq; frequentibus tormentorum ictibus Treboniani moenia perripuntur. Pontificius subit miles: Vrsini multitudine oppressi cedunt, oppidum capitur atq; diripitur. Treboniano capto tormenta ad Braccianum traducuntur. Ibi maiore uil- lures dies est repugnantum: nam et ipse Liuianus aderat, et cohortator et propugnator egregius, et uiri fortissimi qui factioni Vrsinae Virginioq; duci antea se deuouerant, et loca periculi plena sibi egregia uirtute tuenda desumpserat. Saepo pon-

PAULI IOVII HISTOR.

tificij e propugnaculis ruinisq; procidentiu muroru deturbati, sepe eruptione certatu: repulsis fugatisq; hostibus singulari eorum cum ignominia tormenta occupata, clavisq; cofixa: ita ut potificij duces Vrsinis sepe e muro irridetibus eoruq; conatus contetui atq; ludibrio haberi uideretur. Idq; maiore ipsoru fiducia fiebat, quoniam a Tifernatibus, Perusinis, Tudertibusq; ac ceteris Vrsinae familiae clientibus, auxilia propediem sibi uentura sperabant, Caroluq; Vrsinum & Vitelloccium coactis in unum copijs ad se maturare cognouerat. Vitelloccius enim postquam e Liburno Tifernum uenit, quantum equitum ac peditu cogi potuit, celeriter armauit: et phalangē eduxit ex oppidanis deletisq; agrestibus et colonis, militari disciplina instituta. Ipse enim et Camillus Paulusq; fratres uni huic rei maxime studuerat, ut aduersus finitimoru iniurias, Romanoruq; potificum uim omni tempore sibi metuendam, certa atq; domestica praesidia compararent, quu pedestri praecipue opera bella cofici parariq; uictorias, cum receti maxime Galloru exeplo, tu antiquorum more prorsus intelligeret. Erat homines intosi simplices ipso agresti habitu, aspectuq; propemodu cotenendi: sed certa animi contumacia, corporisq; duritie & fide admodu constanti: multoq; ductu amore et paradi obsequio, optimorum militum nomine digni: eos Germanicae militie more gladijs hastisq; instruxerat. Signa sequi tympanoru certis pulsibus scienter obtemperare, couertere dirigereq; acie, in coeleant decurrere, & deniq; multa arte hostem ferire, exacteq; ordines seruare docuerant. Quodq; magno usui semper fuit, omnibus eorum manipulis miscuerant uiros militares superioribus bellis exercitatos ac ingenio maxime ualentes: qui multitudinem regeret, et subitis castibus atq; periculis se primos offerrent:

offerret: præter hos pleriq; ueterani equites aderat, Perussa, Tuderto: Narnia, atq; urbe Roma euocati: plures ab Atella redierant: multi etiam partiū studio, & propter ueteres clientele necessitudines, ut semioppressis opẽ ferrent in castra ferebantur. Validam quoq; cataphractorum turmam Ambrosius Landrianus Ioannis Rouorei equitū prefectus adduxerat. Coniunctis in Orthano agro omnibus copijs, Vitelloccius et Carolus Surianū proficiscuntur. Id Sabini agri oppidum inter Cassianam uiam atq; Flaminiam arduo in monte positum est, ubi tum erant Baptista Cardinalis & Iulius Ursini fratres, qui metu pōtificis urbe profugerat. Ibi castra ea nocte habita, militesq; oppidi copijs abūde recreati. Sequenti die uix dum exorto Sole, dum de itinere profectioneq; deliberat, pluribus nūcijs affertur, pontificios duces de ipsorū aduentu certiores factos, Bracciani oppugnationē reliquisse, sub Ciminio monte per Capenates iter habere atq; aduentare eo consilio, ut locis à Bracciano maximè remotis equiore conditione confligant. Vix dum eorum aduentu certius cognito, uel explorato, Ursini pontificios antecursores densis nemoribus egressos conspiciunt, et ab ijs quoq; pari prospectu atq; eodẽ tempore Ursinorū castra uidetur. Vitelloccius & Carolus alacriter acie instruunt, ac expeditā equitū aliam in hostes emittūt: cōcurritur impeditis in locis, Pōtificij repētinō hostiū incursum perturbati, dū ad suos se recipere cupiūt, ut hostes adesse renūciēt, in fugā uersi, ad tormēta usq; cōpelluntur. Erāt in prima agminis fronte Antonellus atq; Fabritius cum Romano equitatu. Ii cū suorū fuga, tum hostiū insolentia permoti, uti erant duces eius ætatis longè omnium manu promptissimi, extemplo concitatis equis prorupere: alijsq; subinde subsequētib; turmis, Ursinorum equitatum

PAULI IOVII HISTOR.

multis uulneratis atq; prostratis in fugam coniecere. Erat eo loco sylua admodū rara, sed frequentibus dumetis impedita quam pōtificie copię iam euaserant: ab ea planities ad effigiē oblonge cōuallis utrinq; septa nemoribus, ad Vrsinorū integros ordines extendebatur. Ibi lato spatio magni ui est decertatū: tantoq; hostium impetu Vrsinorū primę turmę sunt repulsę ac prosligatę, ut pleriq; debellatum esse iudicātes prę timore late profugerint, Florabbracciq; ante alios Baleoni, equitū insignis pręfectus ad Stipicianum usq; suę dictionis oppidū ingenti cursu se proripuerit. In ea perturbatione turmarū Rossetus Tifernas singularis animi uir phalangisq; pręfectus, quum extra ordinē equo aduectus procurrisset, & cum eo Franciottus Vrsinus, qui postea Cardinalis fuit, circumuēti captiq; sunt. Sed quo minus pontificij perturbatis insisterent, & in delendo hoste pręsenti fortuna uterentur, locus qui à leua procerioribus uirgultis densus aditum impediebat, plurimum retardauit, ac simul Vrbinas & Candianus lōgius prouectos reuocauere: qui nisi productis ante aciem tormentis, promotiq; Germanorū peditatu, quem in postremo agmine reliquerāt, cū pedestribus hostium copijs confligere nolebant. Ea res manifestam eorum uictoriam interpellauit: nam Vitelloccius suos confirmandi atq; adhortandi spatium nactus, æquo in loco phalangē constituit: eamq; ab latere dextro totius reliqui equitatus subsidio firmauit. At dum Vitelloccius cruentum gladium tenens, multoq; hostium & ipsius equi in ceruice sautij cruore perfusus, educta cassidis buccula ad Tifernates suos concionatur, & Carolus reductos conglobatosq; equites ad demendam ignominiam accendit, pontificij promouent tormenta, quorū pilę altius forte collibrantibus magistris emissę,

emisse, sine detrimento hostilem aciem præteruolant: tum uerò cum tota mole copiarum incumbunt. Landrianus den sata suorum ala prouetres egregie sustinet: Tifernates quoque pedites singulari constantia Germanorum impressionem excipiunt, præliumque magnis clamoribus committitur. Germani iniquo congressi loco longioribus Tifernatum Lanceis, quæ Germanicas cubito superabant, facile confodiuntur, atque in conspectu equitatus ad unum omnes temporis puncto trucidantur. Ea re conspecta equites timore consternati, fugæ se mandant. Dux ipse hostium Guido Feltrius in depressum callem ex fuga precipitatus, dum Ruina super collapsi equi operimeretur, Baptiste Tophio nobili Vrsino equiti se dedit: et ab eo abscis ephippij loris uitæ periculo eximitur. Ioannes Petrus etiam Gonzaga ab hoste circumuentus deditonem facit. Vexilla et tormenta cunctaque exercitus impedimenta capiuntur. Mutius Columna accerrimus iuuenis in inguine sagitta uehementer uulneratus euasit. In ea fuga Bernardinum Lunatum Ticinensem Cardinalem, qui in castris legatus erat, adeo uehementer incitasse equum ferunt, ut ex pauore concepto atque ea insolita iactatione paulo post obierit. Vrsini duces ea uictoria leti curâdis corporibus et diuidende prædæ, biduum quietis militi concesserunt. Tertio die promotæ signa unctisque cum Liuiano copijs qui in castra ab Bracciano uictoriam ducibus gratulatum adcurrerat oppida paulo ante amissa, præter Anguillariam et Trebonianum sunt recepta. Paulò post quum Vitelloccius uictorie moderandum, nec pontifici ulterius insultandum esse iudicaret, et pontifex suscepti temere belli pudore adductus, mitioris animi signa præbuisset, pax est confecta auspicijs Federici Sansseuerini Cardinalis qui Vrsinam familiam eo tempore singulari patrocinio tuebat.



PAULI IOVII HISTOR.

*tur. Septuaginta milia aureorum nummū ab Vrſinis impet-  
 ſe nomine pontifici perſoluta ſunt: cuius ſummæ maiorem  
 partem Guido Feltrius ut carcere educeretur appendit: cau-  
 tumq; eſt ut Vrſini, qui Neapoli in cuſtodia erant, ſine pre-  
 tio dimitterentur: curaretq; pontifex ut Paulus Vitellius à  
 Mantuauo libertatem impetraret. Sed quum ad ſeptimum  
 Calendas Februarias ad Surianum eſſet pugnatum ſeptimo  
 ante die Virginius in Oui arce, ſenio mœroreq; conſectus,  
 uita exceſſerat: Vir ætatis ſuæ ſummis honoribus militie  
 geſtis longè clariffimus: nam ſupra peritie militaris opi-  
 nionem, quod nequaquam inane noſtro ſeculo cenſetur,  
 multo etiam ſplendore liberalis uitæ cultuq; familie ac ipſa  
 demum apud ſæcioſos confirmata Romani nominis autho-  
 ritate, uel amulos Columnas proceres anteibat: quibus  
 uirtutum dotibus ſupra paternas opes, quæ erant ampliſſi-  
 mæ, ſœliciter accumulatis, ſœlix proſecto uideri potuit, niſi  
 periniqua aut certe fatali peruicacia ab æquo & bono im-  
 portunè abductus, in ipſo uindicandæ contumeliæ conatu,  
 in arcta cuſtodia miſerrimè concidiſſet. Luxerunt eum non  
 ſecus ac optimum parentē, exactæq; diſciplinæ magiſtrum  
 per nobiles alūni cum ipſi gentiles Vrſini, tum Comites Vi-  
 tellij, Angularij, & Balcones, qui ex eius domo tanquam  
 illuſtri ſcola prodeuntes, præclari demum bello duces eua-  
 ſere. Nec multo poſt Iordanes filius & Paulus Vrſinus à re-  
 ge dimiſſi ſunt, quod odio ac inuidiæ unius Virginiij morte  
 ſatisfactum eſſe uideretur, conſeſſumq; filio patris cada-  
 uer: quod apud Cere uetus totiſ familie concurſu, & ma-  
 gna clientum ueteranorumq; militum frequentia, celebra-  
 tis exequijs, tumultatum eſt.*

FINIS QUARTI LIBRI.

**P**RI MAE huius Decadis postremi sex libri clade  
Vrbis perierunt, quos tamen author ex schedijs ex-  
emplaribus sua fretus memoria ( modo uita suppetat ) resti-  
tui posse non desperat. Errera namq; Cordubensis, & An-  
tonius Gamboa Cantaber cohortium praefecti, quum in  
templo diuæ Mariæ ad Mineruã excruciatu aditu, omnes  
latebras explorassent, ferratam arcã inuenerunt, in quam  
author elaborati argenti pondo centum & historiarum  
codices condiderat. Sed Gamboa argento contentus libros  
tanquam inutilem prædam abiecit. Errera uerò non insul-  
so ingenio partem eorum collegit, eos scilicet qui in mem-  
bris scripti erant, & purpureo contecti cerio, papyra-  
ceos autem contempst, eo euentu ut dissipati in sordos usus  
omnino perierint. Collectos autem ad authorem in arcem  
detulit, ut præmium acciperet: idq; munus pontifex autho-  
ris lachrymis exoratus, sacerdotio rependit, quod Errera,  
Hispano sacerdote defuncto, apud patrios Lares magnopere  
expetebat.

# HORVM SEX LIBRO-

RVM, QUI CLADE VRBIS PERIERUNT, author Epitomata apposuit, ut legentes interruptæ historiæ desiderium lenius ferant, supplereq; uolentes, ab his rerū seriem perdiscant.



VINTO itaq; libro, narratur bellum inter Columnios & Ursinos Romanos proceres ortum. Pugnatur ad Monticellum. Crustumini agri ab utraq; factione: uincensibus Columnijs, Carolus Ursinus capitur, moxq; ciuili humanitate pace facta dimittitur, quod Alexandri pontificis astuta consilia in utriusq; factionis perniciem uersa deprehendissent. Interim Carolus rex Gallie, quum è ludo paruæ spheræ in cubiculum alienum fessus se reciperet, apoplexia correptus moritur, eiq; succedit Ludouicus Aurelianus, uir apprimè bellicosus. Florentini factionibus inter se fluctuantes, Hieronymum Sauonarolam cucullatum, de pontificis potestate male sentientem, & humanis rebus sese ambitiosius, quàm sacratum uirum deceret, immiscentem, sed indignum Christianæ doctrinæ uomine, adeò atroci supplicio in foro comburunt. Veneti qui antea hortatu Ludouici Sfortiæ Pisanos aduersus Florentinorū uim defendēdos susceperāt, quòd magis ac magis præsidia auerent, & Pisani eorum nouo imperio lætarentur, cum magna inuidia, in suspensionem occupandæ eius urbis uenerunt. Quibus de causis Ludouicus Sfortia, ne  
Veneti

Veneti immodica affectantes imperia, ea opportunissima Ae-  
 thrusco in mari urbe potirentur, ab eorū amicitia discedit,  
 Florētiniq; adherens, transmissis auxilijs Venetorum du-  
 ces cum magnis copijs Apenninum transcendere maturan-  
 tes, ut summis iugis arceantur, operam dat. Nam Paulus Vi-  
 tellius Florentinorum dux, post illata Pisanis Venetisq; præ-  
 sidijs aliquot detrimenta è Pisano agro reuocatus, ad tutan-  
 das Casentinatis saltus summitates, ad Pagum diui Stephani  
 peruenerat, multisq; prælijs factis, Guidonem Feltrium,  
 Liuianum, Astoremq; Baleonum Venetos duces singulari  
 uirtute profligarat, atq; deiecerat, usq; adeo graui cum do-  
 lore ab ea irrita spe Veneti Senatus, ut is implacabile odiū  
 aduersus Sfortiā conceperit, & cum nouo Gallie rege, Ale-  
 xandroq; pontifice, ad cōturbandum totius Italie statū con-  
 iuravit, diuisis inter se totius ferè Italie urbibus. Ex ea di-  
 uisione, Mediolani principatus non obscuro iure heredita-  
 tis Ludouico querebatur. Is Cremonam Venetis eius belli  
 socijs in præmium societatis & foederis concedebat. Casari  
 Borgie Alexandri pontificis filio, qui se à sacra purpura  
 abdicarat, interfectoq; Candiano fratre magnum imperium  
 affectabat, Togatæ Gallie & Umbriæ reguli concedeban-  
 tur, ascitusq; in id foedus Ferdinandus Hispaniæ rex cum  
 Gallo clam Apuliæ regnum fuerat partitus. Quibus consti-  
 lijs ingens mox bellum exortum est. Nam Florentini recu-  
 perandæ Pisanæ urbis auiditate in id foedus consensere, ea  
 conditione, ut Gallorum auxilijs freti, Pisanos subige-  
 rent.

**L**IBRO sexto narrantur res gestæ eius anni qui se-  
 cularem ab Alexandro conditū antecessit. Ludouicus  
 Sfortia cognito rerum suarum periculo, quòd aduer-

PAULI IOVII HISTOR.

sum se tot principes cōiurassent, litem de imperio Mediolanensium per cōditiones annui tributi cū Gallo cōponere, deprecariq; iniuriam à Venetis conatus, postquā omnia frustra tentarētur, ad Baiazetem Turcarū Imperatorem confugit, per legatos quorsum hæ coniurationes tenderent, demonstrat, atq; auxilium petit. Barbarus occasione intelligit, & terramariq; in Venetos arma parat. Veneti ingentē classē Grimano præfecto Ionio in mari Turcarū classi opponūt. Sed Grimanus malè explicata classe, & trierarchis nequaquā præsentī animo pugnam ineuntibus, ad Protium insulā inter Sporadas, turpem in fugam conijcitur, quum explorata uictoria penè esset in manibus, nisi trierarchi cessauissent, Albano Armerio, & Andrea Lauredano, qui uni omnium impigrè pugnam inierant, miserabili incendio absumptis. Quum in ingentem nauem Baracchij Smirnei prædonis, cum duabus utrinq; celocibus uehemanter inuecti, post iniectas harpagonū ferreas manus Barbari desperata salute, ultro repentinum incendium excitassent, quo uicti uictoresq; concremati sunt. Post rem male gestā, Grimanus ad Sphragiæ insulæ portum, cui Sapientiæ nomen est, se contulit. Dauthes autem Turcicæ præfectus classis, desertis & amissis aliquot triremibus, in Naupactum sinū abcessit, Naupactumq; segniter defendente Veneto, in potestatē redeget. Nec multo post Grimanus propter rem male gestam, reuocatus Venetias, in compedibus causam dixit, damnatusq; est & relegatus in Ossarum Absyrtidem insulam, inuidioso nimisq; seверо Senatus iudicio, quod nihil Dominici cardinalis pro sene patre deprecantis, sacratisq; manibus subleuantis paternos cōpedes, conspectus, & purpura, aut preces ualuisse: Quando etiam oborta in Sena-

ta misericordia, multis honeste lachrymæ manarent, uel ob  
 id præsertim quod in trierarchos quosdam nobiles minus in-  
 perio parentes non animaduertendo, pro priuata eius cle-  
 mentia, publicæ seueritatis poenam subiisset. Exitu quoq;  
 eius æstatis Scanderbassa Illyrici præfectus, cum duodecim  
 milibus equitum, per Aquileiensem agrum in Emganeos, al-  
 tissimis fluminibus superatis, populabundus penetravit,  
 captoq; magno hominum numero, quod nemo armatus ob-  
 sisteret, & trucidatis immaniter senibus, in Tilauenti am-  
 nis ripa, unde uenerat, graui ex incendijs & cæde luctu in  
 his regionibus relicto, reuersus est, postquam se seram Lu-  
 douico Sfortiæ opem attulisse didicit.

**L**IBER septimus, eiusdem anni per autumnum res  
 gestas refert. Narratur bellum ortū inter Heluetios  
 & Germanos Rheno propinquos. Hi Vallis Agnedi-  
 ne incolas, qui inter Rhetos, Grisoni hodie uocantur, incur-  
 sione facta, ferro atq; igne populati fuerant, quibus open-  
 implorantibus, Heluetij uetusto fœdere coniuncti nō desue-  
 runt, conflixereq; cum Germanis ad Suarzualdum, qui lo-  
 cus combusti nemoris nomen sonat. Eo prælio Aynauole-  
 banus Heluetiorū dux peritissimus, ordines partiendo pro-  
 mouendoq; ita hostium aciem perfregit, ut celebri uictoria  
 sit potitus. Sed quum ante alios pulsum loco hostem acrius  
 urgeret, iam planè uictor, plumbea pila caput ictus occu-  
 buit. Sub id quoq; tempus Paulus Vitellius Florentini dux  
 exercitus, tormentis admotis magno apparatu, sed inæolici  
 conatu Pisas oppugnauit. Quum enim Stampactis propug-  
 naculum, quod in meridiem uertitur, deiectis atq; interse-  
 ctis defensoribus occupasset, atque inde in urbem irrup-  
 turus esse uideretur, Pisani ab interiore area in eam

PAULI IOVII HISTOR.

partē ingens tormentum, quod Bubalus ab incredibili uio-  
 lentiā uocabatur, obuenterunt. Tāta uerò pilarum eius uis  
 exciuit, ut omnia munimenta à Vitellio obiecta disijceret, ne  
 minēq; propugnatorem introrsus consistere sine certa per-  
 nicie pateretur. Itaq; propugnatoribus Stāpace denudato,  
 Vitelliani pedē retulerunt, sic ut spe ferē captæ urbis Pau-  
 lus deijceretur, & autumnus grauis exercitum inuecto pe-  
 stilenti morbo mirum in modum uostaret. At Vitellium post  
 tantas res paulo antē prospere gestas, quod nouissimo cona-  
 tui Fortuna non arriisset, inuidia inuasit præbuitq; causam  
 accusationi Raynuccio Martiano perpetuo hosti suo atq; ob-  
 trectatori, ut apud Florentinos facile suspicaces, non ui,  
 sed dolo cessissē, nec potiri Pisis uoluisse crederetur, quod  
 Ludouici Sfortie literis obtemperare potius quā Reipu-  
 cōmodo, extremum capiendæ urbis periculum facere uo-  
 luisset. Itaq; ea oneratus calumnia, nihil tale timens Casci-  
 na in oppido à legatis Florentinis capitur, Vitelloccio fratre  
 per tumultum elabente. Perductus autem Florentiam exqui-  
 sitissimis tormētis subditur, nec quicquam quo nominis fa-  
 ma maculari posset, ab infante atq; fortissimo uiro elici po-  
 tuit, quum tantum se à fortuna sua miserē deserī, & ingrātē  
 plecti quereretur. Sed Raynuccianæ factionis octo uiri, quē  
 iure damnare non poterant, impotentibus suffragijs, ne in-  
 iurie ultor euaderet, capitali supplicio damnarunt. Per eos  
 dem dies Galli in Italiam transcendunt, ac Obegnino &  
 Triuultio ducibus, Aratium & Annonium Sfortiani impe-  
 rij arces expugnant, atq; inde ad Alexandriam deferuntur,  
 magnaq; ui tormentorum murum quatiunt. Sfortianis co-  
 pijs præerat Galeacius Sanseuerinus. Is uti postea dicebat,  
 falsis Calatini germani fratris literis, quasi id iuberet Sfor-  
 tia,

tia praesidio excedere, et Mediolanum reuerti iussus, magnam  
 partem exercitus interclusam Pado, Gallis diripiendam praebuit,  
 turpiterque aufugiens, urbem hosti occupandam reliquit. At Sfortia  
 ad profligati exercitus, amissaque Alexandria nuncium percussus,  
 quum forte Simon Horrignonus Insuper homo facinorosus,  
 Antonium Landrianum ararij praefectum trucidasset, ab eaque  
 caede expediendae pecuniae facultas conturbata uideretur,  
 animum despondit, Comumque profectus cum Ascanio  
 cardinale fratre et liberis, in Germaniam ad Maximilianum  
 Casarem confugit. Nec multo post ex eius uictoriae letissimo  
 nuncio, Ludouicus rex Mediolanum uenit, cui cunctae Sfortiani  
 imperij urbes cum Genoua deditionem fecerunt. Cremona  
 autem ex conditione sceleris Veneto cecidit. Arcem uero  
 Mediolanensem longe omnium munitissimam atque pulcherrimam,  
 Bernardinus Curtius insigni auaritia atque perfidia uir,  
 qui Sfortiae alumnus fuerat, Gallis prodidit. Per id  
 tempus Caesar Borgia, Heluetijs mercede conductis,  
 adiunctoque sibi Gallico equitatu, cui Alegria  
 praerant, Catherinam Sfortiam Forocornelii et Foroliuij  
 urbibus expulit, dedentemque se demum, captiuam  
 Romam duxit. Quum uero Fauentiae, Arimino, atque Pisauro  
 imperij auidus immineret, Sfortia post quintum  
 exilij mensum, quod taedio Gallorum ab Insubribus  
 accerseretur, cum manu Heluetiorum Mediolanum  
 est reuersus. Verum intra paucos dies post  
 Nouariam tormentis receptam, nouus Gallorum  
 exercitus duce Tramulio cum ueteribus Ligninij  
 et Triuultij copijs coniunctus, eum magnopere  
 conterruit, ob id maxime quod magnus  
 Heluetiorum numerus Gallicis in castris  
 militaret, misceretque facile sermones  
 cum consanguineis suis, qui apud se  
 stipendia merebant. Ludouicum quoque



PAVLI IOVII HISTOR.

Valdreium uirum Sequanum, qui trecentos galeatos equites adduxerat, à Gallis ei notis ducibus, sollicitari ad defectionem didicerat. In eo graui metu Sfortia certa tributi pactione cum Ligninio, ut se periculo eriperet, transigere constitus est, sed eius consilia Fortuna iam pridem infesta penitus elusit. Nā Heluetij utriusq; partis Gallica pecunia corrupti, eū habitu Heluetij militis inter phalangis ordines prodeuntem, Gallis ducibus tradiderunt, præcipuis tantæ perfidiæ authoribus Rodulpho Salice Rheto, cui Lōgo cognomen fuit, & Cassare Sileno ab Vrania Heluetio. Sfortiam in Galliam perductū, Ludouicus rex nullam humanitatis & clementiæ laudem querens, in prædurum carcerem sine scribendi solatio coniecit. Eandem fortunā tulit Ascanius cardinalis in Placentino agro, dum effugeret à Conrado Lando Venetis equibus proditus. Hūc postea Venetis diu custoditum, deposedenti regi Senatus tradidit, ut in Gallia seruarietur.

**O**CTAVVS liber Baiazetis Turcarum Imperatoris in Græciam aduentum continet. Is anno seculari cum centum quinquaginta armatorum milibus ab Isthmo Peloponnesum ingressus, trinis castris ad Metonem positis, turrem portæ imminentem maioribus tormentis est demolitus, murum quæ tribus in locis aperuit. Sed post uaria certamina utrinq; accerrimè depugnata, Ianizari pedites à sanctæ Mauræ porta in urbem perruperunt, quum fortè miserabili casu Metonenses conspectis quinque triremibus Venetis, quæ arma, milites, & comæatum obsessis afferebant, ut appulsos exciperent, ad mare desertis stationibus descendisset. Itaq; Barbari potiti lato aditu, editaq; magna cædæ, Græcos simul & Venetos milites obtruncant,  
 cohort-

cohortemq; dudum expositam, & à portu intrantem con-  
 cidunt. In ea strage Antonius Fabrius, & Bardella præsidij  
 præfeti trucidantur, Andreaq; Falconi Metonensium Epi-  
 scopo, qui in sacra ueste hortabundus prodierat, mitratum  
 caput barbari gladio detruncatur: neq; cuiquam armato  
 uel inermi Turca miles pepercit, nisi quem aut ætas, aut  
 decora forma conseruauit. Captiui longis nexi restibus su-  
 pra mille perduci ad prætorium, in conspectu Imperatoris  
 trucidati sunt. Custodie tamen iniectis cathenis traduntur  
 Gabriel prætor, & Balastus quæstor cum Aurelio scriba,  
 atq; item Sebastianus è monte Silice, qui ueteri præsidio  
 præfuerat. Inde Baiazetes Coroneos Metonensium casu  
 perterritos in deditiõnem accepit. Crisseum quoque à Cher-  
 seoglebassa Baiazetis genero, tormentis est expugnatum.  
 Tentauit & frustra Nauplium Helibassa: & Pilus olim  
 Nestoris sedes, hodie Nauarrinum Iunco portui imposi-  
 tum, metu exterrito arcis custode, Barbaris est deditus.  
 Quibus rebus gestis Baiazetes terra & mari planè uictor,  
 quòd Veneta classis nusquam congredi ausa certamen detre-  
 ctasset, Bizantium est reuersus. Nec multo post à Consaluo,  
 cui propter singularem uirtutem consensus militum Magni  
 cognomen dedit, coniuncto sibi Pisaurio Venetæ classis præ-  
 fecto, Cephalenia post longos difficilesq; labores expugna-  
 ta est, quum Turca firmè omnes in uestigio stationis cum  
 Gisfare præfecto nõ inulti cecidissent. Pisaurius quoq; quò  
 multa Turcis detrimenta agilitate triremium suarum intu-  
 lisset, sanctæ Mauræ oppidum, ad Lencadem Neritho in  
 insula, fortiter expugnauit, Turcarum equitibus peruada  
 reciprocantis Euripi ab Aetolico litore obsessis, opem fer-  
 re frustra conantibus. Sed nequaquã pari fortuna Gallica

PAULI IOV II HISTOR.

classis, quæ subsidio missa in Græciâ peruenerat, mari rem  
 gesit. Nam Rauastennius præfectus ad Lesbum insulam de-  
 latus, Mitylenasq; tormentis oppugnare adortus, Turca se  
 impigrè defendente, ita incæpto abcessit, ut seuiente tempe-  
 state, classis eius dissestasit, ipseq; post multa pericula ac nau-  
 fragia ad Tarentum euaserit. Gallia atq; Hispania reges ex  
 composito Federicum Aragonium adoriuntur, Magnus  
 Consaluis tecto cõsilio, simulataq; amicitia Brutijs & Apu-  
 lis imminet. Nam Vrsius Gallorum dux, adiuncto sibi Casare  
 Borgia per Campaniã delatus, Capuam Urbem oppugnat,  
 atq; inter condiciones deditium se ducum hostiliter irrum-  
 pit: direptisq; Campanis & Aragonijs militibus male mul-  
 ctatis, Fabricius Columna & Raynucius Martianus capi-  
 untur. Hunc uulneratum Vitellocius, ut Pauli fratris mani-  
 bus parètaret, ueneno plagæ indito tollèdum curauit. Illum  
 Iordanes Vrsinus è manibus Gallorum liberaliter præbito  
 auro redemit. Federicus exutus copijs et consilij inops, quæ  
 antea à Consaluo opem frustra implorasset, relicto regno  
 deditisq; arcibus, ad Ludouicũ regẽ uerum hostẽ nauigare,  
 quàm ad Hispanum cõsanguineum à quo se iniquissimè atq;  
 ingratisimè proditum querebatur, confugere maluit. Itaq;  
 Consaluis sine uulnere Brutios, & Apulos in ditionem Fer-  
 dinãdi regis redegit: eoq; eueniu Alfonso Federici filium  
 Tarenci obsedit, ut quum adolescens certa libertatis cõditio-  
 ne inexpugnabilem urbẽ dederet, contra iusturandi religio-  
 nem caperetur, ut unicus Neapolitani regni hæres in Hispa-  
 nia seruaretur. **N**ec diu post Hispani & Galli ex propin-  
 quis præsidijs de finium diuisione disputantes, ad arma acer-  
 rimumq; bellum descenderunt: Quo exorto, Gallis para-  
 tioribus, Consaluis in Barolum compellitur. Eo obsessio  
 noua

noua auxilia, cum ab Hispanis, tum è Germania per Hadria-  
 ticum Consaluo superuenerunt. Quibus fretus cum hoste ad  
 Gerionem in Apulia prosperè conflixit, interfecto in acie  
 Namursio duce. Pari etiam fortuna in Brutijs Vgo Carde-  
 nius Obegninum Gallorum ducem ad Semenariam debella-  
 uit, quum ab eo paulo antè apud Gioiam Brutij Agri, acie  
 fuisset profligatus, geminataq; eo modo Hispanorum uictoria,  
 Galli uix retèta Caieta, Neapolitano regno depulsi sunt.  
 Sub id tempus Casar Borgia, qui quatuor Varanios pro-  
 cures antiquissimæ stirpis Camertes necarat, ut eorum impe-  
 rio & opibus potiretur, Guidonem Feltrium Urbino, Pan-  
 dulphum Malatesiam Arimino depulerat, Astoremq; Man-  
 fredum expugnata Fauentia sub fide deditum strangulat:  
 Sanguinarias manus Vrsinæ factionis atque familiæ proce-  
 ribus admouit. Primo Vitellocium ab insigni urtute inui-  
 sum, & Liberottum Firmanum, moxq; Paulum Vrsinum  
 Latini cardinalis filium, et Franciscum Vrsinum Grauinæ  
 regulum in Umbria tetro supplicio sustulit: eodemq; die ab  
 Alexandro pontifice ad constitutum tempus, Baptista Vrsi-  
 nus cardinalis in mole Hadriani cantaridum ueneno subla-  
 tus est. Sed italicæ nobilitatis stirpes excidenti, affectantiq;  
 regnum Italia, non diu Fortuna arrisit: quum coenaret enim  
 Vaticana in uilla inuitatus à patre pōtifice uenenum bibit,  
 quod conuiuis quibusdam senatoribus ditissimis paratum  
 erat, fallente lagenas incautè à poculis ministro. Sed Ale-  
 xandro uim ueneni non ferente, ipse Casar paterno funeri  
 miseræq; suæ interfuit. Nam Iulius Alexandro suffectus, eum  
 exutum exercitu, in arce sub custodia tenuit, quo ad missis  
 tesseris arx Ostiësis redderetur. Fide demum à Consaluo ac-  
 cepta, Neapolim nauigauit, ubi dum compararet copias,

PAVLI IOVII HISTOR.

Et nouas res moliturus uideretur, captus est, et in Hispania custodiendus ad Setabam transmissus. Alexandro mortuo atq; item Pio territo, qui paucissimis diebus regnauit, nec adhuc per comitia Iulio creato, nouus Gallorum exercitus Romam intrauit, Tramulio, et Francisco Gōzaga Mantuano principe ducibus. Ii Appia atq; Latina uia bipartitò regnum ingressi, nulla memorabili re gesta, totam ferè hycem in Aquinate, et Fregellano agro consumpserunt: mirificè eis resistente Cōsaluo, qui Lyrin amnem pōte transgredi ausos, fortissimè repulit: castraq; demum eorum adortus, quum noctu superioribus uadis copias omnes traduxisset, in foedam fugam per Formianum litus cum multa cede coniecit. Quo aduerso rerum successu, Galli duces animis fracti Caietam dedederunt, ea conditione, ut sua classe uecti, inermes in Galiam redirent.

**L**IBRO nono Iulius pontifex, Ioannem Bentiuolum ab inueterata tyrannide, cœtuq; audacium filiorum præpotentem Banonia expellit, ope Gallorū adiutus, qui ad portas exercitum admouerant. Bentiuolus septuagenarius senex, animum despondens, quum ferociam imminētis Pontificis magnopere timeret, ad castra Gallorum confugit, nullo in suprema rerum difficultate, aut uirtutis, aut industriæ conatu edito: sic ut postea apud Mediolanum in exilio perierit. Domus eius incomparabilis structuræ, quæ media in urbe edificarat, ut abominandi dominatus memoria tolleretur, concursu populi à fundamentis euersa est. Sub id tempus Philippus Maximiliani Cesaris filius Belgarum princeps, in Hispaniā nauigauit, ut Isabellæ socrus dotale regnū adiret. Receptus est ab Hispaniæ proceribus usq; adeo studiosè, ut Ferdinandum regem socerum desererent, cui tan-

quano

quam seni & parum liberali facile omnes florentem etate et splendore uitæ nouum regem anteponebant. Ferdinandus suorū leuitatē perfidiæ proximā detestatus, Neapolim nauigauit. Nec multo post Philippus ab intēperie noui cæli, cui Belgicæ epulæ minimè congruebant, oborta febre surreptus est. Eius mortem Luridus cometes portendit, qui per aliquot dies ad occidentam plagam arserat. Exinde Ferdinandus Neapoli rebus compositis, & Magno Consaluo propter affectati regni suspicionem abducto, ad sua regna rediens, collocutus est cum Ludouico Gallie rege apud Sauonam, de inuadendisq; Venetis consilium ab utroq; initum est. Tum enim Ludouicus Genuenses armis subegerat, quum pulsa nobilitate statum popularem induxissent, resistereq; ausi cæculminibus montiū deiecti, uictiq; ad Gallicū imperium impetrata uenia rediissent. Paulus Nonius uir plebeius qui ad summum honorem fauore plebis erepserat, inauspicati principatus poenas capite persoluit. Secutum est demum bellum, quod Germani auctore Cæsare cum Venetis gesserunt, partim à Carnicis Alpibus, partim ad Tridentinas fauces. Hinc ad Petram castellum Pitilianus & Triuultius cum Gallicis copijs, Hispanorumq; cohortibus, Germanos facile represserunt. Ad Cadurium uerò oppidum alteram Germanorum manum per niuosa Carnorum iuga, Liuianus ita cecidit, ut ab eo cruento prælio, aliquot oppida Germanicæ ditionis, & in his Tergestum urbem ui expugnata, Veneto imperio adiecerit. Quæ affectus iniuria Cæsar, concitante Iulio pontifice cum cæteris Europæ regibus coniurauit aduersus Venetos: eaq; coniuratione Italia supremam propè adiit cladem. Veneti enim immoderata affecti cupiditate, per amplum, ob idq; inuidiosum ex aliorum ruina int-

PAULI IOVII HISTOR.

perium condiderant: fremente pontifice, quod Ariminum atq; Fauentia urbes, pontificio imperio ereptæ, ex æquo & bono sepius repetitæ, minime redderentur. Non ferebat Galus Cremonam ditioni suæ detraclam, & Hispanus rex nequaquam sibi integre partum Neapolitanum regnum existimabat, quum maritimæ Apulorum urbes oppignoratæ iam pridem ab Aragonijs, Syptotus, Tranium, Monopolis, Brundisium et Hydruntum Venetis præsidijs tenerentur. Coiungere legati principum ad urbem Cameraccum in Belgis, decretumq; est communibus uiribus in Venetos bellum, tanto silentio, ut quum eius suscepti consilij suspirationes emanarent. Venetijs nequaquam maturè crederetur. Eo modo Ludouicus in Italiam cum ingentibus copijs transgressus, ad Abduam Venetos castra conferre, atq; aciem tētare ausos cum magna cæde profligat, capto Liuiano. Secundum eam uictoriam intra paucissimos dies, non modo sua quæ repetebat, Bergomum, Cremonam, Cremam & Brixiam sine uulnere recepit, sed eodem terrore Veronam, Vicentiam, atq; Patauium, Cesari capienda præbuit, quod deleto exercitu cum paucis Pitilianus, desperatis rebus ad Mestrium extremum continentis oppidum refugisset. Pari quoq; cursu Iulius non Ariminum modo atque Fauentiam, sed Ceruiam et Rauennam recepit, ultroq; Senatus Venetus Apuliæ urbes, Hispano regi dedendas curauit: sic ut tanta modo Veneti imperij fortuna Italis hominibus planè miserabilis, externis uerò ridenda uideretur, quando uni omnium Turcæ pacis paulo antè confectæ memores, non modo fidem seruauerint, uerùm auxilia in id bellum amice studiosèq; obtulerint. Sed barbaro regi, quod fidem pacemq; egregie tueretur, gratias egit, quum huiusmodi auxilijs nequaquam è Republica utendum

utendū esse censuisset. Nauarrus ex gregario milite, cōmendatione uirtutis dux factus, quū antea auspicijs Ximenis archiepiscopi Toletani classem sua pecunia adornatis, Oranū Mauritaniæ emporiū, in magno portu occupasset, Buziam demum in Numidia urbē Mahometanorū gymnasio claram cepit atq; diripuit, emensoq; inde Africa littore Tripolim inter duas Syrtis, terra mariq; admotis copijs expugnauit. Sed reuectus ad Mœnicē insulā, quū Girapolim adoriretur insigne accepit detrimentū. Ingruentibus enim Barbaris, Hispani milites per loca aquæ indigna, torrente Sole sitim perpepsi, ordines seruare nequierunt, uersiq; in fugā, dum ad nauigia quæ in alto erant, deficientibus scaphis enatare properarent, ab hoste cædebantur. In eo tumultu Garzias Toletanus illustris iuuenis fortiter repugnans est interfectus.

**D**ECIMO libro, Andreas Grittus Venetus legatus Patauium, segniter tuentibus eam urbem Cæsarianis, receptis, Leonardo Dressano non diu tuente arcem. Is quod esset Vicētinus ciuis, in baratrum teterimi carceris Venetijs est deiectus. Quatuor uerò è Patritijs Patauinis, qui stultè perfidiosoq; Venetis se auersos ostenderant, in foro Veneto latronum more strangulati sunt. Maximilianus Cæsar, suorum incuria amissam urbem ut reciperet coactio ualidissimo exercitu è Germania descēdit, ad quæ Gallorum et Hispanorum Pontificiorumq; militum auxilia accesserunt. Sed late prostratis muris oppugnatio eum habuit euentum, ut Pitilianus constantissimus dux, urbem insigni cum laude defenderit, irritoq; incepto Cæsar in Germaniam redierit. Post seruatum egregiè Patauium, Veneti contra Alfonso Ferrariæ principem, aduerso Pado, classem uiginti trirēmium miserunt. Eam Ferrarienses post u-



PAVLI IOVII HISTOR.

ria accepta incommoda, authore Hippolyto Atestino cardinale, tormentis sub aggere constitutis ita perfrugerunt & demerserunt: ut uix Angelus Triuisanus classis præfectus effugerit: Senatus Venetus graui salubriq; suscepto consilio, ueniam pacemq; à Iulio pontifice per legatos supplex petijt, facileq; impetrauit, quum ille generoso spiritu publicum Italix corruentis decus, discrimenq; prospiceret. Magno siquidem ei pudori erat, sacrorum principis personam sustinenti, subiectis non parcere, quando ipse feruidiore ita concitatus, nobilissimæ Reipublicæ excidium parasse diceretur. Id factum nouarum cladum initium fuit. Nam Iulius Venetos defendens, Alfonso Ferrariensi bellum, intulit. Hunc Ludouicus Rex, quum tuendum susciperet, Pontificis hostis effectus est. Cuius cōtrouersie is extitit finis, ut Gallus per Triuultium ducem, profligato pontificio exercitu, cui Feltrius præerat, Bononiam reductis Bentiuolis Pontifici eriperet. Ea uis Pontificio nomini illata, deprecante iniuriam Iulio, atq; opem implorante, uniuersos prope Europæ Reges, aduersus Gallos ita concitauit, ut Africanæ legiones à Ferdinando rege, quæ pontifici opem ferrent, in Italiam mitterentur, Heluetiq; pontificem contra Gallos tuendum susciperent. Gallus suis subnixus uiribus, sacra anathematis tela contemnens, ut omnem Pontificis auctoritatem conuelleret, Concilium Pisis indixit, concedentibus primo Florentinis, et mox Gallica præsidia respuentibus, sic ut sacerdotes à Iulio transfuge Pisis exacti, Mediolanum confugerent, atq; ibi Concilium celebrarent. Interim Gasto Foisseius sorore Ludouici regis genitus, copijs præficitur. is semel atq; iterum Heluetios infesta populatione in agrum Insubrum descendentes repressit. Bononiensibus raptato per lutulenta itinera ualido

lido exercitu, opem tulit, quum Hispanorum & Pontifi-  
 ciorum mœnia quaticentium uim egre sustineret Alegria  
 Gallici praesidij praefectus. Eius aduentu non planè matu-  
 re cognito, Nauarrus atq; Cardonius tormenta retraxe-  
 runt, & se per Aemiliam uiam receperunt, ne ante por-  
 tas bellicose ciuitatis cum Gallis praelio congregari cogeren-  
 tur. Gasto liberata Bononia, incredibili celeritate aduer-  
 sus Venetos traiecto Pado conuolauit, qui Brixiam proditi-  
 one receperant, arce adhuc Gallico praesidio retenta, ad  
 quam expugnandam, quum Paulus Baleonus à Senatu mit-  
 teretur, in itinere Castoni fit obuius ad turrem magnanimi,  
 qua est prope Athesim, statimq; improuisa utrinq; exorta  
 est pugna, qua Baleonus uiribus impar, profligato exercitu  
 suo, quum Athesim transisset ex fuga uix seruatus est. Ea be-  
 ne re gesta, Gasto ubi Brixiam peruenit, per arcem ingenti  
 cæde edita, urbem recuperauit, capto Gritto. De Aloisio au-  
 tem aduocato, qui defectionis author fuerat supplicium in  
 foro ipso spectante desumptum est. Directa miserabilem in  
 modum & cadaueribus repleta Brixia Gasto unde uenerat, redi-  
 ens, superato rursus Pado, pugnae auidus, ad oppugnandam  
 Rhauenam delatus est, ratus, uti euenit, Cardonium atq; Na-  
 uarrum obsessæ urbi ad non dubiam conferendæ pugnae occa-  
 sionem, opem allaturos. Sed oppugnantem triduo fortissimè  
 sustinuerunt M. Antonius Columna, & Petrus Castrius. In  
 ea oppugnatione Gasto spineum tormentorum magistrum,  
 & Cetellionem è Colinea familia, ducem clarissimum tor-  
 mentis ictis amisit. Quum uerò hostes aduentare cogno-  
 sceret, castra mouit, transgressusq; Vitim amnem qua ho-  
 die Aquadussa appellatur, cum hoste conflixit. Eo praelio  
 longè omnium cruentissimo, tormentis utrinq; acies pro-

PAVLI IOVII HISTOR.

sternentibus, res gesta est, sed maiore Hispanorum incommodo, quum Alfonso Atestinus qui primam aciem ductabat, capto opportuno circuitu, tormenta sua, in latera hostium direxisset, non paucis etiam e numero suorum interfectis. Verum Gasto ingenti potitus uictoria, quum recipiente se per aggerem Hispanorum legionem intemperanter persequeretur, immoderate uirtutis iuuens a globo hostium circumuetus, atque interfectus est. Galli prope pari affecti clade, capto atque hostium castris potiti sunt, atque inde Rhauennates se dederunt, contra fidem, uiolatis etiam templis, magna clade affecterunt. Eo praelio captus est Ioannes Medices Cardinalis Pontificis legatus, et cum eo Nauarrus. Supra uero quadraginta maiorum minorumque ducum cadauera, reperta sunt. Secundum autem famam praelij Rhauennatis, Heluetij a Iulio infracti animi Pontifice in auxilium exciti, per Tridentinas alpes intra paucissimos dies in Veronensem agrum descenderunt, repulsique ab Athesi Gallorum exercitu, cui Palici praerat, retrocedentes, nec congregi ausos Gallos, Ticino in urbe obsederunt. Nec multo post quum Baleonus cum isto exercitu tormentorumque apparatu Heluetijs se coniunxisset, Galli Ticino eiecti, compulsique in fugam ultra Alpes redierunt, atque ita Iulius liberate a Gallis Italiae titulum pretulit, egregieque ultus est Florentinos, qui auctore Soderino ipsorum dictatore, concilio sedem dedissent, reduxitque in patriam Ioannem Medicem Cardinalem, qui magno casu e Gallorum manibus elapsus, cum reliquijs Hispanorum in Aethruariam peruenerat. Sed Iulius septuagenarius senex, uel foelix ea uictoria, lethiferum concepit morbum: Romaeque fato functus est. Successit autem ei Ioannes Medices, in comitio iuniorum suffragijs subleuatus.

PAVLI IOVII NOVO-<sup>158</sup>

COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI

Historiarum sui temporis.

LIBER XI.



**L**EONE Decimo pontificatum  
 incunte, quum is ad tertium Idus  
 Aprilis thiara sacri Imperij, more  
 maiorum accepisset, ut dies quo  
 ad Rhauennam captus fuerat, cir-  
 cumagēte se anno, infaustus, tan-  
 ti spectaculi celebritate ex atro  
 in candidum uerteretur, ex Rusū  
 legati literis cognitum est, Ferdinandū regem occultas cum  
 Ludouico inducias pepigisse: Ea re Britannia regem gra-  
 uissimè cōmoueri, quod se deceptum à socero quereretur,  
 cuius hortatu Dorsetium cum ualida classe, ad inuadendā  
 Aquitania oram transmīssisset. Enimvero Ferdinandus cum  
 Etas belli rationes fœderumq; iura, uel cum pudenda muta-  
 te fidei labe, et graui sociorū iniuria, ad commodū suum re-  
 ferre erat solitus. Nam postquam Ioannē Cātabriae regno  
 expulsū, Gallicisq; armis id repetere conantem Albanij uir-  
 tute repulerat, noui regni gentem Albretis antiquis regibus  
 deditam induciarū spatio confirmandam existimabat: ratus  
 utiq; opportuni eius regni accessionem multo potiore uti-  
 tilioremq; defensione Cisalpinae Galliae, cuius auuiditate Lu-  
 douicus inde pulsus usq; adeo ardere uideretur, ut Ioannem  
 ex antiqua Gallorū amicitia, recentiq; eius societate regno

PAULI IOVII HISTOR.

eiectum, atq; ob id apud se exulem, tota spe recuperandi re-  
 gni deicere nō puderet. Ex horū enim longē maximorum  
 nostræ tempestatis regnū ingenijs, et tū liquidō, & multū  
 antea præclare cōpertū est nihil omnino sanctū & inuola-  
 bile, uel in rite cōceptis sancitisq; fœderibus reperiri, quod  
 in prosperēdis imperijs augēdisq; opibus, apud eos nihil ad il-  
 lustris famæ decus interesset, dolōne et nusquā sine fallacijs,  
 an fide integra uerāq; uirtute niterentur. Itaq; Ferdinando,  
 quod de inducijs occultē transactum erat, egregiē dissimu-  
 late, et Gallis arma parātibus, Moronus Maximilianī Sfor-  
 tiæ legatus à Leone supplex maturā opem implorat: Pla-  
 centiam Parmamq; urbes, si Sfortia deseratur, ad Gallos re-  
 dituras docet: Venetos porrō aduentanti Gallo minimē de-  
 futuros demonstrat, quod per summam iniuriam Brixia ex-  
 clusi, ex nouo fœdere Cremonam repetant, & Veronum  
 quoq; Gallicis freti auxilijs se recuperaturos sperent. Pro-  
 inde maturē cauendum esse, ne consilia Iulij fortissimi pon-  
 tificis non sine diuino numine ad Italiæ libertatem explicata,  
 totq; partis uictorijs egregiē confirmata, cum dira rerum  
 omnium conturbatione subuertantur. Ipsum autem socio-  
 rum omnium esse unum, qui imminentibus malis occurrere  
 possit, & præclaro facto res omnium seruare incolumes,  
 postquam Hispanus à fœdere iam planē discesserit, si pecu-  
 niam ex sacro arario Sfortiæ suppeditet, ut persolutis sti-  
 pendijs Heluetij ingentibus animis ad tuendam Sfortiæ cau-  
 sam parati, in uetere studio & fide contineantur. Hæc dis-  
 ferenti Morono, uehemens adiutor aderat Sedunensis Car-  
 dinalis, qui ex professo Gallorum hostis, suæ gentis princi-  
 pes Sfortianæ causæ, quæ pontificiam dignitatē includeret,  
 ius et nomē cōstantissimē defensuros pollicebatur. Eos enim

ubi pontificem, & nouo nomine, & paterno spiritu generosum, nihil animo labare, sed pontificij Italicij; nominis deus augusto constantiq; decreto tueri uelle audierint, ex templo inuictis armis ostensuras, quo studio, qua fide, qua deniq; uirtute, hastatus miles Heluetius pro socijs semel in tutelam receptis, aduersus sacrosancta maiestatis uiolatorum pugnare sit solitus. At Leo de commutata Ferdinandi regis uoluntate certior factus, presentiq; adductus periculo, quod iam Galli ad Coctias alpes peruenissent: tamen si uii accidit nouo principatu, nondum rerum publicarum cogitationes explicasset: graui tamen expeditoq; iudicio, iisdem quibus Iulius fortiter glorioseq; ire institerat consiliorum uestigijs sibi consistendum existimauit: eo quidem temperamento, ut aperte neminem offenderet, & pacificatoris nomen sacrosancto omnium parente dignissimum tueretur. Sfortie namq; salutem omnino negligere, populiq; Heluetij amicitiam tanquam utilem decoramq; Romano pontifici, nisi impense & grauiter aestimare non poterat, postquam Iulius Maximiliano Sfortia legitimis ideoq; foelicibus armis restituto, paternam ei ditionem ex decreto senatus adiudicasset: & populus Heluetius fide, uirtute, & recenti uictoria inclytus, specioso decoroq; titulo defensor pontificis libertatis esset appellatus. Itaq; Morono in stipendium pecunia numeratur, quam ille magnis itineribus Placetiam contendens, Heluetijs cohortibus diuidat, egregium Leonis studium ostendet: detq; operam, ut Cardonius, qui tum ad Trebia amnem habebat castra, superato Pado, cum Heluetijs se coniugat. Sed his ad famam propensi amiciq; Pontificis abunde exhibitaratis, & quod summe rerum intererat, presentis pecuniae conspectu opportunè confirmatis, nihil plus à Cardonio

PAULI IOVII HISTOR.

de inducijs ab rege suo pariter & à Gallis diligenter edocto impetrari potuit, quam ut promouendo castra, Padum traiecturi speciem præberet, & Romana uia præter Clastidium atq; Derthonam, Hispani leuis armaturæ equites, ad continendos in fide socios Gallorum metu nutantes, excurrere iuberentur. Verum ea simulati auxiliij ostentatio uel multis impetrata precibus, magno detrimento socijs cessit: Nam quum Piscario cum peditatu præeuntes equites subsequenti, Vicoirienses tanquam rapacis ac impotentis gentis timore adducti, portas clausissent, nec postulanti comæatum nisi corribus è muro demissum præberent, usq; adeo grauis toto agmine indignantium militum fremitus est exortus, ut cohortes sub signis arma caperent, ulturæ contumeliam quod ab agresti inhospitaliq; populo minimè receptæ, sub diuo tendere cogerentur. Itaq; facto impetu prolatisq; tormentis muro portæq; succedunt: refractiq; ponte ligneo & deiectis ex muri corona defensionem parantibus, nihil uetante Piscario in oppidū irrumpūt: crudeliq; cæde edita, per se opulentum, & eo terrore Gallici belli eò confugientium diuitijs refertum hostiliter diripiunt: insigni cum infamia Piscarij ducis, qui aduersus miserè atq; improvidè obfistentes socios dignitatem suam, uel iniquo maximeq; seuo facinore edito, ut milites ditaret, tueri contendebat. Interea Ludouicus ex inducijs ab Hispania omni belli metu liberatus, & ualida classe in Oceano aduersus Britannos Armorici littoris urbes defendens, duos summæ authoritatis atq; peritiæ duces, qui Alpes transcendant, Tramulium atq; Triuultium deligit, euocat Robertum Sedaniū in Eburonibus principem cum nigra Germanorum legione, atq; item Alotsum Beomuntium è Catabria finibus accersit, cum his Vasconum

ſconum cohortibus, quæ paulo antè Palicia duco ad Pompe-  
 lonem cum Hiſpanis bellum geſſerant. Hiſ quoq; admisce-  
 è Gallia aliquot peditum uexilla delectæ iuuentutis, quòd  
 tum honeſtiſſimus quiſq; qui non eſſet ad equũ reſcriptus,  
 alacritate inſigni pedibus militare decorum putaret. Hoſ  
 omnes magno tormentorum apparatu inſtructos in Italianam  
 maturare, communicatiſq; cum Veneto Senatu conſilijs,  
 Sfortiam ſolis Heluetiorum auxilijs conſiſſum adoriri iubet.  
 Veneti enim ab Hiſpanis contra fœdus intercepta Brixia  
 indigne pro hoſtibus habiti, cum Gallo in amicitiam redie-  
 rant, hiſ legibus renouato fœdere, ut conſecto communibus  
 armis Sfortiano bello, Cremona potirentur, & reliquas de-  
 mum ſue ditionis urbes Gallorum adiuti copijs recupera-  
 rent. Quibus obſignatis tabulis, Liuianus diuturno atq; die-  
 riſſimo carcere eduſus, in Italianam uenerat & à Senatu in  
 honore militaris imperij Petiliano ſuffectus, nouas copias  
 ueteribus addendo, iuſtũ atq; optime inſtructum exercitum  
 compararat. Idem quoq; ex fœdere conſeſſe libertatis bene-  
 ficium Grittus tulit, quem ſuperiore anno Brixie captum  
 diximus. Huic iniunctũ eſt ut Tramulio atq; Triuultio co-  
 mes iret, & pro legato expediendis conſilijs caſtra Gallica  
 ſequeretur. Eodem quoq; tempore Ludouicus intentus, in  
 eam curam, ut Genueſem arcem quã Laternã uocant, ob-  
 ſidione liberaret, per Renatũ Sabaudia baſtardũ cũ Adur-  
 nijs fratribus egit, ut coacta per Apennini uicos Ligurum  
 manu, nouas res Genue aduerſus Fregoſios molirentur.  
 Præerat tum Liguriæ Ianus Fregoſius ſtudio atq; opibus  
 Iulij pontificis in ciuitate principatum conſecutus. Is paulo  
 ante Hieronymum Eliſcum ſummio loco natum, Gallicis ſtu-  
 dentem rebus, quum exiret è curia, per propinquos ſuos



PAULI IOVII HISTOR.

fanguinarios homines singulari crudelitate trucidarat. Qua cade exacerbati fratres eius, Othobonus & Sinibaldus, ita urbe excefferant, ut paratis ad uindictam animis, cū Adurnijs Fregossorum hostibus consilia atq; arma conso-ciarent. Ab eo atroci facto Ianus populari inuidia usq; adeo deflagrauit, ut iam planè auersa magna Senatus parte, uim imperij ægerrime retineret, quod Adurnij Gallica in-structi pecunia per Pulciferæ ualles aduentarent, & Præ-ianes Gallicæ classis præfectus, Ligustico mari nagaretur, obsessisq; in arce Gallis per minora nauigia ad fallendam magnarum nauium custodiam idonea, comeatum sæpe sub-mitteret, eo grauiore Genuensium incōmodo, quod merca-turæ negotiationes interclusa nauigatione sustulisset, to-tusq; curuata molis portus Laternæ arcis tormentis exposi-tus, ab eo periculo inutilis atq; infestus redderetur. Quare rû difficultate circumuentus Ianus, quod neq; pecuniã im-perare, neq; imperatam à factiosis dubijsq; ciuibus exigere auderet, animū despondit. Adurnij namq; opinione celeri-us in suburbana teeta ad diui Petri Arenā peruenerāt: com-missoq; peracri prælio in ascensu collis qui Laternæ arcē imminet, urbemq; despicit, Fregossias cohortes in fugam uer-terant, neq; in eo tumultu quisquā è populo turbulentis se-ditionibus assueto desuit, quin secundis acclamationibus ui-ctores exciperet: & Flisci pariter à diuersa porta armatis clientibus urbē introirent, à quibus Zacharias Iani frater unus è percussoribus Hieronymi, trucidatus et pedibus rap-tatus per urbē, patræ cædis pœnas dedit. Ianus autē in eo occupatæ urbis aduerso fremitu, cōscensa nauicula ad suam classem profugit. Nec multo post Antoniottus Adurnius saluis Galli regis auspicijs, & Laternæ arcis custodibus omni

omni genere commeatus abunde recreatis, à Senatu populoq; ciuitatis atq; Liguriæ princeps est appellatus. Tum hæc in Liguria geruntur, Heluetij de Gallorum apparatu transituq; Alpium certiores facti, concilio indicto, dictisq; sententijs, admirabili Pagorum omnium consensu, Sfortiã omnino defendendum censent, uiri longe omnium promptissimi, gerendo bello duces deliguntur, & ante alios Alfoaxus antiqua sua nobilitate clarus, & tum præcipua de electis Italia Gallis laude illustris, qui sublati uexillis confestim in Italiam contendant. Itaq; passim scribuntur milites, nullo proposito stipendio, nullaq; præsentia pecunia, quod nunquã antea acciderat, nomina dantes, tanta quidem alacritate, ut mirum uideri possit noua odia, ueteribus fidelis amicitie foederibus inducta, tantũ ueluisse. Teri enim homines probeq; cõstantes, et sua simplicitate generosi, æquo animo ferre nõ poterant, quod Ludouicus uarias ipsorũ sorti opera multoq; sanguine uictorias cõsecutus, illiberali demũ ingratoq; ingenio, ut minores bello sumptus faceret, Germanos uagæ incertæq; militie mercenarios & ignotos, ipsis prætulisset, qui et uicini essent, & Galliã omni tempore aduersus externã uim promptissimè defendissent. Primi omnium Vrania, Suithia, Vnderualdiæq; prætores, quos Humanos uocãt, uti Italie proximi, Alpes transierũt, peculiari etiã rerum suarum metu concitati: superioribus enim bellis erepta Gallis Bellizona, & Lugano demũ occupato, in Italiã imperij ditionẽ extenderãt, quã omnino tueri oportere, cum magni prouentus, tum publicæ existimationis causa iudicabant. Hos continenti agmine reliquæ cohortes è Glarona, Zuchio, Lucerna, Cefusio, & demum ex intervallo Tigurinorum & Bernensium summæ authoritatis

PAULI IOVII HISTOR.

atq; potentia, Pagorum uexilla sequebantur. In postremo  
 ag. vine, in quo erant quinq; milia delectorum peditū, fuit  
 Altosaxus, per dispositos in itinere commeatus quantum fie  
 ri uie compendio posset, per Grisonos festinare iussus: Ad  
 hos enim Lepontia alpes pertinent, quæ Spluga & Sep  
 tia nomine hodie uocantur, & è Curia Rhetorum urbe per  
 Clauennam ad Larium lacum perducunt. Sub idem tem  
 pus Sfortia aduersis nutantis Liguria rumoribus, & Sa  
 cramori Vicecomitis inexpectata defectione percussus cum  
 primis Heluetiorum cohortibus Nouariam contenderat: ut  
 opportuna in urbe tutus ab insidijs, aduentantes legiones  
 expectaret. Sacramorus circumuallandæ arci præerat, uir  
 principe ortus familia, sed maiorum suorum uirtutis & glo  
 riæ penitus oblitus, utpote qui fortuna sua minime conten  
 tus, ad antiquum inclytæ domus decus, nequaquam bonis  
 artibus aspiraret: Alebat enim circa se audaces ueteranos  
 ab egestate atq; superbia cædibus assuetos et maleficijs infam  
 es, & in his aliquot primæ nobilitatis adolescentes dissolu  
 ta uita perditos & effrenes, qui à parentū imperio gratiaq;  
 dilapsi, licentiæ militaris libertatē quærebant. His omnibus  
 in turmas cohortesq; descriptis, Sacramori fratruq; domus,  
 penuarijs copijs inconditè & liberaliter expositis, ita pate  
 bat, ut quum extra modum prodigo, neq; patrimonij prouē  
 tus neq; stipendia sufficerent, uecordia præceps ad retinen  
 dum instituti luxus nomen, nõunquam in pecuniosos scæne  
 ratores, & opifices noctu grassaretur, atq; inde infame  
 noui Catilinæ nomen apud Insubres referret: nec insulse  
 quidem, quum multo ere alieno oppressus, ne decoqueret,  
 sibi omnino coniurandum arbitraretur. Quibus de causis,  
 quòd se multis inuisum, & principi suspectū nosset, cū Tri  
 uul=

uultio trāsegit, ut ale equitū prefectus regia stipendia mereret, quæ erant maximè opulenta atq; perpetua. Interim daret sedulo operam, ut obsessorum inedia occurreret: & si fieri posset, Sfortia per insidias interficeretur. Ut cum insigni munere, quo tota belli controuersia finiretur, ad regem transiret. Ab hac pactione, nocturnæ stationes ad ualli munitiōe ita sensim laxatæ sunt, ut Galli ex composito exeuntes, singulis noctibus paratum, & gratuito traditum omnis generis commeatum in arcem referret. Sed ea dissumulatio non occulta plena perfidiæ, diu tegi non potuit quin manaret, prodentibus forte baiulis, qui quaterni multo labore succollantes integram uini uegetem, ad uallum obsessæ arcis intempesta nocte comportassent. Hac re deprehensa Sacramoroq; detecto atq; eo uim parante, Maximilianus per se pavidus, momentibus amicis ut sibi caueret, desperatis Hispanorum auxilijs, Mediolano excedens (ut diximus) Nouariam contendit. Meminerat enim se non multum antea, quum è festo matronarum conuiuio noctu sine funalibus in curiam rediret, occurssu incognitæ armatorum cateruæ insolenter atq; acriter omnibus telis petitū fuisse, quo tumultu Galeacius Sfortia Pisauensis principis frater ipsius lateri comes herens glande traiectus interiisset, nō nullis proculdubio eam uim atrocis facti nequaquam fortuito sed parato dolo illatam, ad Sacramori satellites referentibus. Constabat enim Sacramori domū, quæ una ex Vicecomitib. Magni Matthæi posteorumq; eius Mediolani principum, quanquam ex notho proauo ueram stirpem respiceret, Sfortianis tanquam insitijs nouisq; principibus imperium semper inuidisse, quod post Philippum Fato functum ex Planctæ spurie connubio freti armis, illud incercepisse uiderentur. Tum uerò Sacramo-

PAULI IOVII HISTOR.

rus quod nullus iam locus, Sfortia profecto, tendendis insidijs relinqueretur, nihil sibi moræ attulit, quin impotentis animi perfidiam nudaret. Iam enim Galli duces à Taurino ad oppugnandam Nouerriam conuolabant, & Liuianus transuersis itineribus per Tartari amnis paludes perducto exercitu, ad occupandam Cremonam iter intenderat. Primum omnium aduocata concione commutatae uoluntatis causas exponit, noui consilij necessitatem demonstrat, opimiora stipendia, et præmia ex liberalitate opulentissimi regis singulis pollicetur, patefacta quoque munitione, aliquot euocat Gallos: explicatisque regijs uexilis, ingenti armatorum stipatus agmine, per mediam urbem in forum percurrit: occupat exemplo curiam, plebi quoque diripiendam præbet, nec ulli tamen ciuium ab armatis uis infertur. Exinde populum tantæ rei nouitate & certo metu à Gallis & Venetis imminente perterritum, patritijs improuiso timore præpeditis, hortatur, ut ad ueterem Gallia regis fidem redeat: Sfortiani dominatus obliuisci uelit: qui multis ab iniqua proscriptione exiliũ, fugam, egestatem, compedes & foede necis laqueos attulerit: quando Ludouicus ad non dubiam clementiam semper uictor, ab immensisque opibus regum maximus, rapaci seuoque tyranno semper egenti, & iam planè ab omnibus deserto præferendus uideatur. Per hanc modum Mediolanenses, ut plerumque accidit ex timore in nouam spem proclinatis, arma tenenti facile parent: nouum Ludouico regi sacramentum dicunt: restituto quoque Senatu, Sfortiana insignia publicis locis deradunt. Nec multo post Sacramorus pacata urbe accitus in castra, quod Heluetij numero aucti præter opinionem feroces animos præferrent, & prælio certaturi uiderentur, supra octingentos galeatos equites educens ad Ticinum an-

nem

nem contendit. Eodem tempore quo hæc Mediolani gesta sunt, à Gallis ducibus ad Agapitanam portam magno tormentorum apparatu Nouariae mœnia quassabantur, tam graui ciuium metu, quàm insigni Heluetiorum alacritate. Hij enim egregio consensu intrepidisq; animis, quanquam prostrato adapertoq; penitus muro, ita uim tanti instructi exercitus, & Gallorum minas despiciebant, ut nullum introrsus aggerem more militie, nullaq; prorsus ad sustinendum inuadentis hostis impetum, munimenta se erecturos profiterentur, frustra obsecrante siluio Sabello, ut transuersam saltem fossam Italorum militum ciuiumq; labore iuxta ruinas perducere sinerent. Idem quoq; ceteri Sfortiani proceres non ignari militie postulabāt, & ante alios Ioannes Gonzaga Alexander Bentiuolus, et Camillus Montanus Prætorij præfectus, quod fortibus æque & peritis ducibus maximè decorum foret, de temerarijs hostibus minore quàm fieri posset labore atq; incommodo uictoriã retulisse. Sed his obtestationibus superba fronte reiectis, Iordinus Vnderualdius præstantis elatiq; animi Tribunus, ad eos conuersus, desinit uiri inquit fide & dignitate uestra illustres, uobis timere, & tantopere solliciti esse de belli euentu: Nam his armis, fortis dextra alabardam quassans, & hastatorum coronam ostendens, cum publicam omnium salutem, tum maximè principis decus et dignitatem nostram proculdubio strenuè atq; feliciter defendemus: modo Gallis sua inani iactantia ferocibus, tantum animi tantumq; bellici ardoris insit, ut propius accedere, intrareq; per patentem murum audeant. Experientur enim qua discipline constantia, quo robore animorum, qua denique uir corporum, Heluetie legiones hostes secum congredi ausos excipere ulcisciq; solite sint. Tum uerò

PAULI IOVII HISTOR.

ad minuendam irridendamq; Gallorum audaciam, qui promotae acie se irrupturos quum signum daretur neminiq; parafuros iactabant, quod nemo unquam tanta hostium contemptione factum antea meminisset, lectorum lintea transuersis suspensa perticis, contra hiatus prostrati muri pratenderunt, ut commeantes in urbe milites in stationeq; dispositi, nec ab hoste conspici, nec ideo certis minorum tormentorum ictibus peti possent. Emiseruntq; subinde tubicinem pacati oratoris tuta insignia praeserentem ad hostium duces, qui mandata ferrent. Petebant Heluetij non absurde per iocum, ut iam tandem Galli libratores ab emittendis tormentis temperarent, ut tantis sulphurei pulueris pilarumq; uanis sumptibus parceretur: postquam non uno in loco late prostrata moenia aequatū solo aditū irrupturis praebent: nec ulla intus munitiones, quae uel quadratis ordinibus intrantes morarentur instituta parataq; essent. Proinde securi aduersus omnes insidias, quibus Heluetij confisi uera uirtute minimè niterentur, si Galli Germaniq; uiri essent, arma atq; animos expedirent, ut exquisita conditione cum paucis cohortibus congregarentur, antequam maiora suae gentis auxilia, quae iam non procul abessent, importuno ipsis tempore superuenirent. Ad ea Triuultius grauius respondit, Heluetios, qui in rem suam nusquam proterui aut stolidi esse consuescent, rectè consulteq; facturos, si pro sfortia exuto urbis & ab amicis foederatisq; deserto, pugnare atq; insanire desinerent aduersus maximū praesertim inuictumq; regem, cuius modo tot principes acerbissime coniurati, neq; opes neq; spiritus infregerint. Debere eos si saperent, & liberis ac uxoribus optimè consultum uellent, quod pro sua pecuniari erga gētē amicitia atq; beneuolētia uehemēter optaret,

optaret, recentis, & uetustæ Gallorum necessitudinis meminisse: opportuneq; prospicere, an aliunde quàm è Gallia, pace & bello, stata atq; uberrima stipendia inter niuosas Alpes rerum propè omnium egenis essent prouentura. Quorsum inquit eorum qui obstinate stulteq; ferociunt, consilia euadent: si trahere atq; alere bellum uelinus, quum affluente commeatu atq; pecunia, quæ duo præcipue uobis desunt, redeuntibus ad fidem populis abundemus? Neq; enim eos usq; adeo uecordes & uitæ prodigos esse crediderim, ut nos ualidis munitos castris, tot tormentis instructos ualidissimisq; Germanorum & Cantabrorum auxilijs & per amplo fretos equitatu, adoriri & in uestigio efferre temeritatis poenas flare malint, quàm cum triplici stipendio, & certis opulentisq; muneribus, ad uxores domum redire: quæ omnia abundè ex fide regia statim consequentur, si sfortiam: uti antea ex merito patrem eius inuisum terris, cæloq; damnatum tradiderunt, continuo in manus tradant, aut certè dedita urbe nudatum præsidio fortune suæ iactatum relinquunt. Hæc tubicen renunciare iussus, pecuniâq; donatus, ad suos in urbem redijt. Cæterum his responsis ad duces relatis, & mox per singulas cohortes emanantibus tantum absfuit, ut quisquam è primoribus atq; signiferis permoueretur, ut præ insita confirmatâq; audacibus animis ferocia, uix ab eruptione temperarent: quanquam nonnulli Gallico, ut creditur, capti auro sententijs labarent, & certa oblata pacis premia dubio & difficillimo bello, cautis et sat agentibus anteponenda differerent. In eam enim curam sedulo Triuultius incumbebat, ut pernicacium feritas per partes occulta largitione molliretur. Id autè eo facilius comodiùsq; iâ à pluribus tètari cœperat, quod Vertius insignis è Glarona ueteranus, uti



PAULI IOVII HISTOR.

erat ab astuto uenaliq; ingenio maximè uaser, deprauandis  
 militibus industriam suam uenditasset. Interea Maximiliano  
 ingenti cura anxio pauentiq; ad omnes rumores, Heluetio-  
 rum auxilia citatis agminibus aduentare, Altosaxum uerò  
 comensi uia ad antiquū Galeritiæ cohortis uicū peruenisse  
 nunciatur. Eodē quoq; tēpore Tramulius atq; Triuultius de  
 hostiū itinere per exploratores cognoscūt. Aduocatur itaq;  
 cōsiliū: astrictisq; sentētis deliberādo disputatur, mouere ne  
 retrò castra expediat, longiusq; ab urbe loco tuto considerare,  
 an cum expedita exercitus parte novos hostes patentibus in  
 campis adoriri, sine tormentis, sine equite, dissolutoq; agmi-  
 ne properantes, quandoquidem circumfuso equitatu, pro-  
 ductisq; falcoribus per agiles currus cohortibusq; leuis ar-  
 maturæ Vasconum sagittis rem gerentibus, aut proteri aut  
 magno certè illato detrimento ad Ticinum retrudi possint,  
 priusquam eis è Nouaria, uel ab Altosaxo qui in Ticini tran-  
 situ adhuc hereat, in tēpore succuratur: nec interea manen-  
 te eadem castrorum forma, & Germanis suo peculiari ual-  
 lo inclusis, reliquisq; copijs maiorū tormentorū corona præ-  
 septis, quicquam de hostiū eruptione timeri possit. Hoc mā-  
 ximè probabat Robertus Sedanius, suspēso nec abnuēte Tra-  
 mulio, uti erat pugnaci ingenio & ad omnem uel dubiæ pu-  
 gnæ aleam parato. Sed Triuultius peruicacis & feruidæ gen-  
 tis recentem uim reformidās, omne prælij discrimen uitandū  
 esse testabatur, uti alienum aut certè non necessariū ad spe-  
 ratæ uictoriæ prouentum, qui planè sine ullo incommodo à  
 cautis minimèq; præproperis sperari deberet. Indomitæ, in-  
 quit, uires, quæ uel graui impetu sine multo sanguine detri-  
 mentoq; perrūpi nequeunt, plerunq; mora utili & tuta cum  
 Etatione

tatione diffringuntur. Quod hercle magno usui nobis, cunctis  
 fiet, si hinc ad Riottam vicinam procul ab urbe viginti stadiis ca-  
 stris referamus. Neque enim eius sententiam exceperim, nisi impru-  
 dens senex sim, qui diuidendas copias putet, ne utriusque parti  
 tanquam infirmæ & inualidæ ad resistendum conandumque  
 vires desint, & nobis cum triplici hoste, si ita fors ferat, uno  
 tempore fuerit dimicandum. Erant uera hæc, planeque secu-  
 ra quæ Triuultius assentientibus cæteris afferebat, nisi For-  
 tuna (ut plerumque accidit) sanis infesta consilijs, cuncta quæ  
 ille optima ratione prouiderat, inopinato ueluti correpta  
 turbine præuertisset. Nihil enim à tanto duce, qui Italica-  
 rum rerum usu regionisque peritia ac ætatis honore Gallos  
 anteiret, temere confirmari uidebatur, uel quid præsertim  
 quod in latifundijs suis peculiarique & sibi noto in prædio  
 ad Moram annè ponenda castra iudicabat: quamobrè subiti-  
 cente Sedanio, uel à strenuis & pugnae cupidus in Triuultij  
 sententiam ibatur. Itaque nullo strepitu edito rebus omnibus ad  
 profectiorem instructis, ab oppugnatione recedunt, & ad  
 Riottam castrametantur. Eo modo Heluetij nemine hostium  
 qui contra iret, in itinere conspecto, Nouariam peruene-  
 runt, magnaque gratulatione & lætitia omnium, quum do-  
 nati uino largiter ientasset, uix unius horæ spatium ad quie-  
 tem desumpto, noui duces in consiliū descenderunt. Nam prio-  
 res, ut qui antea moueri retro castra reduci que tormenta con-  
 spexissent, iam hostes ad Riottam constitisse didicerant: edo-  
 etique ab incolis de natura loci situque camporum, & de uado,  
 ripa, et flexibus decurrentis amnis, priusquam hostes ab ur-  
 be longius recederent, confestim audendum fortibusque ani-  
 mis inuadenda castra iudicabant, uel exigua namque mora ho-  
 stem emitti è manibus rebantur, quod non postea, ut æqua

PAULI IOVII HISTOR.

conditione confli gerēt, occasionem essent reperturi. Nā aliæ quoq; Gallorum cohortes, aliæq; turmae equitum, adducen- te Stuardo Albanie regulo, Alpes transisse cognouerant, quæ copiae magno incommodo ipsis aduersæ forent, hosti- bus uerò peropportune, atq; adeo tanquā utilissima ratio- ne bellum trahētibus expectandæ censerētur. Tum uerò ex- urgens Crassius Tigurini pagi magister, uir eximia autho- ritatis, nolite obsecro inuicti fratres (inquit) differendo com- mittere, ut consilium ingentibus animis susceptum, importu- na Altosaxi atq; auxiliorum expectatione corrumpatur. Id enim una maximè celeritate tutum & euentu foelix eu- det. Nec quicquam aliud nobis rectè & nauiter decer- nentibus, quod mature factu opus est, ne tanta occasione, quæ in hanc re rei bene gerendæ nobis offertur, et leui tem- poris momento praeuerti potest, nequaquam impigre desi- mus: satis namq; erunt uel pauca cohortes inuictæ uirtutis ad opprimendos hostes, dum nihil nos antè ausuros, quàm se coniungat Altosaxus, existimant. Proinde utamur illorum errore: & incautè superbis opinioneq; deceptis inexpectato impetu improuisum terrorem ad non dubiam eadam & su- gam inferamus. Vicinus profectò si uictoria egregio consti- lio concepta atq; explorata, intrepidis animis & fortibus dextris quærat. Tum uerò cūcti ad unum duces atq; signi- feri, nullam omnino moram sibi asserunt, quin peroranti Crasio statim accedant: de ratione ineundæ pugnae grauitèr decernunt: Ediciturq; militibus ut cibo et quiete corpora cu- rent: & post secundā uigiliā ad uexilla coeant: quid fieri ue- lint ante auroram duces imperaturos. At Maximilianus qui dudū legiones paternæ proditiōis recordatione suspectas, ipsosq; eosdem hostium geminos duces, qui patrem cepissent

tanquam

tanquam destinante Fortuna, ad exitium sfortiani nominis  
 datos, & illos quoq; recentis adhuc perfidiae memoria insa-  
 mes campos tanquam sibi fatales aspiciens, anxio fatiscen-  
 tiq; animo suprema uolubabat: tum primū sese erigere con-  
 firmareq; , praeclearum erga se gentis studium tantumq; ani-  
 morum ardorem admirari, complecti singulos centuriones,  
 hisq; prolixē testari, quibus Imperium fortunae, salutemq;  
 deberet, gratias ingentes relaturum. Sed dum intētis omni-  
 um animis in euetū futurae pugnae arma pararentur, et Sol  
 iam in occasum inclinaret, mirum dictū, & quod memoriae  
 prodendum uidetur, Gallorū canes relictis castris magno  
 continentiq; agmine, Nouariam intrarunt, admistiq; Helue-  
 tijs qui in statione erant, eorum crura lambere, caudas adu-  
 lanter quaterere, demissisq; blande auribus singulis applau-  
 dere coeperunt, tanquam Heluetij iam ipsorum essent domi-  
 ni, aut certe futuri ut mox apparuit. Primus omnium Iaco-  
 bus Mottinus ē Torfano nequaquā agresti ingenio uir, &  
 Italicae gnarus linguae, tanquā auguralis disciplinae, uti ab  
 euentu credi par est, non imperitus, omine accepto ad Maxi-  
 milianum contendit, eiq; uictoriam de Gallis est pollicitus,  
 quod à maioribus gentis esset obseruatum in auspicijs praeli-  
 orū, proculdubio eorum fore uictoriā ad quos hostium ca-  
 nes tāquā ex inscelicibus castris ad tuta fortunataq; hospitia  
 peruenissent. Igitur Heluetij duces simulando aliud quā  
 quod parabatur, tympana tota nocte pulsari et circumferri  
 per urbem iubent: ut speculatoribus, si qui adessent, exeūde  
 specie praerberent: ideoq; hostes quos tota die in armis fuisse  
 constabat, etiā nocte eadem instructos in equis distinerent.  
 Caterum imperator omnibus, ut cibo & somno corpora  
 firment, & lucem operiantur: ut quisq; uirtutem suam

PAULI IOVII HISTOR.

pulcherrima decoris contentione in præclara luce ostendē-  
 ret: nec ignauos porrò impunè terga uertere aut deserere  
 ordines ausuros. He siquidem Heluetiorū, seuerissimæ sunt  
 leges, ut sub oculis spectantis exercitus, qui præ metu tur-  
 pia atq; indigna uiro forti tentauerint, à proximis cōmito-  
 nibus statim obruncentur. Itamaior metus minorem uin-  
 cit: & metu foedæ mortis, decora mors non timetur. At pau-  
 lo antè quàm dilucesceret, duces ex omnibus copijs ( erant eo  
 ad nouem milia peditum ) mille spectatæ uirtutis deligunt,  
 qui octo falconibus præ sint, & Maximilinū equitesq; eius,  
 qui admodum erāt pauci, sed primæ nobilitatis comitentur.  
 Reliqui in duas sese acies pandūt: & diuerso itinere, nequa  
 quam strepentibus tympanis, silentiq; prorsus agmine ad  
 hostes feruntur. At Triuultius, qui tametsi inueteratæ pru-  
 dentia dux habebatur, paucos tamen fessosq; pedites ante-  
 quam adueniret Altosaxus egressuros aduersus firmissimas  
 copias, aut quicquā de fortuna prælij tentaturos nō puta-  
 bat, ubi hostiū aciem in cōspectu esse cognouit, Tramulium  
 cæterosq; duces excitat, signa canere, tormenta in aduersos  
 collocari, & cuncta pro necessitate periculi, quæ usu & di-  
 sciplina didicerat, administrari iubet. Temporis tanta fuit  
 exiguitas, hostiumq; tam paratus ad dimicandum animus, ut  
 Galli equites uix ad frenandos equos & galeas induendas  
 tempus habuerint: utpote qui magna parte diei et noctis,  
 intēti ad imperia in armis constitissent: & sero demū, quod  
 Nouariæ pacata omnia nunciarentur, in tabernacula ad  
 quietē se recepissent. Satis tamen opportuno tēpore leuis ar-  
 matura equestris uti expeditior, extenso ad leuā longissimo  
 cornu, uenientibus mille Heluetijs occurrit, qui ut hostium  
 tormenta declinarēt, quod his iam peteretur, sinuoso circu-  
 itū

ita ad Moram flumiū contendebāt: ut inde ponte superato,  
 terga hostiū & tabernacula adorirētur. Erat enim is anni-  
 culus quanquā suo decursu lenis, si uado transiretur, quod  
 mediā equaret coxam, pediti calceato & iam pugnāti, ual-  
 de incommodus. Hunc Ludouicus Sfortia ab emissario Se-  
 sthis amnis ad ubertatem agri, indito suo cognomine, in ca-  
 prata deduxerat. Itaq; Heluetij ad pontē patenti uia proce-  
 dentes tormentis hostium ex transuerso peti, ingruentēq;  
 per alueum & utramq; ripam procella equitum, uehemen-  
 ter premi cœperunt. Tum uerò Mottinus presenti animo  
 consilium mutat, et Maximilianum, qui insultantibus Epiro-  
 tis magno in discrimine uersabatur, pugna excedere & con-  
 tinuo in urbem reuerti iubet: ut belli caput acerbitati fortu-  
 ne expositum speratae uictoriae conseruaret. Eum uerò ge-  
 nerose renitentem, & ut se communis sortis casum subire  
 pateretur, constanti animo deprecantem, duo centuriones  
 cum totidem manipulis freno arreptum, & detractis cassi-  
 de cristis, indit aq; uili chlamide ut paludamentū tegetur,  
 ex acie subducunt, conglobatoq; equitum agmine in urbem  
 redire cogunt, ut inde periculo uacuus, ipsorum uirtutis  
 spectator, mature uictoriae nuncium exspectaret. Itaq; Mot-  
 tinus ea sollicitudine liberatus, nutantē suorum aciem qua  
 iam tres falcones amiserat, saucijs in medium receptis com-  
 ponit, & ui facta magnoq; impetu prouectos Epirotas pro-  
 pellit, interfectoq; ibi Alexio Bosigio nobili Graeco Epiro-  
 tarum ale praefecto late profligat. Eodem quoq; impetu des-  
 fertur ad hostium castra, caesisq; lixis & stationis militibus  
 perturbatis, impedimenta capit. Paulo antē autem quā  
 haec à Mottino fierent, aliud agmē capto per adultae segetis  
 campos longiore itinere, paruoq; ob id à tormentis accepto

PAULI IOVII HISTOR.

detrimento, in latus hostium impetum fecit. Constiterat eo  
 loco Gallica acies tripartita: hinc Tramulius, Robertus  
 illinc cornibus præerant, Triuultius medium agmen tueba-  
 tur, proximaq; inter equitum acies Germanorū phalanx in-  
 tra modicam fossam se receperat, quod uallum noui ac admi-  
 rabilis artificij ad præliorum casus, quo se includeret à Se-  
 danio institutū, in eo hostium improviso superuentu defigi  
 atq; erigi nequiuisset. In hanc itaq; Heluetij, circumducta  
 ad dextram acie, concitatis animis se conuerterunt, quod  
 uictoriam sibi facilem tum fore intelligerent, quum hostilis  
 exercitus præcipuū robur facto cuneo perrupissent. Id Gal-  
 li Duces è proximo conspicati, tormenta statim in confr-  
 tos dirigi, & lata strage ordines perrumpi, mox in latus  
 fatiscentis agminis equites cataphractos uehementi impetu  
 procurrere iubent. In eo tumultu Bernensium tribunus in-  
 aduersum os pila uerberatus, & Antius Aman Zuchius pu-  
 gnātes cadunt, nihil tamen horū milites, uel ducū morte, uel  
 periculo suo uel cōmilitonum horribili clade perterriti, sese  
 collectis uiribus in globum è disciplina componunt: equites  
 magna ui propellunt: & statim uti antea decreuerant, su-  
 perata fossa Germanos adoriūtur. Ibi continuo cruentum  
 & atrox prælium subortum est: nullæ tamen utrinq; uoces,  
 sed horrendus armorum fragor & summissi cadentium ge-  
 mitus audiebantur. Germani, ut cōmilitones superiore an-  
 no ad Ticinum casos ulciscerentur, & ut belli gloriam an-  
 te quatuordecim annos apud Syluam nigram in Rauraco-  
 rum finibus amissam, nouo decore redimerent, ardentissimè  
 præliabantur. Heluetij uerò ut ueteres & proprios hostes  
 è Germania profugos, in contumeliam Cesaris pro Gal-  
 lo mercede pugnantes, aliquando delerent, paribus  
 animis

animis & uiribus decertabant. Interea dum collato pede cum Germanis res gereretur, Triuultio atq; Tramulio impedimenta capta, trucidatosq; castrorum custodes, atq; omnia in tergo tumultu & cadibus compleri nunciatum est. Cuius rei fama adeò Gallorum animos turbauit, ut eò magna pars equitum, dum quisq; sollicitus suis sarcinis impedimentisq; prospiceret, ad recuperandam prædam sine impetio conuolarint. Parte quoq; altera eodem penè temporis momento, tertia Heluetiorum acies à fronte sese ostendit. Quæ dum tormenta à Gallis in oppositâ solum frustra emitterentur, quod inter arbores ad fallendum hostem inutiles ministros, qui armatorum speciem facerent, astute reliquisset, per obliquum sensim irrepserat, inclinatis humi corporibus, & attractis per cuspides maioribus hastis, ut præter uolantes globos euitarent. Tanta fuit contemptio incidentium pilarum, & tantus incumbentium impetus, ut Galli et Cantabri pedites, cadente Aloisio Beamonio ipsorum duce, & cum his cohortes duæ Ligurum & Salassorum celeriter cæse fusæq; sint, & capta in super tormenta uictores in fugientium terga conuerterint. Quod ubi conspexere ceteri equites, tormenta scilicet ab hostibus occupata, in quibus Galli semper plus fiduciæ, quàm in dextris atq; uirtute omnibus bellis posuissent, deletos iam propè Germanos, tentoria capta, atq; hostes sternere omnia, & campo latè potiri, inter pudorem et metum terga uerterunt. Duces percussis omnibus, ipsi satis ut in trepida re impauidi, turbatos ordines conuertentes se, ad dissonos clamores sociorū instruere conari: consistere & pugnare cogere: adhortari præfectos atq; signiferos ut metum ponerent, & paucos agrestes fessos, inermes, & iam uulneribus debilitatos tantisper susti-



PAULI IOVII HISTOR.

nerent: dum leuis armatura circumfunditur. Germani præ  
 lii pondus sustinent, & pugna omnibus locis reparatur.  
 Sed nihil his uocibus cohortantium atq; imperantium Du-  
 cum permoti equites, sese in turpissimam fugam dederunt.  
 Quoniam Heluetij, quanquã dux eorum Mottinus tormen-  
 to discerptus concidisset, potiti castris cruenti atq; seroces  
 iam sinistrum latus equitum inuaserant. A dextra uerò &  
 in tergis maior acies infestis cuspidibus territos & consu-  
 fos acerrimè perurgebat. Perierunt in reparanda acie Mon-  
 falco Albanianæ ale præfælus, & Cariolanus Triuultius  
 summæ spei adolescens. At Germani qui plus dimidia parte  
 cæsa, amissisq; duobus uexillis, & Florantio duce grauiter  
 uulnerato, aliquandiu constantissimè depugnant, ubi se  
 ab equitatu deseri, reliquum peditatum undiq; deletum, &  
 tormenta capta conspexere, quod fuga turpis & minimè tu-  
 ta uideretur, erectis suo more cuspidibus, dedentes sese, à ui-  
 ctore hoste clementiam quæsuerunt. In eo graui tumultu  
 Sedanius impotenti dolore percitus, ut Florantio & Geme-  
 sio filijs in tanto uitæ discrimine circumuentis, extremam  
 opè ferret, adactò cataphractorum uehementi cuneo ad me-  
 diam hostiũ aciem penetravit, filiosq; iacentes inter cada-  
 uera & multis scædatos uulneribus, ita erexit & sustulit, ut  
 semianimes sarcinæ modo ceruicibus equorum asportati,  
 cum summa paternæ pietatis & bellicæ uirtutis laude, ad  
 parata iam futuris bellis decora seruarentur. Ita Heluetij  
 triplici agmine dimicantes, sesqui horæ spatio et memorabile  
 præliũ et grauissimũ bellum confecerũt. Nec tamen uel tan-  
 ta hostium strage edita, ad prædã discursum est, quanquam  
 pretiosa supplex ducum, & cuncta opulenti exercitus im-  
 pedimenta multorum animos allicerent. Viri enim patriæ  
 disci-

discipline memores, quod neminem armatum in acie uiuum capere, nec uertentem terga insequi liceret, medio in campo confertis ordinibus in multā diem immoti constiterunt, ne Galli equites aut ducum astu aut suo pudore concitati regrederentur, & spoliandis cadaueribus occupatos opprimerent. Verū adeo pertinax & intenta hostium fuga fuerat, ut Triuulius uoce rauca puluerulentus ad equitans nec adhortationibus, nec contumelijs, nec autoritate Imperij signa sistere, aut præcurrentes abiectis hastis equites retinere ualuerit. Constat Grittū eius infausæ expeditionis comitem, qui unā profugiebat, sæpius in turba properantium dixisse, hodie ut uideo, equites ueterani qui tam effusè calcaribus studetis, iam non estis Venetorum cataphracti, sed nobiles Galli, qui eos fugaces socminas appellare cōsueuistis. Nūquam enim acciderat, ut inuidi fortunatiq; antea duces, tanto instructi exercitu, à paucis peditibus ludete Fortuna funderetur. Ferunt Gallicum equitatum in fuga deleri potuisse, si Maximilianus ducentos salim cataphractos habuisset. Nemo enim è Gallis equitibus tantus erat euadendi ardor lanceam ultra Sefithem tulit, insecuti tamen sunt fugiētes ex interuallo Syluius Sabellus et Corradinus Cribellus cum expeditis turmis ad Trecatum usq; oppidum. Pagani uerò ab agris atq; omnibus uicis ad prædam effusi, ubi sepes, fossæ, concisaue aruorum itinera palantes & trepidos morabantur, ipsi plures conspecta præda paucos & cursu fessos, crudeliter opprimebant. Vixdum confecto prælio, et adhuc spirantibus qui ceciderant, superuenit Altosaxus lupina pelle contectus, atroci uultu, promissa & perhorrida barba hosti formidandus. Is quòd sero cum cohortibus aduenisset, præ dolore gemens fremensq; barbaram

PAULI IOVII HISTOR.

conuellebat, quod incruentis alabardis inglorius confecto bello, domum redire cogeretur. Enimuero Vertius ille de quo antea diximus, Gallicæ factionis Heluetius, inchoatam pugna, ex acie Olegiū profugerat, exitiali mēdacio delictos Heluetios, Maximilianum captum, atq; omnia aduersa in prælio obuēnisse renunciāns. Quo nuncio commotus Altosaxus, qui & ipse dudum superato Ticino Olegium peruenerat, uti cautū ducem, & de legionum salute sollicitum decebat, paululū substitit, sed mox auditis tormentorū fragoribus, tametsi uera esse quæ Vertius attulerat magna ex parte putabat, opinione tamen inuidiæ uirtutis primarum cohortiū, fractas attritasq; Gallorum uires se inuenturum ratus, iustis passibus ad hostes properauit: paucos uero post dies, quum Altosaxus in consilio Heluetiorū ab æmulis atq; inuidis tarditatis accusaretur & indicio Vertij qui perfidiose uanum rumorem attulerat, suspiciōe criminis præclare diluisset, Vertius conquistus atq; ita damnatus est, ut more maiorum in frustra secaretur. Eodem die Heluetij collecta suorum cadauera humeris in urbem reportarunt, ut optimè de Republica meritis iusta soluerentur. Desiderati sunt in ea uictoria mille circiter et trecenti, è quibus supra septingentos tormenti, discerptos retulere, quum ferè totidē sauciati è prælio discessisset. Periere autem in partibus Gallorū ad octo milia omnis generis. Inter Heluetios duces Iordini Vnderualdij immanis propè effera uirtus emicuit, qui consensu multorum supra uiginti hostes alabarda confecit, & certæ laudis præmia tulit. Tum uero Maximilianus tanto successu letus aduocata concione, quū præ gaudio manarent lachrymæ & uix effari posset, cunctis gratias egit, & quod præsentis lætitiæ munus esse poterat, com-

meatum omnem donatiui nomine militibus diuidendum dedit. Tormenta quoque & quicquid præde partum fuerat, cohortibus in præmium uirtutis accessere. Sed uallum de hoste captum Maximilianus tanquam uictoriæ monumentum porticibus affixit. Huius ualli structura quam nos uidimus ut posteris documento atque usui esse possit, paucis explicanda uidetur. Dimenso ad paruam castrorum effigiem quadrato passuum quinquagenum spatio, quatuor solidi stipites in angulis defigebantur ad umbelicum solo extantes, latera minoribus aliquot tignis per interualla pariter defixis sepiebantur, ad ea plicatiles cancellos ferreis ansis recta confibulatos applicabant. Intra hanc munitionem legio ita se instruebat, ut totius ambitus summa corona centum ferè muralibus sclopettis aduersus hostes undique muniretur. Hoc modo ingruentiũ hostium uim sustineri & planè resisti posse Sedanius existimarat, quòd Heluetios, priusquam ad hastas manusq; uenirent, inconsulti impetus poenas datos crederebat, quum prætentis hastis hispida phalanx & sua robere insuperabilis, defensura uallum, & demum in perturbatos patefacta munitione, ad non dubiam uictoriam eruptura uideretur. Sed hæc militari ingenio excogitata, tantoq; labore & sumptu per Alpes aduecta, sicuti spectantium oculos nouitate formæ & spe uictoriæ subnixos animos magnopere delectabant, ita ut plerunq; solet, Fortuna subtilibus artificijs nihil arridens, tum maximè quum oportebat, rationi atq; operi successum eripuit. Id uerò Germanos fefellit, quòd eodem die moturis retrò castra ducibus, eius ualli apparatus uti suis iam impositum curribus minime erigendum putassent. Sed id acceptum uulnus Tramu-  
lius, quum hæc ab eo Bononiæ quæreremus, in Triuultium

PAULI IOVII HISTOR.

non insulse reiecit, quasi ille in prædijs suis ut adulto pabulo parceretur, secus ac ipse differuerat, castrametari noluisset. Triuultius uerò uti nusquam antea uictus, quum de eius prælij euentu multa narraret, ad fatalem nomini suo iniuriam referrebat, quòd temerarijs & in furorem actis nullaratione uel à peritissimo duce obuiam iri posse prædiceret. At Sacramorus, qui ut ad Nouariam in castra contenderet, ad Ticinum continuò traiecturus peruenerat, ubi primum ex multo reboatu et continenti fragore tormentorum, proculdubio accensa pugna rem geri præsensit, coacto suorum agmine paululum subsistit, ut ex euentu pugnae consilium caperet: Sed non multo post, quum ex multorum fuga, Heluetios profligatis Gallis campo uictoriaq; potri didicisset, ne interclusus fluminibus, cum ab hoste tum ab infestis sibi undq; incolis deleteretur, retrò ad Abduam est profectus, superatoq; amne ad Cremonensium fines Venetis copijs se coniunxit. Per eos enim dies Liuianus cū omnibus copijs Cremona excesserat: nam paulo antè plebe ad Venetum inclinante in urbem fuerat receptus, quanquam Galeacius Pallauicinus rem ad Gallos deducere conaretur, & nonnulli ciues ex prima nobilitate Sfortiano nomini studerent, quòd à Brunorio Petra arcis custode, ut belli exitum expectare uellent, continuis obtestationibus in fide continerentur. Sed iam Sfortianæ uictoriae fama adeò late emanarat, ut Liuianus, qui eam diu suppressere nequiuerat, suspensis adhuc ciuibus & integris rebus suis excedendum existimauit. Itaq; eadem celeritate qua dudum uenerat, Veronam contendit, prolatoq; tormentorum apparatu ad diuæ Lucie templum urbem oppugnare est adortus. Vir enim in omni consilio uiuidus & ferox, rei q; gerendæ percupidus, aliquid sibi omnino tentandum existi-

existimabat, ut audaci facinore Gallicæ cladis fama tegeretur, & quales erga Venetum nomen Veronensium animi forent, uehementi facto impetu tanquam ex itinere protinus experiretur. Sed is conatus ad incertam spem præpropere susceptus, eum habuit euentum, ut quum deterfis pinnis depulsisq; propugnatoribus, milites ingenti animo per scalas in summam muri coronam euassissent, nec præalto exitialiq; saltu in urbem se demittere auderent, undique glandibustræ iecti atque interfecti deicerentur. Inter quos fuere summæ fortitudinis Centuriones, Thomas Fabronus & Pistorio, & Vicinius Vmber, qui primi conscenderant: Georgius namq; Tridentinus antistes, subitario delectu septem cohortes adduxerat, quæ confertis ordinibus sub muro hostium descensum expectabat. Quo animaduerso periculo, nemo militum fuit, qui non excipientis phalangis cuspides formidaret: & pudore & metu confusus in muro minimè cunctaretur. Ea re improspere tentata, Liuiamus usque adeò festinanter reductis tormentis & signo profectionis dato è conspectu urbis discessit, ne ab erupturo hoste distineretur, ut aliquot notos milites, qui ad proximum puteum ardentissimo Sole potandi causa ex acie diuerterant, crudeli manu confoderet, frustra deprecante Paulo Baleono, qui in fessos sitiq; confectos à mucrone temperandum esse diserebat: iustisq; inde confectis itineribus ad Tombas Vicentini agri instatiuæ castra concessit. Baleonus autem ad dextram cum parte copiarum Alleniicum petere iussus, id oppidum et arcem paucis diebus expugnauit, Villiada Hispano ad extremum se dedente, qui exigua manu arcem acerrimè defenderat. Hisdem quoque diebus Octavianus Fregosius Nouariensis uictoria fama excitus, commendante Leone Pontifice, ut Genuam re-

## PAULI IOVII HISTOR.

duceretur, cum Cardonio atque Piscario transegit. Octavianum enim præstanti ingenio hominem, & multis bonis artibus instructum, Iulianus Leonis frater ueteris amicitie nomine mirifice subleuabat: pariq; studio Piscarius affinitate sibi coniunctum pollicentemq; pecuniam Hispanis in stipendia diuidendam, Iano Fregosio anteferendum arbitrabatur. Hunc enim quum plerique ciuium tanquam nimis properè à se desertum omnino metuerent, multi etiam in uniuersum oderant, quòd ipso conniunte sanguinarij fratres nefarias manus Hieronymi Flisci sanguine imbuissent: illum uerò patre principe genitum egregièq; uirtutis fama illustrem adèdò populus expetebat, ut in omni re ciuili uel bellica Iano potiozem existimaret: quòd in longo exilio à Fortuna grauius eruditus, in gubernanda Republica magnam spem lenitatis, & temperantiæ allaturus esse uideretur. Itaq; Piscario in Pulciferam uallem, ab Apennini iugo pulsus undiq; montanis Liguribus, cum exercitu descendente, Adurnij fratres desperatis Gallorum auxilijs, consilium summæ pietatis atq; prudentiæ sibi desumpserunt: professiq; in concione se publicam ciuium salutem principatu & patrijs penatibus cariorem habituros eo animo, ut patriam omni tumultu belliq; periculo liberarent, positis armis, ab Genua discesserunt, quum alterum tātum atq; uigesimum diem dominatum tenuissent: tanta quidem cum laude, ut magna pars Senatus, abeuntibus gratias ageret, & pleriq; honesti amantesq; patriæ ciues, nunquam obstrepente populo, uel natura insolenti & factioso, eos ferè cum lachrymis ad multum spatium prosequerentur. Othobonus quoq; & Sinibaldus Flisciq; eodem consilio, sed æquioribus animis, quòd principatus Eortunam inueterata consuetudine, solis

Gibellinis attributam minimè respicerent, & fraternæ cædis iniuriam probè uindicassent, in Castella sua quæ ad Tiguliorum montes & Lauaniam annè pertinent, profecti sunt. Eo modo Fregosius pacato agmine in urbem receptus, & à populo dux & princeps est appellatus. Triduoq; post impetrata pecunia, quæ octuaginta milium aureorum nummum summam excedebat, Hispanis stipendia persoluit, remuneratusq; Piscariū, id ab eo impetrauit, ut sine maleficio finib. excederetur: atq; ita cum omnibus copijs in Placentinum agrum est reuersus, indignantibus Heluetijs, quòd Hispani, qui eo bello neq; fidem neq; opem, difficillimis ipsorum rebus præstiterant, alieno sanguine partæ uictoriæ premia intercepissent. Hisdem porrò diebus quibus Adurnij fratres principatu & patria decesserunt, Præianes Gallus, quum intromissa in Laternam arcem quanta maximè potuit, commedatus & tormentarij pulueris copia custodes diligentissimè confirmasset, iussu regis è Liguria cum quatuor triremibus, quòd nemo antea ausus fuerat, per Gaditanum fretum ad Armoricum Oceanum enauigauit. Eo enim tempore Britannij ualida classe per Gallie oram infesta populatione uagabantur. Existimabat enim Præianes triremes suas tranquillo præsertim mari, & nullo spirante uento, aduersus maiora hostium nauigia quæ uelis agerentur, magno usui futuras: quod hostium excelsæ naues (ut nonnunquam æstate accidit) ex malacia in alto destitutæ expedito longarum nauium remigio, circumfisti, & adactis colubrinis expugnari atq; demergi posse uiderentur. Sed nihil ea æstate tantis classium incursionibus magis memorabile gestum est, quàm ut Odræus Surrei filius Britannicæ classis præfectus, magno casu penè solus occideretur. Is iuuenis, ut magnitudinè animi ostendit



PAULI IOVII HISTOR.

taret, quum secundo uento inflatis uelis Præianem ad Vidu-  
nam portum qui Breslius dicitur, frustra persequeretur, ita  
demum demissis antennis substitit, ut opprimendi hostis cu-  
piditate in magnarum nauium scaphas delecto instructas mi-  
lite audacter desiliret: & triremes humili sabulosoq; in lit-  
tore semiductus adoriretur. Quo certamine, quum Præianis  
epibate acerrimè sese defenderent, Odoardus dum in præ-  
toriam scandere conaretur, à prora reiectus contis, & secu-  
re uulneratus in mare concidit: atq; ita Britanni amisso clas-  
sis præfecto, re infecta ad classem redierunt. Triduo autem  
Odoardi cadauer fluctibus expulsus in arena reperitum  
est, & statim agnitum, quoniam aureum corniculum collo-  
suspensum gestaret quod præfecti maris est insigne. Eo enim  
fistula more inflato, magistri nauium diuersis sibilis & can-  
tibus opportunè editis, nauis ad officia reuocare atq; inci-  
tare consueuerunt. Nec multo post due maiores Britanni-  
cæ naues, Thoma Gniueto immense fortitudinis Præfecto,  
audente concitanteq; Gallicam inusitate magnitudinis na-  
uem quam Chordigeram appellabant, adortæ sunt, tormen-  
tis utrinq; latera pertundentes. Cordigera præerat Plumor-  
gher, inter Gallos Oceani accolæ rei naualis peritissimus. Is  
presenti infausitoq; consilio in hostiles naues ex propinquo  
subeūtes, quod in acerrimo certamine sæpe factum legimus,  
cathenatos harpagones iniicit: terribiliq; fragore tormen-  
torum undiq; edito, ita prælium exarsit, ut quum facibus, in-  
cendiarijsq; malleolis ad mutuam cladem res gereretur, uno  
tempore tres simul naues miserabili exitu cremarentur, &  
supra duo milia hominum aut discerpta tormentis, aut flammis  
circumuenta, aut demū semiambusta sponte in Oceanum  
præcipitata perierint, totidemq; ferè omnis generis aenea  
tormenta

tormenta Oceano mergerentur. At Ludouicus maiores etiam  
 è Britanniamotus expectans, quum iam ira & dolore mul-  
 tum exarsisset, quod pauci atq; inermes Heluetij, peritissi-  
 mos duces, ueteranum equitatum & pedites numero robo-  
 req; præstantes uera uirtute superassent, omnibus regni ui-  
 ribus in Belgarum fines tractis, ad Britannicum bellum se  
 conuertit. Enimuero Henricus fama rerum ad Nouariam  
 gestarum permotus, quum iam antea in Aquitaniam ad po-  
 pulandam oram maritimam Odoardo Surrei filio cum clas-  
 se transmissis, ingentes copias terra mariq; parasset, ab An-  
 thona Dobraq; Calestiam (quæ portus Icius olim fuit) ipse  
 breui subsecuturus maximam partem exercitus traiecit. Si-  
 quidem rex iuuenis super insitum à natura odium aduer-  
 sus Gallos, studio etiam gloriæ accensus, quod defendere in-  
 iurias sacrosancti Pontificis & tueri armis religionis cau-  
 sam æquum atq; magnificum rebatur, ipse transfretare con-  
 stituit, conciliandis maxime Germanorum animis quorum  
 ingentem numerum mercede conduxerat. Namq; Cesar huic  
 bello intentus, & Margarita eius filia uiriliter animi mulier,  
 ob ueterem repudij contumeliam Gallis infensa, quæ tunc  
 adolescentis Caroli tutrix, in Cisthenana Germania (ea Belgi-  
 cæ pars est) longè latèq; imperitabat, auxilia cataphractorum  
 equitum & peditum passim ex utraq; Rheni ripa Britannicis  
 castris adiunxerant. Iam Britanni duce Talbotto è Calesta  
 Taroannam Morinorum urbem oppugnatum uenerant:  
 admotisq; muralibus tormentis, moenia magna ui & summa  
 pertinaciæ fama quassabant. Ea urbs muri circuitu parua,  
 sed ædificijs frequens, quod ab imminente monte & ab Lysia  
 impeditisimo flumine manebatur, ex omni parte difficiliter  
 habebat oppugnationem. Addita erant asperitati situs mœ-

PAULI IOVII HISTOR.

nia fossæq; & super hæc equitum ac peditum præsidia, quibus præerant strenuissimi duces Pontiremius atq; Rouergas. Interea dum Talbottus Taroannam continenter oppugnat, Henricus è Britània superato freto Calesiam uenit: quod ubi per Gallias uario rumore uulgatum est, Ludouicus intensissima cura delectus habere, euocare quosque nobiles ac ueteres equites perfunctos iam militia, classem in Oceano edificare: prospicere simul omnib. regni lateribus, & ad omnes casus remedia comparare: omnium primum Narbonam & quæq; proxima Pyrenæis saltibus præsidio firmat, Hispano haud satis fidens, etsi cum eo iudicias paulo antè pepigerat, ne finitimæ gentes belli auide in tergo repentinum bellum aperirent: Heluetiorum quoque in finibus iustum propè exercitum, qui Heduos ab iniuria tueatur decernit. Ii namq; uix dum è Nouaria uictores domum reuersi, concilio Turégi habito: quum legati magistratusq; omnium oppidorum uno tenore de inferèdo Gallie bello retulissent, sublati uexillis arma ceperant, eo consilio, ut monte Iura superato, per Sequanorum fines in hostilem agrum irrumperent: atque omnem eam Burgundiæ partem quæ Gallorum est (et ad Ararim & ad ulteriorem Aluadusi ripam spectat) uel ad defectionem compellerent, uel effusè popularentur. Enimuerò Cæsar, ut Heduorum urbes, quas in altera Burgundiæ parte post Carolum eius socerum ab Heluetijs ad Nansim cum exercitu cæsum, Galli armis per occasionem occupauerant, ueteri Neapolis imperio restitueret, Heluetios iure foederis ad transmittenda auxilia & ad maturandam profectionem sollicitabat. Eos quoq; Henricus ostentatis præmijs atque stipendijs, & Maximilianus sfortia nondum arcibus receptis, firmadi imperij cura anxius, ut quan-

doq;

doq; semel ceptum bellum finirent, in eaq; temporum fortuna superbos hostes in perpetuum domarent, uterenturq; recenti uictoria, continuis legationibus adhortabatur. Quibus de causis, Ludouicus Tramulium cum parte equitatus & cohortibus ex itinere conscriptis in Heduos maturare, & totis uiribus prohibere transitu Heluetios iubet. Demum Roberto Sedunio mandat, ut quam maximum potest pedatatum in Eburonibus Arduennaq; syluae proximis populis mercede conducatur, & continuo in Morinos proficiatur. Idem ut faciat Carolo Gheldria Duci iniungit. Is, quoniam initium diffensionis inter Gallum & Caesarem atq; huius belli non obscura causa fuerat, e Menapijs atq; Sicambribus quibus imperitat, legiones duas, adiuncta Batavorum manu expertae uirtutis mittit. Ita breui Ludouicus maximo equitatu e tota Gallia coacta, & Germanorum auxilijs ingenti pecunia coparatis, ad hostes qui iam in Morinos peruenierant, contendit. Eodem quoq; tempore Henricus, ut uires cum Talbotto per quam mature coniungeret, paratisque ad profectiorem pertinebant, e Calestia mouit, instructo agmine procedens, itineri simul ac praelio intentus. Venierant enim Gallorum antecursores, & leuibus praelijs agmina in itinere lacescebant: mox aliae atq; aliae turmae equitum, atq; ipsa sub uexillis grauis armatura equestris in patetibus campis sese ostenderant, non eo quidem consilio ut acie confligerent, sed ut Britannos ostentatis uiribus magis ac magis morarentur. Verum Henricus, quam maiora quaedam tormenta suo pondere effractis axibus, ac cominutis passim curruum rotis tenaci in limo forte haesissent, & ob eam causam necessario subsistere, & tardius agere agmen cogere, directae acie bis pugnae potestatem fecit. Contra uero Gallis

PAULI IOVII HISTOR.

consultò certamen detrectantibus, quod uniuersæ dimicatio-  
 nis casum necessarium non ducebant, ad sanctum Odeme-  
 rum ( id castellū est ) subsedit. Sequentibus uerò diebus inter-  
 misso nunquam itinere, pluribus equestribus prælijs decer-  
 tatum est: perijtq; in partibus Gallorum Matthæus Coro-  
 neus nobilis Græcus leuiorum equitum præfectus. Ita Hen-  
 ricus incolumi exercitu, nequicquam Gallo iter demorante,  
 quartis castris Taroannam peruenit. Tunc primum urbs  
 quàm accerrimè oppugnari cœpta: namq; tripartitò hinc  
 Talbottus, illinc Carolus Somersetus, & tertio loco Rex  
 ipse ingentibus tormentis, murorum pinnas & interna ur-  
 bis ædificia diruebant. Ex aduerso Pontiremius atq; Rouer-  
 gas nouis operibus mœnia quassata reficere, contra & ipsi  
 hostium castra tormentis infestare, die noctuq; pro mœni-  
 bus, pro portis agere stationes, nihil se animo demittere, &  
 summa spe auxilia Gallorum opperiri. Interea ad famam  
 aduentus Henrici regis Cæsar maiore animo quàm uiribus  
 bellū complexus, tendentibus iam in Heduos Heluetiorum  
 legionibus, paucos Germaniæ proceres secum ducens ad  
 Henricum peruenit. Secuta eum quoq; est magna Germa-  
 norum multitudo, qui pacis odio & lucri cupiditate ad id  
 bellum, in quo tres potentissimi Reges de Imperio dimica-  
 turi uidebantur, ex omni se prouincia effuderant. Henri-  
 cus quoq; ut erat quatuor fermè & uiginti annos natus ab  
 excelso florentis ætatis uigore pecuniæ profusus super ad-  
 uectos ab insula ingentes thesauros, immèse liberalitatis fa-  
 ma & studio erga milites incredibili, mortaliū mētes accēde-  
 rat: magnitudo enim animi, corporis decus atq; proceritas,  
 admirationis humanæ in eo rege modū excesserant. Appro-  
 pinquati igitur Cæsari obuiam ad sancti Odemari oppidum  
 pro-

processit Henricus: consalutatūq; eum & patrem appellatū in castra perduxit. Venerat eò Cæsar magnis itineribus, sine regio apparatu, ut alicui memorabili prælio interesset. Nā in superiore quoq; Germania fama erat aduentare cum magnis copijs Ludouicum, ut liberaret obsidione Taroannam, aut cum Britannis de summa rerum dimicaret. At dum reges mutata ueste circumuecti moenia, apparatus oppugnandæ urbis munitionūq; naturam inspiciūt, ac de genere prælij expugnationeq; deliberāt, nunciatur ab exploratoribus, Ludouicū qui in Ambianis subsederat, cum omni genere cōmeatus uniuersum equitatū intra biduū Taroannam esse submissurū, quod sciret conclusos diurnitate oppugnationis fessos, ac necessariarū rerū penuria laborantes, diutius nō esse tantas difficultates toleraturos. Quod ubi Cæsar pro comperto habuit, quoniam & rei militaris peritia & notitia locorū plurimum ualebat, cōmunicato cum Rege consilio, traducere in ulteriorem Lisiæ ripam maximam exercitus partem, & ad hostes summa celeritate, ut imparatos inuaderet, cōtendere decernit. Ergo quatuor pontibus unius horæ propè momento perfectis, quibus simul omnes copię transmitterentur, relicto in oppugnatione Talbotto, Lisiā traiciunt, & ad Ghingattam uicum duobus passuum milibus ab urbe distantem pergunt. Erat Ghingatta obscurus antea pagus: sed duabus iam Cæsaris uictorijs Gallorum infaustus: siquidem Ludouico Vndecimo Gallorum rege cum Germanis de finibus contendente, ipse Cæsar uix dum pubescens, Philippum Dechordum expertissimum ducem, cum triginta milibus Gallorum hisdem, in campis acie superarat. Igitur Galli, ut obsessis in tanta rerum egestate succurrerent, cum octo milibus equitum, receptis in me-

PAULI IOVII HISTOR.

diū sarcinarijs iumentis, rectā Taroannam mouent. Præ-  
erat omnibus Pienes, uir in Morinis summæ nobilitatis:  
quoniam in prouincia, quam ipse iam pridem à Ludouico  
regendam acceperat, bellū gerebatur. Verū cum eo aderāt  
clarissimi quiq; Gallorum ductores, atq; equitatus duratus  
in armis, & multarum gentium uictor: in quo nihil præter  
Fortunam ueterem desiderabatur. Eo modo Pienes quum è  
tumulis descendens, qui ad Ghingattam uergunt, in subie-  
cta planicie signa atq; equites ostendisset, Cæsar & Henri-  
cus incredibili pugnæ desiderio deflagrantes, partiti inter se  
copias, ea sorte ut alter equitatum in hostes duceret, alter  
uerò cum peditatu & currulibus tormentis continuò se-  
queretur, instruere ordines, quid fieri uelint præfectos do-  
cere, ad equitare legionibus, hic Germanos & Belgas, ille  
Britannos quos ab insula transuexisset, adhortari, ne uete-  
ris gloriæ militaris obliuiscerentur, ne eos hostes aut fortes,  
aut insuperabiles existimarēt, quos omnibus bellis atq; om-  
nibus sæculis & progenitores sui & nuper Heluetij pedites  
acie deuicissent: Adniterentur, auderentq; primo impetu,  
ac sibi ducibus, & regibus suis, qui opinione uirtutis om-  
nem dignitatem atq; salutem in dextris militum posuissent,  
fortem operā maturamq; uictoriam præstarent. Germani  
pedites ignari adhuc aduentus Cæsaris, ut eum aperto capi-  
te paludatum singulis ordinibus adequitatem cognoue-  
runt, ex eius præsentia uictoriam auspicati statim acclama-  
uere, Salue Cæsar, Salue pater optime, Imperator inuictè,  
te duce iam uicimus. Is ut ardorem militum uidit, non cun-  
ctandum ratus, arreptis secum quatuor milibus equitū in  
quibus Hippotoxtæ Britanni, & Cisrhenani equites cata-  
phracti sub Hæseo Roseo atq; Laleno fortissimis ducibus sue  
rant,

rant, ad Gallos pergūt. Henricus quoq; pari passu cum robore legionū, sagittarijs suis immixtus subsequitur. Iam plures Gallorū equitū ut cōmeatū intrmitterent, circumducti ab leua, ad eam portam, quæ segniorem Britannorū stationem habitura uidebatur, peruenerant: & à Talbotto qui paratus in armis adstiterat, cum detrimento repulsi fuerant: quū Henricus ad primum hostiū conspectum, ad perturbandos eorū ordines duas eminens colubrinis distodi iussit. Mox Cæsar quem fatalis hosti locus & antiqua uictoria claris auspicijs ad prælium accendebant, in aduersos impetū fecit. Tanta fuit sagittarum uis, tantusq; cataphractorum irruentiū ardor, ut primo concursu Galli equites turbati fusiq; sint, quanquam accerrimi duces manu prompti insignibusq; fulgentes ante alios fortissimè decertarent, atq; impetū hostiū sustinere, & reparare percussam aciem in crepitis retētisq; militibus conarentur. Ceterū quoniam nec tormenta nec pedites in subsidium equitatus adduxerāt, urgente Cæsare, & appropinquante cū tota mole peditatus Henrico, cedere et terga dare coacti sunt. Duces ipsi in tanta equitū perturbatione dedecoris metu dū acrius resistūt, capiuntur: Ante alios Marchio Rothelinus, qui paulo antè Donesio, fratre mortuo, dux longauilla creatus fuerat. Cum eo Palicia Imbercurtius, Baiardus atq; Busiuus. Sed Palicia & Imbercurtius ob ueterem amicitia & cognitionē, quæ cum Rosco intercedebāt, ab equitibus Sequanis, in acie dimissi sunt. Signa uerò quæ in illa usq; diem tot gentiū cruore conspersa, in tot bellis atq; periculis seruata fuerant, occisis aut captis signiferis, in potestatem Britannorum deuenērūt. Fuit hæc pugna periculo ducū magis quàm militum cæde insignis: quum nec peditatus conflixerit, nec



PAULI IOVII HISTOR.

tormenta usi fuerint, et solis hastis atq; mucronibus usi cataphracti, utrinq; colluctati inter se equis atq; corporibus maiorem tumultum, quam cadē ediderint. Pienes paucis suorum desideratis, trepidanti agmine ad Blangim unde uenerat, celeri fuga se recepit. Cesar autem & Henricus captiuus comiter apud se habitis, in uetera castra redierunt. Iam Talbotus cuniculos effoderat, tormentis muri partē dissecerat, & magna spe iam tum expugnandæ urbis tenebatur, quum Pontiremius atq; Rouergas, Britannis, captiuos Gallos ostentantibus, desperato comœatu, per colloquiū tridui inducias postulant. Quibus impetratis, pacti ut inde cum armis atq; uexillis sine fraude discedere liceret, urbem cōtinuò dedunt, paulo post uictores, colonis aliò migrare iussis, ut ab simili pertinacia cæteras urbes deterrerent, seruatim templis incendunt. Ita clarissima Morinorum ciuitas Millesimo quingentesimo tertio decimo anno à partu uirginis, Nono Calendas Septembris excisa est. Ludouicus interea ad Motrellum coactis copijs indiçto concilio procerum, decreuit idoneo omnibus rebus loco castris se tenere, neq; ad euentum Fortunæ experiri iterum hostium uires: qui magnam bellicæ laudis opinionē, deuictò ueterano equitatu adepti fuerāt. Enim uerò manu præoptus & consilio optimus, quanquã uniuersi certaminis desiderio teneretur, præfectiq; omnes ad abolendam ignominiam, deuouendo sese pro uictoria prælium deposcerent, haud tamen tutum fore existimabat, si percussos animo milites, ac superiore gloria rei militaris obscurata, quasi degeneres factos, quum intra septuagesimum diem ad Nouariam atq; Ghingattam infeliciter dimicassent, fortissimis hostibus, ac tum recenti uictoria elatis obiecisset, uel ob id maxime quòd rumor in castris percrebuerat, Heluetiorum

tiorū uiginti quinq; milia cū duobus milibus equitū, quos Cæsar addiderat, per angustias Sequanorum in Heduos penetrasse, & iam eorum agros magna belli clade populari, neq; Tramulium continuè castra mutantem aut ire obuiam, aut manus conferere audere. Quibus de causis Ludouicus, suspensa Gallia, & ad noui belli periculum excitata, cunctando circumspectare hostium motus: & reliquæ aestatis extrahere, quam in discrimen summæ rei deuenire malebat. Mox conuersus ad altiora consilia, Iacobū Scotorū regē iam tum antea precibus fatigatum, per legatos sollicitat, ad nouas res in insula moliendas, gerendumq; aperte bellum aduersus Henricū. Erat Iacobus maximis beneficijs & antiquis superiorū regū necessitudinibus Gallo obstrictus, ob idq; facile impelli poterat ad quācunque belli fortunam subeundam: Quāquā per se animo inmodicus, & natura insensus Anglico nomini, priuatis etiam lacesitus iniurijs, inferre ultrò bellum & proferre Imperij fines meditaretur. Nec deerant, præter Gallorū legatos, arma, pecuniam, tormenta, duces, classes atq; omnē belli apparatus pollicentes, qui mobile regis ingeniū uarijs artibus expugnaret, ex intima aula spectata apud eum gratiæ regni proceres, muneribus empti ab Gallo, ut proposita præsentium rerū occasione, ac ostentato totius insule imperio, in spem prosperi euentus & magnæ fortunæ erectum, ad sumenda arma uehementer accenderēt. Quando abductis in continentē omnibus fermè copijs, & Henrico in Gallia bellum gerente, regnū sub uxoris tutela relictum inuadere, atq; armis exagitare interiora Britannia, haud factu difficile uideretur. At hæc secum quum ipse multum animo uariius reputaret, obuersabantur ante oculos uxor, quæ Henrici soror erat,

PAULI IOVII HISTOR.

& nouum pariter atq; antiquum pacis foedus sub Alexan-  
 dro Pontifice iam pridem cum Henrico solenni sacramento  
 percussum, & ab Iulio bullatis item tabulis confirmatum.  
 Diræ demum imprecationesq; Pontificis, ac polluendæ re-  
 ligionis metus, si defensores Pontificiæ dignitatis oppugna-  
 ret, & expositum iniuriæ nudatumq; præsidijs regnū, ni-  
 hil tale uerente Henrico, ui & armis aggredetur. Ex ad-  
 uerso autem rerum suarū sollicitus, utpote cui iam pridem  
 suspecta erat Henrici potentia, nimio plus crescere rem An-  
 glicam, & ferocem iuuenem in trāsmarina prouincia bello  
 clarum fieri, non ferebat. Quoniam finito in Gallia bello  
 eum hostē ingentis spiritus, ac semel militiæ studio accen-  
 sum minime quieturū apparebat, sed continuo non conten-  
 tum finibus suis, illaturū arma, ac subactis Scotis, seq; pa-  
 terna sede pulso, unius insulæ unū regnū esse facturū. At in  
 contrario rerū successu, si forte Henricum imperitū militiæ  
 pugnacissimam Gallorū gentem, ac talem tantumq; regem  
 in hostili solo difficili bello pulsantē, aliquo ingenti prælio  
 superatum Fortuna destitueret, idem regnum ac eadem totā  
 Britannia mouenti modo arma, ac Fortunam ex tuto tentan-  
 ti cessura uidebantur. Hac inani spe sublatus, alienato ani-  
 mo, ut causas uiolati foederis prætenderet, antequā hostilia  
 moliretur, literas ad Henricū querimoniarū plenas conscri-  
 bit. Egisse iam pridem Henricū multa in contumeliā Scotici  
 nominis, eaq; se pro iure affinitatis ac foederis forti animo  
 semper tulisse: quum grauissima damna finitimis Scotis illa  
 ta ut constitutum fuerat, Henricus minime resarciret, quū  
 in percussores Bartonis piratæ Scoti non animaduertetur:  
 & Spurium Heronem qui præfectum consinium Scotiæ  
 interfecerat, impunē agere in Anglia pateretur: legatos  
 suos

suos contra ius gentium non admisisset: oratorem uxoris inuito retentū non dimisisset, complures nobiles Scotos in Scotia captos uinctosq; crudeliter & tunc in custodia haberet. Ea omnia quanquam per se magna & intoleranda, distululari tamen potuissent. At non se passurum ulterius Ludouicum amicū regem, cognatione et fœdere sibi obstrictū, ab eo ad internitionem oppugnari, Caroli Gheldrij consanguinei agrum plusquam hostiliter ab Anglis deuastari. Propterea esse supremum animi sui iudicium, causam socij regis iure fœderis defendere uelle, neq; interea se finem facturum populationibus atq; incendijs, quandiu Ludouicus ab eo in Gallia uexaretur. His Henricus ita respondit, se non magnopere mirari quòd Rex Scotorum pro uetere gentis instituto fidem falleret. Nouisse enim iam pridem eius animi inconstantiam, et consiliorū leuitatem, quibus eo dementia perductus esset, ut alienam causam proprio periculo tueri, & florentes res suas cum perditis Gallorum rebus permiscere contenderet. Quòd si uiolare iusturandum, fidem prodere, & arctissima necessitudinis obliuisci æquum & regium putaret, neq; multum eo dedecore permoueretur: timeret saltem Deos immortales, qui turbata pacis & ruptorum fœderum uindices esse consueuissent, adducereturq; exemplo regis Nauarra, quem Dijs ita iubentibus, ex patrio regno in eas miseras precipitatu, Ludouicus in Gallia sine regno tranquile regnare permitteret. Proinde desineret memorare atq; obijcere, quæ ad uiolandam pacem ipse confinxisset, ea enim se iam pridem literis atq; legationibus ut uetera omnino, uanaq; diluisset. Cæterum cum impudentissimè fecisset, quòd nihil earū rerū antequam ipse mare traiceret, commemorarit. Propterea sciret apud se etiam absentem, non esse tantæ existimationis Sco-

PAULI IOVII HISTOR.

torum regem, ut eius repentina atque insperata perfidia  
 terri possit. Ageret modo ut luberet, se enim neque ulla  
 denunciatione periculi destitutum ab scelici incepto: neq;  
 iniuriam animo depositurum. Igitur Iacobus indicto bet-  
 lo, uniuersas regni uires contrahit: atque omni nobilitate  
 armata, ad Tuedum fluium, qui utriusq; Imperij limes est,  
 contendit. Britannia nanque omnis, intercurrente per  
 transuersum Tuedo, ubi aestuaria ab diuerso littore intror-  
 sus arctissime sinuatur, atque aliam prope insulam efficiunt,  
 in duas partes diuiditur. Maiorem proximam continen-  
 ti Gallie, uergentem ad Hyberniã et ad Cantabricum Ocea-  
 num, Angliam ab Anglis populis appellant: qui quondam  
 ab Hercynio saltu per Germaniam profecti, ad queren-  
 das nouas sedes in insulam traiecerint: ac pulsus indigenis,  
 propter agrorum fertilitatem ibi consederint. Alteram uero  
 tertia ex parte Anglia minorem, effractis longè lateq; litto-  
 ribus, ad Thulem in arctum prominentem, ubi Caledonia syl-  
 ua, et breuissimus in Orcadas traiectus, ab recentibus etiam  
 populis eò transgressis, Scotiam uocant. Hæc importuosa,  
 parum urbibus frequens, horrida syluis atq; frigoribus, ab  
 humanitate & cultu cæterarum gentium recedit. Illa uero  
 propinquitate continentis, benigniore cœli temperie, metal-  
 lorum & pecoris sæcunditate florentissima omnium insu-  
 larum in morem nostrum edificat, atq; elegantie plurimum  
 studet. Angli & Scoti eadem ferme lingua, quæ Germanicæ  
 haud absimilis est, utuntur. Vtriusq; studium rei militaris  
 propè par, atq; eadem arma, lignei & ingentes arcus, ala-  
 bardæ demum ac prælongi conti: clauæ quoq; ferreæ (ac-  
 cias ipsi uocant) quas ambabus manibus regunt. Præcipua  
 um apud utrosq; robur in pedite. Si qui adsint in bello equi-  
 tes

tes, magna pars sagittarij sunt, pauci uerò cataphracti, quòd eorum equi, quanquam acres, ad iustam magnitudinem non excrescāt, ut Frisii, Bethici, atq; Apulij: et propterea statariæ pugna minus idonei existimentur. Corpora uirorū alba, lacteosa: comæ autem omnibus breues, & barbaræ subrutile. Vniuersa uerò gens supra ceteros mortales conuiuiorum studiosissima. Ea enim per uarias & exquisitas dapes, interpositis musicis atq; ioculatoribus, in multas sæpius horas extrahunt: ac subinde perductis choreis, amoribus scœnarum indulgent. Religione, institutis ac legibus, atque eodem corporis ac ingēij habitu, medijs inter Gallos atq; Germanos collocantur. Fuere eæ gētes paulo ante Iulium Cæsarem, qui primus nobis Britanniam aperuit, agrestes atq; effræa, nulla nauigandi peritia, nullo propè militiæ usu, aut externarum rerum cognitione, quod spatium dirimentis Oceani ab nostro orbe diuisi dicerentur. Sed quum Romana arma uiderunt, atq; eos sub Claudio Scapula, Ostorius, Suetonius, Paulinus, et Vespasianus, ac mox sub Flauijs, Cerialis, Frontinus & Agricola magni duces, atq; ipse demum Seuerus Imperator, dum Romanū floreret imperium, circūducta classe interiora quoq; insule peruagati, caesis hostiū exercitibus, saltibus penetratis, atq; ipsa naturæ rerū difficultate perdomita & pacē et iugū pati coegerunt. Cœpere tunc primum repressi tamen magis quàm domiti, intellectis conuentio Romanis artibus, è disciplina belli negotia administrare, condere leges, & corporis robur ingenij uiribus temperare. Nec molto post aduētū nouarū nationū cōpositis moribus, quum per calamitatem ruentis imperij Cæsares fatali desidia ueterem fortunam amisissent, excusso statim iugo, opibus, & belli gloria plurimum ualuerunt. Namque instructis classibus,

PAULI IOVII HISTOR.

ut uires in alieno solo experirentur in continentem delati, Hispanis, Gallis, atq; Germanis maximas clades intulerunt. Protulereq; in Italiam mercenaria arma. Siquidem Guelphis Gibellinisq; ferro inter se ad internitionem debacchantibus, qua clade attritis omnium uiribus, res Itala penitus ab stirpe interijt, Anglos equites Ioanne Aucutho duce maximis stipendijs conductos ob eximiam uirtutis opinionem, tyrannorum auspicijs in Italia militasse constat. Nouissima autem expeditione patrum nostrorum memoria, aduersus Gallos multa præclara militie facinora gesserunt, & egregie uirtutis testimonium præbet Caleſia ad Geſſoriacum littus eo bello Gallis ablata, & in hanc diem, ob maximam traiectus opportunitatem, maiore gentis opinione quam præſidij uiribus, pertinaciſſimè conſeruata. Cæterum Iacobus ab Tuedo Humeum uirum nobilem cum parte exercitus ad populandos hoſtium fines præmittit. Is repentina incurſione oppreſſis finitimis, obuios capit, reſiſtentes obruncat, eorum pagos incendit: coactaq; omnis generis hominum & pecoris præda, in pacatum regredi parat. Sed Angli quos ſubitus aduentantium hoſtium rumor, mox uillarum incendia, & maioris etiã cladis metus ad arma exciuerant, uindictæ ira perciti, ac dolore ſimul auiſſarum rerũ, ac occupãdas uiarum anguſtias, quã Humeũ rediturũ exiſtimabant, contendunt: adorti q; è ſuperiore loco graue ſub ſarcinis hoſtium agmen, clamore, multitudine telorũ, ac mox tumultuario omnium procurſu, uniuerſos fundunt, ac magna cæde edita Humeum fugientem perſecuti, Scotorum fines irrupũt: abactisq; armentis, & concrematis pluribus uicis in Angliam reuertuntur. At Iacobus nihil eius primi certaminis omine, quod mox infelicẽ rerum exitũ portendit, permotus, ut detrimen-

tum

tum acceptum maiore commodo atq; uictoria refarciret,  
 omnes copias ad Norbanum oppidum ducit. Id corona cin-  
 ctum ui capit, ac solo aequat. Inde populabundus & ferox  
 ad oppugnandum Beruicum munitissimum oppidum, quod  
 in finibus Scotie Henrici praesidijs tenebatur, proficiscitur.  
 Interea Surreius Britanniae procerum longè nobilissimus,  
 quem paulo ante Henricus ob egregiam fidem atq; uirtutem  
 ad incerta belli, & ad tuendos regni fines cum imperio &  
 iusto exercitu in Britannia reliquerat, coactis copijs ad Iaco-  
 bum cuncta belli clade uastantem contendit. Aderant cum eo  
 Dacreus finium praefectus, uir omni bellica laude insignis,  
 Odoardus Stanleius, & Spurius Heton cum ualida turma  
 equitum, quam ipse nuper exul ab Scotia atq; Anglia in syl-  
 uis per latrocinia & caedes exercuerat: atq; alij cum auxi-  
 lijs, quae passim à regina per urbes scribebantur. Etenim ad  
 noui belli famam, non tantum proximi Scotis uti periculo  
 expositi: sed remotae etiam gentes, maiore odio quàm metu,  
 quum omnes iniquo animo uiolati foederis iniuriam fer-  
 rent, uoluntariam militiam secutae, ad Surreium festinabāt.  
 Posuerat tunc castra Iacobus in uertice montis, quem Flod-  
 don incolae appellāt, loco, arte, atq; natura munitissimo: nāq;  
 ab leua continentes palus quam limosa uoragines atque  
 internata passim arundinetæ plurimum impediebant, subie-  
 ctam planiciem occupauerat: ab dextra Tylus fluiuius pro-  
 funditate aluei & aquarum rapiditate difficilior, quàm ut  
 uado transiri posset, ad imas montis tradices labebatur. Ter-  
 ga quoq; praecipuae rupes & densissima nemora protegebant.  
 A fronte uerò, ubi mollem ascensum atq; unum omnino adi-  
 tum Natura reliquerat, Iacobus perducta fossa & colloca-  
 tis interiore labro omnibus tormentis, adeo egregie se muni-  
 uerat,



PAULI IOVII HISTOR.

uerat, ut circumvallari ab inferiore loco, aut oppugnari sine perniciosa hostium dimicatione non posset. Eò Surreius quum peruenisset, admiratus locorum iniquitatē, quòd nequaquā temere sibi oppugnanda castra cēsebat, ad Iacobum cum mandatis Araldum regium mittit, quorum hæc summa erat, Videri sibi Iacobū impiè crudeliterq; fecisse quòd solent ne pacis iusurandum uiolarit, sanctissimæ cognationis iura polluerit, absenti Henrico bellum intulerit, & succēsis castellis finibusq; uastatis, Anglos nil tale uerentes eodem impetu trucidarit. Propterea se uenisse cum exercitu ultum iniurias: diligeret ipse æquum locum, & certam diem uniuerso certamini: se enim nulla interposita dubitatione quum primum pugne potestatem faceret, de summa rei dimicaturum. Ad hæc Iacobus, ut erat elati animi spectat eq; promptitudinis, Araldo comiter appellato, gratias Surreio agit: additq; publicè laudes, quòd pugna ultro deposceret, quam omnibus eum artibus uitaturum diu anxio molestosq; animo tenuisset. Itaq; secundum eos spiritus pararet arma: & hastas Scotorum phalanges tertia die in patentibus campis expectaret. Ibi se de iniurijs seuerè cogniturū, quas intempestiue contumelioseq; memorasset: et nouas ueteres controuersias armis finiturum. Constituta die Surreius in subiecta planicie tribus passuum milibus ab hoste confedit, atq; aciem direxit. Sed Iacobus tametsi paratus erat prælio decertare, suis tamen castris atq; munitionibus se continuit. Quoniam ab expertissimo quoq; procerū, committendæ pugne consilium improbatur: & ante alios Hunleius, quo nemo fortior in eo exercitu aut callidior habebatur, clariore uoce, ut prætoriani quoq; milites auderēt, in cōsilio dixerat, Nihil stultius aut leuius esse, quàm auctore hoste manus cōferere, et ad eius

arbitrium atque libidinem summa rei fortunam periclitari: Teneret se opportuno ipso loco, & ferocem hostem cunctatione ludificaretur: magnam enim esse in hostilibus castris rei frumentariae penuriam: neque commatu ab interiore Anglia in summis itinerum difficultatibus ob perpetuos imbres, posse facile comportari. Sedendo, ac nihil temere agendo breui regem secundissimis pugnaturum auspiciis: & hostes iniquitate loci & commatus inopia superatos, extud cadendos militibus suis praebiturum. Multa quoque prodigij loco habita, quanquam uana & fortuita putabantur, eius animo religionem et nouum terrorem incusserant. Eo enim cum ducibus de praelij ratione disputante, lepus e praetorio profilierat: ac mille petitus telis per mediam stationem intus euaserat. Quin & mures ea nocte lorū galeae sibilantque corroserant: & uela interioris tabernaculi sub Aurorā sanguineo rore fuisse confersa dicebantur. His de causis nequam prodeunte in aciem Rege, Surreius qui palustribus et foedissimis in locis ob rerum omnium difficultatem diutius consistere non poterat, nec iudicabat hostem nisi summa compulsum necessitate dimicaturum, castra mouit: & relictis ad leuam hostibus, traiectoque Tylo flumine in equiorem locum ad initia Barmoreae syluae se contulit, eo consilio, ut milites quos maximis itineribus confectis fessos, toto eo triduo tenuissimè aluerat, fertiliore & tutiore in loco recrearet, nouas interim expectaret copias, & ad motus hostium, qui multitudine sua proximos montes compleuerant, nouam & ipse gerendi belli rationem sequeretur. Intererat tantum flumen Tylos inter bina castra regis atque Surreij, nec utrinque ab tormentis atque missilibus temperabatur. Sed magno usui Surreio erat collis ab eiteriore ripa

PAULI IOVII HISTOR.

in altitudinem mille passuum molliter assurgens, qui castrorum frontē ab omni tormentorum iniuria protegebat. Ex eo colle Thomas Hauardus Surreij filius, eximie uirtutis iuuenis, circumiectos colles, quos hostis occupauerat, subiectāq; planiciem oculis contemplatus, patri renunciat. Iacobum ab Scotia excludi, aut ex munitissimo loco detractum, elici ad pugnam facile posse, si rursus copias superiore in loco Tyllum traducat, & non magno circuitu capto, introrsus quantum montis angustie patiantur, à tergo sese ostendat. Surreius qui uni huic rei, ut congregaretur animus intenderrat, summissis locorum atque militiae peritissimis, qui maiore cura sitū regionis inspicerent, quā eadem illi afferrent, Hauardiq; conciliū omnium opinione cōfirmaretur, extemplo conclamari, & colligi uasa iubet. Inde ad tria millia passuum promotis castris, bipartitō binisq; pontibus uno tempore flumē transmittit. At Iacobus de Surreij consilio contentura iudicans, ne circa eadē iuga sedendo cōtra dignitatem suam interclusus ab Scotia, liberā frumētandi facultatē amitteret, ac simul quod ad retinendā authoritatē pertinere censebat, ne ex detestatione praelij obsessio similis, aliquātū plus fiducia in loco atq; munitionibus, quā in militum uirtute ponere uideretur, castra protinus mouet, & ad occupandum proximum mōtem, quem ne hostis prior obtineret magnopere timebat, rectā contendit. Factum est summa eius celeritate & calonum industria, qui in discessu (ut imperatum fuerat) tuguriolis militum stramentisq; et reliquo omni paulo incensis eam regionem continenti fumo atq; atra caligine compleuerant, ut Iacobus popositum locum prius attigerit, quā Surreius, qui ab hoste uix mille passus abest, aut discessum eius senserit, aut longa incedentium agmen

mina fuerit conspicatus. Ita Iacobo summa collium tenente,  
 Surreius ad radices cum omnibus copijs successit, paulu-  
 lumq; ibi commoratus, quòd mons neq; arduus neq; diffici-  
 lis uidebatur, antequam hostes castra munirent, conscendere  
 atq; omnino praelio decertare constituit. Mox aduocata mi-  
 litum concione, demonstrat quem in locũ deuenerint: hinc  
 prealtas fluminis ripas, illinc abruptos & perpetuos mon-  
 tes, nisi quàm acerrimè pugnent & fortiter uincant, om-  
 nem salutis spem & fugæ rationem adimere. Auderent con-  
 tra perfidos hostes, qui uiolato fœdere per occasionem ab-  
 sentis Regis, de Imperio totius Britanniae cogitandũ sibi ex-  
 istimarint, neq; eorum multitudine magnopere animo per-  
 turbarentur. Satis esse perspectum frequentibus patrum ui-  
 ctorijs, quantũ in Scoto roboris esset atq; constantiae, nec de-  
 futuros in acie Deos ipsos, sicuti antea aduersus uiolatores  
 fidei, & humani iuris atq; religionis contẽptores nunquam  
 ex merito defuissent, modo suæ pristinae uirtutis milites me-  
 moriã retinerent. Consensu enim omnium mortalium, iustis-  
 simam esse belli causam propulsare iniurias, & tueri armis  
 focos liberos, coniuges, et quod his multo præclarius uideret-  
 tur, libertatis pontificiæ dignitatem, quam Henricus ma-  
 gno animo & sanctiore consilio defendendam suscepit: ob-  
 id mare traiecerit: atq; ita Dijs bene iuuantibus, impios sa-  
 cro sanctæ maiestatis oppugnatores, pulsos captis eorum die-  
 cibus, & munitissima urbe recepta, in interiora Galliae  
 compulerit. Quin igitur Dijs hisdem auspicijs eadem pol-  
 lute religionis cõtatione fœdatos aggredieretur, & si gen-  
 tis decus, si regis existimationem, priuatam deniq; gloriam  
 atq; salutem carissima haberent, se duces sequerentur, pa-  
 ratum scilicet, aut egregie uincere, aut pulcherrimam mor-

PAULI IOVII HISTOR.

tem oppetere. Conclamauere statim milites, pugnae signum daret, neq; dubitaret committere praelium iniquo etiam in loco: se enim in aduersa montis iuga infestis armis peruasuros confirmant, neq; nisi uictores in castra redituros. Igitur Surreius in ea spe & militum alacritate, ex omnibus copiis tres acies facit. Hauardo primam attribuit, in qua & Ede mundum alterum filium curare iubet, ipse medium agmen tuctur: Odoardum Stanleium tertiae praeficit: Dacreum cum equitatu in subsidijs collocat: tormenta certis interual-  
lis inter ordines & in fronte disponit, & ad hostes iusto passu progreditur. Interea Iacobus, ut erat ex eo monte despectus in subiectos campos, quum procul armorum fulgor, distinctaq; hostium agmina uiderentur: ratus sibi ea die uictoriae occasionem dari, si natura loci atq; amplitudine copia-  
rum superior, quam primum cum hoste confligeret, urgente fato praelij signum proposuit, conuersusq; ad regni proceres qui proximi adstiterant, talem habuit orationem. Postquam fortissimi commilitones, meliori conditione quam unquam antea maiores nostri cum hoc hoste pugnauerint, nobis hodie dimicandum est, memineritis hanc esse illam diem sum-  
pae occasionis ad uindicandas iniurias, quam nec uenturam sperastis unquam, & frustra hactenus exoptastis, quum a superbissimis hostibus omnes indignitates & contumelias pateremini. Verum qui haec diu per inanem iram gemendo, inuocandoq; sepius ultores Deos domi pertulimus, & tandem in hac pulcherrima rerum occasione tam iusta quam necessaria arma cepimus, uilissima profecto capita essemus, & leuissimi omnium mortalium, si, quum facta & uera uirtute opus est, & conferre pedem, & per mortes & uulnera uictoriam appetere oportet, tunc hostium faciem timeamus

& belli pericula trepido animo metiamur. Ego quidem in  
 bona pace his Imperij finibus contentus, tranquillitati atq;  
 otio studere potui, & carere periculis atq; laboribus, quos  
 quotidie bellum affert, si nulla dedecoris cura habita, priua  
 tam foelicitatem & gentis dignitate & salute uestra potto-  
 rem existimassetem. Sed frequentissimo uestro consensu, in  
 maxima ulciscendae iniuriae atq; omnium rerum opportuni-  
 tate, quum gerendum aperte bellum omnes censeritis, quod  
 ea qua nos & progenitores nostri ab insensissimis hostibus  
 sustinuissem, foeda, aspera, intollerandaq; erant, bellum ma-  
 gno animo indixi, & quod per amplam mihi uictoriae spem  
 facit, uos maiore studio, maximo ardore, & incredibili ala-  
 critate signa secuti estis, ut quandoq; insigni facinore, atq;  
 ultimo ueluti uirtutis opere edito, egregiam animi fortitudi-  
 nem testaremur, atq; immortales controersias memorabili  
 uictoria finiremus. An forte de secundo praelij successu dubi-  
 tandum? quum hostium exercitus nulla in re cum nostro sit  
 comparandus, qui totus ex fugacissimo genere militum con-  
 stat: tirones enim sunt ex tumultuarijs delectibus in speciem  
 militum armis instructi, dum ueterani omnes, aut iuuentute ro-  
 bore et speciem bello idonei ab Henrico in Galliam traduco-  
 rentur. Hos ergo numero paucos, lassitudine fameq; confre-  
 ctos quum appropinquauerint, ex superiore loco telorum mul-  
 titudine non obruetis? Succedunt colli instructa acie, non  
 quia audent, sed quia necesse est, ut honestius atq; celerius  
 insoliti laboris ac inedia dolorem morte effugiant, ferarum  
 more, quas furor in rabiem agit, quum impatientia animum,  
 & fames uentre exagitauerint. Mecum orgo ferrum stringi-  
 te, & iugulum horum tironum impetite, pudeatq; eò non  
 progredi mortis metu, quò me ducem uestrum pro gloria

PAULI IOVII HISTOR.

uadentem uideritis. Alloquentis adhuc regis orationem, atque  
 morum strepitu ac dissonis clamoribus milites exceperunt.  
 Nec mora Iacobus primum suo, deinde omnium est conspectu  
 remotis equis, ut æquato omnium periculo, et spe fuge sub-  
 lata (sicuti gentis mos est) simul et corporis robur atque ani-  
 mi uirtutem ostenderet, omnes copias in quinque quadratas  
 acies dissipat, ea ratione ut tertium agmen, in quo signum  
 regium erat, atque omnes uiri insignes militabant, duplici  
 utrinque acie tanquam duobus cornibus clauderetur. In dex-  
 tro Huntleius Crafordius et Montiroseus: in sinistro Hu-  
 meus Lenuoxius et Argilius qui singularem militie usum  
 habere dicebantur, curabant. Preficitque singulis cohortibus  
 singulos ex ordine equestri: et cum his aliquot centuriones  
 Gallos, quos paulo ante in Scotiam Ludouicus ad tradendam  
 disciplinam transmiserat, collocatisque idoneo in loco omnibus  
 tormentis, quæ magno usui per decliua montis esse non po-  
 terant, ipse in medio agmine contra Surreium constitit. Iam  
 exererat in aduersum collem primas cohortes Edemundus,  
 qui tormentis utrinque emissis, turbatisque primis ordinibus,  
 Humeus hastatos induxit, qui adeo acri impetu subeuntibus  
 incubuerunt, ut cæsis antesignanorum promptissimis, et  
 strato Edemundo, totam prope aciem in fugam conuertere-  
 rint. Iamque nulla spes reliqua erat consistendi, perterritis  
 semel pulsisque cohortibus, nisi in tanto discrimine, hinc Spu-  
 rius Heron, uir admirandis corporis atque animi uiribus in-  
 signis, suo alienoque cruore persusus, Edemundum subleuas-  
 set, et ab alia parte Dacreus ad subita pugne intentus,  
 transuerso cursu in latus hostium procellam equitum immi-  
 sisset. Mox succedente etiam Hauardo cum lectissimis mili-  
 tum, haud dubie restituta acies, redditusque iam uictis animi  
 uigor.

*rigor. Ita æquata prælij fortuna, aliæ atq; aliæ Anglorum cohortes afflicte cum integris, ipso metu commiste, emulacione uirtutis rectam agminis frontem erigere in mōtes cœperunt. Ibi quum ad roborâ Scotorum peruentum esset, & utrinq; maioribus propè odijs quàm uiribus certaretur, Montiroseus atq; Crasfordius ad cohortandos milites in primam aciem prouecti, pugnantes cadunt, perrumpiturq; hastatorū phalanx: ac dissipata per iniquamontis ab equitate pediteq; conciditur. In sinistro autem cornu eodem tempore Stanleius iam contracto certamine Scotos æquioribus locis detraxerat: & superfusa sagittarū multitudine eò adegerat, ut non conferti, sed laxatis ordinibus rari ac uitæbundi pugnarent, eorumq; signa fluctuare inciperet. Quod ubi animaduertit, circumductis continuò tribus subsidiarijs cohortibus in aperta hostium latera, tantū terrore intulit, ut sustinere irruentiū impetū, aut consistere nequierint, sed protinus coniecti in fugam, & per deiectus montis præcipitati, in syluas se condiderint. Ibi Argilius atq; Lennoxius uoce manibusq; inclinatam aciem retentantes interficiuntur. Interim Iacobus qui paulo antè cum Surreio pugnam inierat, ut ab cornibus turbari suorum ordines, atq; hostes ab lateribus circumfundi uideret, cohortem prætoriam, euocatos et proceres quos circa se habebat adhortatus, ut nihil se, nihil maioribus suis indignum cōmitterent, in medios hostes inducit. Ita nouum priori acrius de integro prælium ortum, quod tota ea ecies tecta ferro, Anglorum sagittas egregie sustinuerat, obruncatisq; primorū ordinum aliquot centurionibus, ad signa prope peruaserat. Erant utrinq; procera uirorū corpora opinione uirtutis ad supremos casus ab utroq; duce delecta: præliumq; ut necesse erat, uariū,*



PAULI IOVII HISTOR.

anceps, modo his, & modo illis prosperū & exitiabile. Rex ipse ante signa pedester pertinacissimē pugnam ciens, alios laude, pudore alios, omnes deniq; uario hortatu accēdebat, ut quod tantopere desiderassent, adepti, hostes ferro atq; uulneribus ulciscerentur. Contra Sorreius, quū optimus quisq; aut caderet, aut sauciaretur, magna ui contendere, uulneratos in postremā aciem subducere, suos plurimum adhortari, ut ad gladios rem adducerent: & qua maximē hostes urgebant multum ipse pugnare. Sed dum incerto adhuc pugne euentu ad uexilla res geritur, Hauardus et Statleius qui ab utroq; cornu pulsus hostibus uictores ad medium agmen redibant, conuersi in hostem bipartito signa intulerunt: & in tempore Dacreus quoq; in terga quam maximē confertis equis incurrit. Ita Scoti quum ab fronte, ab latere, à tergo caderētur, neq; labore et uulneribus fessi, per acruos corporum atq; armorum perumpere possent, circumuenti in orbem pugnare coguntur. Tum uerò Iacobus, quum regium uexillum, cadente Adamo cui Formam erat cognomen, stratum uidisset, nihil iam dubitans quin è uexilio moriendum esset, ut ab imminentibus contumelijs animum uindicaret, in confertissimos hostes procurrat ibiq; pugnant confoditur. Nec longē ab eo pari pertinacia atq; uirtute cōtendētes interficiuntur uiri sacrati, et sacerdotijs insignes, Archiepiscopus unus, episcopi duo, abbates quatuor: proceros uerò, & equestri dignitate honoribusq; militia illustres triginta sex. Humeius & Huntleius equos per tumultum nacti, cum postremis cohortibus, quæ ut constabant exigentissimo genere militum, manus non cōseruerant, beneficio imminentis noctis in Scotiā profugerunt. Ad octo milia Scotorū ea die caesa: totidē ferme capta sunt, omnia uerò si-

gna militaria relata: & tormenta maiora uigintiduo: in  
 queis fuisse colubrina septem ingentis magnitudinis, quas  
 Iacobus, à similitudine, septem sorores appellabat. Castra ue  
 rò eodem impetu expugnata, direptaq;. Cadauer regis po  
 stremo die à Dacreo repertum, & Beruicum delatum, ubi  
 diu sepultura caruit: nam ab Anglis, quòd Gallis Schismati  
 cisq; fauisset, sancto funeris sepulchriq; honore, & Christi  
 nis ceremonijs indignus putabatur. Adnotabant pleriq; re  
 petita superiorum regum memoria, Iacobū infœlici potius  
 Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse, quòd pater, auus  
 et proauus eodem potiti regno atq; idem sortiti nomen, an  
 te diem ferro perempti mortem oppetissent. Sed hunc tan  
 quam ad meritam raptum pœnam nemo defleuit, quòd ipso  
 pugnante, pater in aduersa acie ad parricidij notam fue  
 rit interfectus. Eo modo quū ad Tylum quarto Idus Septem  
 bris, anno à Christi natali millesimo quingentesimo tertio  
 decimo ad internitionem Scotiæ nobilitatis pugnatum esset,  
 Surreius speculatoria naui, quanta maximè potuit celeri  
 tate, literas rei foeliciter gestæ, & occisi regis paludamētum  
 multo cruore conspersum Henrico transmisiit. Diuerterat  
 Henricus per eos dies Lillam: ubi capta Taroanna Marga  
 ritam Cæsaris filiam conuenit. Ea etenim illustribus fœmi  
 nis comitata studio uisendi regis, & ut patrem exciperet, è  
 Gandauo illuc usq; gratulabunda processerat. Itaq; præ leti  
 tia perpetui dies edendis spectaculis atq; conuiujs absum  
 pti: decurrereq; nobilissimi Belgarum cum Britannis: om  
 nibus utrinq; cultu uirtuteq; certantibus. Sed Henricus co  
 gnitis rebus, quæ in Britannia gestæ fuerant, in ea rerum  
 fortuna non cunctandū ratus, ad Tornacū exercitū mouit.  
 Ea est ciuitas Neruiorū longè amplissima, & mercatorum

PAULI IOVII HISTOR.

concurſu atq; opibus, celeberrima: quam non multis ante annis ſuo iure uiuentem, Gallorū reges in fidem ditionemq; receperant. Nec Tornacenſes in eo bellorum metu quam haud dubie libertatem amiſiſſent, ſtudendum ſibi nouis rebus, aut quicquam aduerſus Gallos molendum arbitrabantur, quoniam ab his in utraq; temporum fortuna belli & pacis, clementiſſimē ſibi imperitatum exiſtimabant. Igitur ubi Henricus magnitudine caſtrorum urbem circumplexus tormenta admouit, cenſu eorum habito, qui propugnare poſſent, ſupra triginta milia hominum conſcribunt: magnam uim telorum in murum comportant: reſciendis moenibus atq; extruendo intus aggeri plurimum ſtudent: et ſumma alacritate ( ut ſunt ad quaeq; rerum initia ardentiffimi plebis animi ) primos oppugnationis impetus egregie ſuſtentant. Sed quū maioribus tormentis propugnacula deiicerentur, nec poteſtas eſſet conſiſtendi in muro, & uno atq; altero in loco inſtituta interius munitiones continentibus moeniū ruinis nudarentur, coepere tunc primū praſentibus periculis territi, propriae quiſq; ſaluti conſulere, loca deſerere, ab ſignis domum dilabi, ac demum cogitare quod in diſcrimen ſe, liberos, coniuges, atq; omnes urbis fortunas conijcerent, ſi diutius ſine militum praſidio tueri moenia aduerſus tantum exercitum conarētur. Ita Neruij quōdam Belgarum fortiſſimi, nihil memorabile, aut dignum priſca belli gloria in oppugnatione perpeſſi, quum fruſtra Gallorum auxilia expeſtarentur, emiſſis oratoribus qui ſe imperata facturos dicerent, mulſati pecunia deditionem fecerunt. At Heluetij paucis ante diebus quā hęc in Britannia fierent, Heduorum fines hoſtiliter ingreſſi, ab ea quoq; parte Gallis magnū terrorē fecerunt. Namq; Tramulium, qui op-  
portus

portunis in locis ostentata acie uenientibus sese obiecerat, ac se demum tanta multitudini imparem ratus, passim cedendo ac detrectando certamen retrò abierat, in urbem Diuionum compulerant: & prolato oppugnandæ urbis apparatu, circumcessisq; itineribus ad teli iactum ab muro castra posuerant. Erat apud Heluetios Germanorum equitum præfatus Vldericus Virtembergensis regulus: per quem Heluetij rem frumentariam prouisam habebant, explorabant itinera, loca castris anteceperant, & quæ pedestribus copijs usui forent, summa facilitate consequabantur. Is quanto maxime poterat studio inceptæ oppugnationis negotium administrabat: totoq; animo ad celeritatem incitatus in qua spem ipse posuerat, nihil apud suos, nihil apud hostes remissum patiebatur: Quod neque perterritis hostibus, aut confirmandi sese, aut muniendæ urbis spatium dari, neque mora interposita, diffusus Heluetiorum ingenijs, multitudinis frangi impetum, quæ haud facile uno consilio agitur, uolebat. Ita quum latè murorum strage edita, interiora urbis paterent, & per ruinas quæ fossam magna ex parte compleuerant, ad irrumpendum aditus continue pararetur, ipse circumeundo operam atq; maui pulos adhortari gregarios milites, ac docere quantum ad summam uictoriæ pertineret, potiri omnium rerum plena atque opportuna urbe, in qua si paululum adniterentur, & dux belli atque ornatissima ala equitum cum ipsis ciuium fortunis, in premium laboris atque uictoriæ cessura essent. Aduersum ea Tramulius, tametsi usus egregia ciuium uoluntate, & perpetuo labore militum subitarias munitiones erexerat, tormenta & omne genus telorum in murum contulerat, cataphractos pedibus pugnare iussos in prima acie statuerat, Ciues ad omnes quoque casus confirmatis co-

PAULI IOVII HISTOR.

rum animis armauerat, Nihilominus quod dudū rem in Mo-  
 rinis infeliciter gestam esse compluribus nuncijs affereba-  
 tur, nullam sibi iam praelij fortunam expectandam, ratus ten-  
 tare Heluetiorum animos, antequam per se gens effera ca-  
 de atque uulneribus irritaretur, & denique omnibus condi-  
 tionibus pacem petere constituit. Igitur idoneos nactus ho-  
 mines qui unā cum Heluetijs in Italia fuerant, & ex longā  
 militandi consuetudine & mores gentis & ducum studia &  
 ueteranorum etiam uoluntatem apprime nouerāt, impetra-  
 to colloquio emittit. Ii familiares centurionum & eorum  
 presertim pagorum signiferos, quos haud obscure Gallicis  
 rebus fauere compertum habebant, aduent: in primis uete-  
 rem et recentē Gallorū amicitiam cum Heluetijs & antiqua  
 odia Germanorum proponunt: & quā demissē deprecantur,  
 ne finitimum regem in earum fortuna opportunum  
 iniuriæ existiment, ne eum socium amicumq; tam ingratis op-  
 pugnare contendant, qui Heluetios in honore semper habue-  
 rit, & maximis stipendijs & priuatis quoque muneribus li-  
 beralissimē pace belloq; affecerit, & in eam demum rerum  
 amplitudinem et uirtutis existimationem suis auspicijs per-  
 duxerit. Tribuerent aliquid antiquis foederibus, neq; pro le-  
 uibus atq; alienis belli causis, summa beneficia animo depo-  
 nerent. Quod si bellum quā exquisitam pacem malint, &  
 Gallie uires tantopere despiciant, ut belli casus communes  
 esse non existiment, recordarentur, quibus iniurijs, quot cla-  
 dibus illatis, Casarem & Germanos antiquos hestes affece-  
 rint, quo potentia eos euecturi sint, si tum parta uictoria,  
 Burgundiam antiquis imperij finibus adijciāt. Num Casarem  
 uerum & proprium hostem, putent staturum nouis foederi-  
 bus? ac nihil mox ausurum aduersus eam gentem, cuius san-  
 guine

guine Caroli soceri manibus parentare, & ulcisci lethale uulnus ad Basileam acceptum quandoque desideret. Hæc illi publice & ad uulgus militum. Caterum priuatim largitionibus aggressi pagorum primores, ingentia pollicendo, atque omnes ad pacem pertentando aditus, breui plurimum animos expugnarunt, quod neque arduum aut difficile fuit, propter factiones quæ apud Heluetios erant. Nanque sicuti ceterarum quoque gentium mentes, communis unus moribus agitare consuevit, quo se contraria in studia scindant, et si externa desint mala, insanis dissensionibus domi sauiant: ita Heluetios eadem mali tabes inuaserat: namq; asperi montaniq; homines quondam facta coniuratione, quum omnem suam nobilitatem uno prælio crudelissimè delcuisent, pugnaissentq; multis annis pro sola libertate summa eorum cordia uiribus in unum coalescentibus & partium nomen, & diuersa studia dedidicerant. Sed posteaquã secundis bellorum euentibus, apud exteras nationes magni clariq; fuere, crescente superbia simul & auaritia, urbes atq; oppida finitimum occupare, certantibus inter se bello regibus, mercenaria auxilia submittere, contemnere singulos principes, & deniq; illam ueterem egregiamq; maiorum uirtutem & disciplinam, fidemq; uenalia habere cœperunt. Ita uni soli pecuniæ publicæ priuatæq; seruientes, quum multi liberalis opimæq; militiæ apud Gallos actæ, memores inexplebili auiditate totius propè Italiæ pecunijs satisfieri sibi nunimè posse existimarent, secessione facta ab his qui secundum ueterem constantiâ publico consilio agebantur, ad fouendas Gallo- rum partes operam suam transfulerunt. Primi omnium Bernenses, amplitudine ciuitatis & militum numero magnè inter ceteros authoritatis, Lucernenses demum & Friburgenses

PAULI IOVII HISTOR.

ses, ac multi præterea ex alijs Pagis, iam uulgata inter milites pacis mentione, atque ex ea causa intermisso ardore oppugnationis, rem ad consilium deferunt, in quo principes exercitus, tribuni, & primorum ordinum centuriones, præterea scribæ & signiferi sententias dicere, & de summis rebus deliberare consueuerunt. Nec Vldericum adhibent, quod uirum fortem in ea rerum occasione belli audium, & Casaris secutum partes, paci aduersaturum intelligebant. Quare ut ex corruptissimo genere hominum consilium constabat, ita cuncti propè ad Gallum inclinant animos: ac petentibus pacem dandam & reducendas legiones esse censent. Verùm quo honestius commutasse belli consilia uiderentur, & Casarem, ad quem tota facti contumelia recidebat, aliqua ex parte lenirèt, in has conditiones pacem tam Gallo sciubrem, quàm postea sibi calamitosam dixerunt. Ludouicus Gallorum Rex concilium Pisanum quod in Galliam translatum sit, atque omnem sacerdotum controuersiam edictis tollat, in posterum ab Romano pontifice non discedat, neque eius urbes oppidauè attrectet. Eam Burgundiæ partem quam iure consulti statuerint, Carolo Cesaris nepoti restituat, ex arcibus Mediolani & Cremonæ præsidia deducat, Gallia omni Cisalpina in posterum abstineat, milites Heluetios nisi uniuersis oppidorum Magistratus assentiât, mercede ne conducant: Heluetijs pro impensa susceptæ expeditionis quater centena milia aureorum nummum exoluat, intra quindecim dies dimidium eius summæ reliquum intra menses duos: Item Vldericum & decurionibus equitum octo milia pro mercede impendat. Erant superba & periniqua conditiones, Gallorumque animos ex indignitate rerum eò furoris adegerant, ut conscriptas tabellas propè discerperent, quod Alpini  
homines

homines inter solvas armenta & abruptos montes nati, atq; omnium propè humanarum rerum egeni, tãtos sibi spiritus ac tantam denique arrogantiam sumerent, ut circumscribere præpotentem regem, eiq; per ludibrium acerbissimas leges imponere auderent. Sed Tramulius nihil ea pudoris uanitate permotus, quod respicere ad summam belli, atque omni industria presentibus malis occurrere, sani et prudentis imperatoris arbitrabatur concedendum aliquid necessitati atq; periculo, quod haud dubiè omnium salutem traheret, iudicauit. Porro Heluetij, quum iniussu regis nec pacem ullam foedus uerè fieri posse, nec sponsori Tramulio credere tutum esse existimarent, propter necessariam temporis dilationem, quo spatio Ludouicus cõsuleretur, obsides postularunt, qui capite luerent, si citra statutum tempus pacto non staretur, aut rex acta Tramulij minimè rata & firma esse censeret. Itaq; obsidibus acceptis, et ex formula iuraturandi tabulis conditionum obsignatis, castra mouent, & per Sequanorum fines sine maleficio domum reuertuntur. Hæc ubi in Morinos literis et fama perlata sunt, Cæsar & Henricus haud ignari tantum sibi ad conficiendum bellum facultatis & uirium detractum iri, quantum hostibus ex ignominiosa pace terroris atque periculi decessisset, fractis tanta spe animis, ad aliam belli gerendi rationem omnes cogitationes conuerterunt. Sed paulo post Cæsar incærens querensq; secum, quòd in eo genere hominum ampliorem fiduciam potuisset, qui superioribus annis cæterorum etiam principum opinionem sefellissent, eadem celeritate qua uenerat, in ulteriorem Germaniam abscessit. Henricus autem post aliquot dies oppidis propè omnibus Neruiorum in potestatem reductis, quum diu rerum Hispanicarum expectatione frustra



PAULI IOVII HISTOR.

tus, delusus ab Heluetijs, & cunctantibus Gallis iam ex-  
 cta estate, bellum spargere, & ad singulas urbes circumdu-  
 cere exercitus nollet, relictis presidijs ad tutanda quae coepe-  
 rat, Caesiam redijt, primo quoq; tempore ad triumphū Sco-  
 ticum in Britanniam traiecturus. Sed dum milites atq; tor-  
 menta nauibus imponit, & tranquillitatem maris operitur,  
 Gallica classis quae post Odoardum ad Blancasabiam inter-  
 sectum, nihil ea estate memorabile gesserat, e superioribus  
 portibus deducta, ad freti angustias deflexit, eo consilio ut  
 Britannicam classem transportandis militibus occupatam  
 aggrediretur, onerariasq; ad Portesmutum insulam in sta-  
 tione relictas incenderet. Verum tanta subito tēpestas coor-  
 ta est, ut magnis si unquam fluctibus mare illud intumuit,  
 tunc maxime uadosi freti estu, & ualida refluxus mole insa-  
 nierit. Ita Gallicae naues puncto temporis dissipatae, quum  
 aliquas hausisset Oceanus, aliquas littorum scopulis allisif-  
 set, ante portum Humfluorum naufragium fecerunt: aliquae  
 fustis armentis quae cursum tenere nō poterāt, capiendas  
 sese parato hosti praebuerunt. Erant nonnulli mortales qui  
 haec in religionem uerterent, & diuinam esse iram interpre-  
 tarentur, quod scismate sacerdotumq; disidio pollutam esse  
 Galliam existimarent: quanquā ea die quae fuit Idibus Octo-  
 bris, acciderit, ut Luna plena esset, qui dies testimonio C. Cae-  
 saris maritimos aestus maximos in Oceano facere consuevit.  
 At Ludouicus post pudendam pacem, dissimulata palam ea  
 insigni contumelia, quum decepsisse finibus Heluctios, Ferdi-  
 nandumq; regem nihil Henrici generi successibus permo-  
 tum, praecclare induciarum fidem tueri, contentumq; Canta-  
 bria suis se tenere Pyrenaei saltibus, & iam senescere Britan-  
 nicum bellum, instareq; hyemem aduerteret: nudato animo  
con-

condiciones improbare atque reijcere cœpit tanquam summa  
 iniquitatis & insolentiae plenas: ideoq; testari se tam sum-  
 perbe paci nequaquam staturum, quam Tramulius ex arbi-  
 trio cum Heluetijs spondisset. Consiliarij quoque & ma-  
 gna pars togatorum, postquam ex indignitate pactionis re-  
 gem furere criminariq; ultrò Tramulium uiderunt, ex adu-  
 latione & metu potius, quàm quod id ex æquo & iure esse  
 dicerent, ut pacem irritam facerent, poenitentiae & fraudi  
 uanam iuris speciem imponere contendebant, quòd Tramu-  
 lio iniussu regis non licuerit ulla turpi sponsione bellum fi-  
 nire, exemploq; Caudinae pacis quondam cum Samnitibus à  
 Cōsule Posthumio factae, nihil quod Gallos ex pacto, uel reli-  
 gione obligaret, iniussu regis ritè fieri sanciriue potuisse: Nè  
 etiam eodem iure, si Tramulius ex metu, uel sua temeritate  
 spondisset, Regem diadema positurum, uel Luteciam Pa-  
 rissorum antiquissimam regiam deserturum, traditurum ar-  
 ma & uniuersam Galliam Heluetijs uectigalem facturum,  
 ea omnia ex æquo & bono sponsionis pariter seruanda fo-  
 rent? Ex aduerso quoque non deerant, qui hæc uti inana &  
 puerilia detestantes, priuatis sermonibus dicerent, Tramu-  
 lium egregium fortemq; uirum cuncta ordine sapientissi-  
 meq; fecisse, quod in ea rerù desperatione, tot hostibus con-  
 iuratis, hinc & inde prementibus, atq; alijs haud sincera fi-  
 de euentum belli spectantibus, salutis totius Galliae maturè  
 atq; opportunè consulisset: eum esse inter Galliae proceres,  
 qui multis rebus integrè & scèliciter gestis, carpentis uulgi  
 inuidiam uirtute superet. Non ea rectè improbari consilia,  
 quibus cautus Imperator atq; hostium expertus magnis peri-  
 culis occurrendum esse duxerit. Ceterù Heluetij quum se de-  
 ceptos intelligerent, quòd Ludouicus pecuniã non diuina

PAULI IOVII HISTOR.

raret, quam ipsi ante alia deposcebant, manifesteq; appare-  
 ret nihil eum ex eo foedere prestaturum, coacto apud Lucer-  
 nam concilio, iureiurando omnes affirmauerunt, se quam  
 primum per occasionem possent, ultimos deceptorem regem  
 atq; eadem quæ foedere promississet, armis repetituros. Habi-  
 te insuper quaestiones de his qui enixe fouisse Gallorum  
 partes ferebantur. Tortus inter alios Gasser Goldilus fa-  
 ctionis princeps, de aliquibus etiam crudeliter supplicium  
 sumptum: nam uulgus militum & sordidissimi quique pro-  
 cul à militia, claros homines multis fortibus factis, qui ordi-  
 nes apud Gallos duxerant, crimini atque inuidiæ expositos  
 deserebant. In quos ab accensis ira Magistratibus tanto se-  
 uerius animaduvertebatur, quanto omnes eleuare infamiam  
 turpissimi facti, & foederatis principibus satisfacere cupie-  
 bant. Eadem æstate iussu Leonis pontificis, Bernardinus Car-  
 uaiæ & Federicus Sansseuerinas pseudocardinales, quos per  
 interregnum ad Liburni portum captos, & Florentiæ asser-  
 uatos memorauimus, Romam uenerunt. Quibus mox à Leo-  
 ne supplicibus ac ueniam petentibus, antiquus pilei honos  
 restitutus, magna tamen patrū dissensione. Namq; Matthæ-  
 us Sedunensis efficacis ingenij, & acerrimæ uir eloquentiæ,  
 Christophorusq; Eboracensis Gallorum hostes, grauisimis  
 orationibus aduersabantur, quod ad eosdem dignitatis gra-  
 dus, foedo, & in posterum exitiabili exemplo reducerentur,  
 qui miseræ in primis Italiæ, & sacrosancto pontificiæ liber-  
 tatis propugnatori, excitato ubiq; terrarum belli incendio,  
 tot calamitates intulissent. Verum pontifex cuius mite inge-  
 nium facilemq; naturam in specimen cæterarū uirtutū om-  
 nes illo tempore laudabant, clementius agendū sibi aduersus  
 eos quos opera sua captos constabat, existimauit, ut ponti-  
 ficatus

ficatus initia quiete rerum paceq; firmaret, & finem imponeret controuersijs, quas translato Lugdunum concilio turbulenti sacerdotes excitabant. Siquidem fessos, & aduersis successibus fractos, ostentata spe uenire, ad sanitatem redituros apparebat. Nec multo post Ludouicus haud ignarus tantam bellorum molem, qua ipse obrutus quassatusq; uix steterit, ab diuina ira pendere, ut religioni ac pontificie maiestati satisfaceret, perturbatoq; & exhausto regno consulere, adulterinum concilium abrogauit: iussitq; Claudium Massiliensem Episcopum & Solerium legatos suos Lateranensi adherere: illudq; prædammato Pisano, ut sanctum atq; legitimum approbare. Idem fecere Guliermus Macroiuensis, & Renatus Baiocensis: qui & ipsi antea à Iulio gradu pulsî, ad pristinos honores redierunt. Eodem quoq; anno Iulianus Medices Leonis frater ab Senatu populoq; Romano ciuitate donatus est: in cuius gratiam, in area Capitolij temporariū theatrum extractū est omni pietatumque ueritate mirificè cultum. Egere in scena Plauti Penulū decore mirabili, & prisca quidem elegantia Romanæ iuuentutis lepidissimi quiq; uariâq; extra ordinem poemata recitata, florentibus non aliâs sæcundiore sæculo Poëtarum ingenijs. Siquidem pontifex liberalibus disciplinis institutus, ueluti paternam gloriam in eo uirtutis genere superaturus, quum publico elogio literatorum Præsidium inscriberetur, studiosos omnis elegantie, qui inter armorum strepitus non emerferant, iam tum magna spe liberalitatis accenderat.

PAVLI IOVII NOVO  
COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI  
Historiarum sui temporis.

LIBER XII.



**D**UM hæc in Gallia atq; Britan-  
nia gererentur, Cardonius &  
Prosper, qui ut supra memoravi-  
mus, Gallo ab Heluetijs profligato,  
Liuianum e Tombis Patavinum  
um redeuntem subsecuti, in Ve-  
netiam duxerant, Patavinum om-  
nem agrum ac Vicentinum nul-  
lo prohibente populabantur. Enimvero Liuianus & Bale-  
onus ex decreto Senatus partiri inter se copias, & Patavi-  
um atq; Tarvisum presidio tueri iussi, ut imminentem hie-  
mem expectarent, nullam hostibus pagnæ copiam faciebant.  
Emittebatur autem leuis armatura equestris, quæ subitis ex-  
cursionibus hostium pabulatores infestaret, cognoscendisq;  
eorum consilijs, ad castra exercitatione quotidiana progre-  
deretur, neq; id sæpius frustra factum: Nam quum Carualia  
e castris in proximum pagum diuertisset, à Mercurio, qui  
per momenta temporis uestigia hostium obseruabat, captus  
est. Eius equites, inter quos erat Spinosa uir fortis cum duo-  
bus militum præfectis, diu frustra per angustias uiarum col-  
luctati, ut eruptione euaderent, in potestate absq; uulnere  
deuenerunt. Transfugerat paulo ante Mercurius à Cesare ad  
Venetos ex inconstantia animi, an ob iram forte aliquam:  
uel spem liberalioris militiæ, nobis incompertum. Caterum

Car-

Cardonius ostensus magis oppugnationē, quam tale negotiū summa ui tentaturus, productis castris duobus passuū milibus à Patauio confedit, neq; enim propius castranietari licuerat, quoniam Veneti per id tempus, quod uacuum à bello atq; ab hoste otiosum fuerat, Patauium tanquam belli arcem & Venetiarum propugnaculū mirabili studio communiuerant. Suburbanas uillas, hortorum sepes atq; macerias, excisis quoq; opacis arboribus, ne uel umbram quietem qua tegeretur hostis haberet, solo equauerant. Inde foelicis agri uasta planicies circumqua; patefcens, nihil tutum, si in conspectum urbis uenirent, à tormentis, qua; pro turribus disposita fuerant, relinquebat. Obeas difficultates Cardonius & Prosper fossam, per quam tuto copias atq; tormenta ad murum perducerent, facere institutum, ea quidem ratione, ut egesta humus in leuo margine aggerem faceret, atq; altitudine sua commeantes milites ab omni iniuriam iniuria tueretur, ita ex tuto mœnibus appropinquare, uineas agere, & nouis operibus obiectis muralia tormenta subuehere posse confidebant. Verū quum per aliquos dies contracto ex agris magno agricolarum numero, aliquam operis partem perfecissent, & ex urbe expedita cohortes atq; equitum turmae in opus molientes enissee, omnia turbarent: institutum aggeris quod minoribus etiam diebus difficile uidebatur, omissum est. Sed nec postea per otium dies acti: nam utrinq; equites & pedites leuia certamina committebant. Vnum fuit memorabile. Tres Hispani pedites elati animi, Italos ad certamen prouocarunt, nulla quidem priuata simultate: sed ut si essent aliqui Romani indolis in Veneto exercitu, contra progredierentur, & paribus armis pro gloria decertarent. Liuianus, quum ea uox

PAULI IOVII HISTOR.

à militibus alacriter excepta fuisset, multiq; certatim eas partes deposcerent, totidem manipularios experte uirtutis emisit: qui breui uno è tribus Hispanis interfecto, cæteris sauciatis & captis, uictoriam cum plausu & gratulatione militum retulerūt. Iam estas precipitauerat: Cardoniusq; & prosper nequicquam oppugnatione tentata, ad Albaretum prope Athesim castra reduxerant, quū Matheus Gurtensis cardinalis qui tunc Verone præerat, urgere literis ac nuncijs duces cœpit: incusare eorum otium, & palam conqueri, quod exercitū tot auxilijs firmū, paratūq; omnes labores pro Cesare subire, in æstiuis tam diu esse paterentur, nihilq; iam propè exacto autumno, quod ad cōmodum tuendamq; existimationem Caesaris pertineret effecissent. Ducerēt quoquomodo in hostē, et cum excidio hostilis agri Fortunam periclitarentur. Milites quoq; Germani atq; Hispani, apud quos spes prædæ, cædes, uulnera, & uirtutis decus, omni securitate atq; otio cariora ducebantur, turbidis uocibus, uti ad aliquod egregium facinus educerentur, flagitare: uix abstinere à probris: & ducum famam lacerare. Quibus de causis excitatus Cardonius, cōmutandā sibi omnē belli rationē existimauit, uocatisq; in prætorium præfectis: Scio inquit, uiri fortes usuq; militiæ periti, perfidiæ mihi uel ignominie parari contumeliam, si nouum consilium euentu aut asperum aut scelix minime capiamus. Enim uerò patientiam meam uinci patiar: succumbamq; paucorū libidini qui me dicūt ex cōposito bellum alere, et delectari magis Imperio & populationibus, quàm uera laude naturaq; uictoria. Dux sunt in conspectu munitissimæ hostiū urbes Patauium atq; Taruisium, quæ oppugnari capiue nostris uiribus haud facile possunt, quum id Caesar ipse ac paucio

lo post Roseus atq; Palicia multitudine fortissimorum militum, ac mirifico oppugnande urbis apparatu freti, difficilimis etiam Republicæ Venetæ temporibus, cum iactura tentauerint. Superest, postquam finiendum est bellum, ut nostra uirtute atq; ausu, omnibus incommotis atq; omnibus belli calamitatibus hostes, qui congressum uanis artibus deuitant, exagitemus. Neq; hoc erit factu difficile, si transmissio Medoaco, ea oppida quæ ad mare sunt infestis armis adeamus, atq; omnia ferro igneq; populemur. Tunc enim hostes qui per ignauiam inclusi moenibus hibernorû tempus operiuntur, uulturi iniurias, aut in aciem descendunt, saccultatemq; uictorie præbebunt, aut luctuosum regionis excidium prospectantes, nos omni præda onustos & intactos redire patientur. Duces qui in consilio aderant, in utranq; partem disputatione habita, uariè sentiebant. Alij enim quibus feruida ingenia, clatis exercitus uiribus prosperos rerum successus polliceri, consilium Imperatoris qui dignos suo nomine spiritus gereret, laudare: alij contra rerum usu & militari prudentia insignes, intempestiuam Cardonij audaciam non probare, non esse enim eò temere procurrendum, unde uel difficilis receptus foret, uel clades, aut ignominia timerentur. Ipse ante alios Prosper Columna, qui uirtutis militaris inueteratq; prudentiæ fama, quamquam ad Cardonium summa Imperij respiceret, cuncta propè in exercitu administrabat, cunctator natura, et cui belli casus atq; fortuna maximè displicebant, multis rationibus Cardonij consilium improbare, immoderatam eorum fortitudinem, qui temeritatem atq; Fortunam pro disciplina sequerentur, coarguere. Quid si inquit, postquam hostes contemnitis, dum in sinu eorum cuncta ferro flammâq; populanti-



PAULI IOVII HISTOR.

ni, tunc imbres e turbida nube ceciderint, ut anni tēpus et rē  
 gionis natura minantur? Num aliquā aut reditus aut salutis  
 spem habebitis? Num putatis dum inexplicabiles imbribus  
 uis, lubricus & limosus ager, inflatiq; amnes iter expeditū  
 denegabunt, tunc Liuiani ingenium percitū & ferox quie=  
 turum? Non conuolaturā ad excidiū nostrum montanorum  
 agrestium multitudinem, quibus nihil infestius, nihil crude=  
 lius? Num si obsessis itineribus com meatum auertant, &  
 eminus & cominus laceffant agmina, onusti sarcinis, enecti  
 fame, nullo stabili uestigio innixi acie explicabitis? & spem  
 in dextris atq; uirtute ponetis? Ego Cardoni sicuti finē belli  
 atq; uictoriā hoc exercitu incolumi nobis non sero obuen=  
 turam arbitror, ita propositi tui sententiam graui proxi=  
 mam periculo minime laud. rim, quod si id duxeris e cōmo=  
 do Ferdinandi regis & Caesaris, ipse uotis nuncupatis, ut  
 ea res prospere atq; feliciter cedat, lubens uolensq; iter &  
 arma primus arripia. His uerbis Prosper, quanquam iuue=  
 flo discrimine metu aliquorum animos perculisset, uidere=  
 turq; is ardor, ut ex uultu apperebat, aliqua ex parte refri=  
 xisse, nihilominus Cardonius in sententia ut proficiscendum  
 esset perseuerare: nihilq; dictis Prosperi cōmoueri, urgen=  
 te maxime Piscario, qui quū pedestribus copijs præesset,  
 agendo pugnandoq; laudem querebat. Igitur postquam de  
 profectioe decretum fuit, pronounciari iubet, ut milites  
 scorta, quæ in uarios usus Germani, Hispani uerò ad libidi=  
 nem trahere consueuerūt, inutilesq; ministros dimittant, sar=  
 cinas & impedimenta relinquāt, nihil præter arma parent.  
 Hec omnia, simul & inuvalidos uel parum idoneos milites  
 Veronam remittit. Postero die lustrato exercitu cognoscit  
 hanc esse summam copiarum: Hispanorum tricenarias co=  
 hortas

hortes quindecim Germanorum septem, quarum singulae quingentis serè militibus constabāt, ueteranus uterq; miles, & recēti uirtutis gloria insignis, utpote qui nuper ad Rhauennam inter se fortissimè dimicarant. Hispanis Piscarius: Germanis Iacobus Landaus praerant, septingenti item equites cataphracti ex uetere militia Ferdinādi Regis, Centum quoq; & quinquaginta Germani sub Riciano, & Celembergo Caesaris ducibus: atq; item leuis armatura expedita manus, quam Succarus Heduus ductabat. Ex Pōtificio uerò exercitu (nā Leo sauerē Casari ex Iulij Pōtificis sedere tenebatur) Troilus Sabellus, Mutius Columna, & Virsinus Mognanius, hic leuis armaturæ equitum alam unā, illi autem cataphractorū duas adduxerant. Sexcenti etiā Hispanici generis equites, in quibus pleriq; sagittarij sub Petro Castrio censebantur. His copijs optimè instructis, Cardonius duodecim falconos aneos praesidij causa adiungit, & ab Albaretto ad Bouolentam castra mouet. Id oppidum opulentum & frequens, primo in cursu occupat ac diripit. Inde ad Medoacum progressus incerto profundoq; alueo decurrentem, cymbis ac lintribus, quas carris aduexerat, inter se connexis, continuò superat, atq; in sinum fertilissimæ regionis cuncta belli clade euastans desertur. Hinc Plebis Sacci celebre oppidum euertitur, capti incole, direptæ domus, abacta armenta, & iniectæ demū adibus faces: mox quum furens barbarus in ipsas suburbani littoris delicias peruenisset, infelices passim uillas, & superba prætoria, quæ regio sumptu lōga in pace ac florentibus Reipublicæ tēporibus, Veneti primates extruxerant, maiore quàm unquam inuidia in Italia debacchatum fuerit, miserabili incendio absumpsit. Troilus quoq; qui triennio ante à Veneti, discessit

PAULI IOVII HISTOR.

rat, cum equitibus suis & cohorte una progressus ad Lice-  
 fucinam uicum, ubi naues uersatili machina e Medoaco in  
 Hadriaticū traducuntur, omnia metu cōplet ac in prædam  
 uertit. Deseruerant edificia accola: & cum armentis metu  
 territi Medoacum transierant, religatisq; in ulteriore ripa  
 omnibus nauigijs, ne illis potitus hostis ad transitum uetere  
 tur, sagittis eminus sese ac ripam tuebantur. Troilus contrā  
 dispositis sclopettarijs eos territat, atq; e ripa depellit: mox  
 militem adnatare & retrahere scapham iubet. Quæ uesti-  
 gio retracta scandentibus plurimis, ceteræ naues ab ulteri-  
 ore ripa soluuntur ac traducuntur: confestimq; earum be-  
 neficio flumen traicitur. Agrestes etsi multitudini suæ, &  
 sagittis quas ligneis arcubus emittunt, multū confidebant,  
 quum militum impetum sustinere non possent, in proximas  
 paludes confugerunt. Hoc confecto negotio Troilus ex pri-  
 uato quoq; odio hospitalibus, diuersorijs, ceterisq; edificijs  
 incensis, in castra reuertitur. Eodem quoq; tempore Muti-  
 us cum ala equitum & ualida Germanorum manu, Mestri-  
 um frequentissimum oppidum contendit, suscipitq; in itinere  
 paucis hostium equitibus, quum coniectos in fugam conti-  
 nuò sequeretur, eodem cursu immixtus Venetis, portam ir-  
 rumpit, uiribusq; superior, desertum à Mestrinis, oppidum  
 occupat: arcēq; pari fortuna temere munitā interfectis de-  
 fensoribus capit, ac statim scruentibus Germanis in discessu  
 oppidum incenditur. At Cardonius et Prossper interea cum  
 tota mole exercitus circumiectum agrum eximia fertilitatis  
 effuse populati, ad Margariam maritimum uicū castrame-  
 tantur: indeq; breuissimo maris interiectu prospicientes ho-  
 stium sedem, tormenta per aggerem in proximum littus  
 deduci, & in contumeliam superba atq; opulentissimæ ciui-  
 tatis

etatis displodi iubent. Ea res non aliâs maiore metu attonita  
 ciuitate, non tam sclopis boatuq; horrifono plebis femina=  
 rûq; aures perculit, quàm cōscriptos patres atq; ipsos Magi  
 stratus in aduersis semper intrepidus, incredibili mœrore af=  
 fecit. Eumabāt procul grassantibus incēdijs uillæ, uici, castel=  
 la, oppida: neq; aliud quàm tantulū maris spatium, similem ur=  
 bis calamitatē morari uidebatur. Erant qui ē sacris turribus,  
 et speculis, cognito tractus ac littoris situ, propriarū uilla=  
 rū flammās agnoscerēt, et cadentes domos frustra lachrymis  
 prosequerētur. In tanta calamitate, quū omniū animis ad ul=  
 ciscendum arderēt, Liuianus propē insaniens, per literas ac  
 nuncios singulis horarū momētis ab Senatu petere, ne se diu=  
 tius in otio clausum teneri, ne tot ac tantas iniurias cū igno=  
 minia ē mœnibus contemplari ac deflere absq; ullo uindictæ  
 solatio paterentur: habere se iustum exercitum duratū in ar=  
 mis, ardentem pugna studio, uindictæ cupidine uehementer  
 incitatum, quo demorari hostes impeditos prædæ onere, tran=  
 situ fluminis prohibere, ac concidere facile possit, si sibi ius im=  
 perij pugnandiq; potestas libera relinquatur. Ergo summo  
 omnium studio ab Senatu Liuiano rescribitur, exercitū sub  
 signis educat: cū Baleono iunctis uiribus una castra faciat, et  
 si id ē commodo Reipub. duxerit, quàm primum nactus et lo=  
 ci et temporis opportunitatē, cum hoste configat. Decreto  
 Senatus accepto, Liuianus parat sacra publico ac patenti in  
 loco. Quibus peractis, apud milites cōcionatus, exploratam,  
 inquit, certamq; uictoriā hodie non habere de barbaris im=  
 manissimisq; latronibus, qui tot calamitatibus illatis, onusti  
 præda simili quoq; temeritate effugere imminentē cladem, et  
 pacato itinere redire posse confidūt: nisi uos illi ydem essetis,  
 qui tot effris nationibus ad excidium Veneti nominis con=

PAULI IOVII HISTOR.

spirantibus, quod reliquū superest Italicæ uirtutis decus pet  
 tot casus atq; pericula constantissimè conseruastis. Enimuerò  
 quum uos considero milites, atq; hostiū conditionem intue  
 or magna me spes uictoriæ tenet: ab longa siquidem quiete  
 recentium uirium robore præstantes, magno atq; exercitato  
 equitatu, tormentorum omniumq; rerum apparatu ac co  
 pia, quæ desiderari in negotio possunt instructi, cum his ho  
 stibus pugnaturi estis, qui præda graues, confecti propè me  
 dia, numero pauci et linguarum uarietate dissoniles, uix pri  
 mum nostrorum impetum sustinebunt, quum maximè nobis  
 obstātibus, experiri altitudinem fluminis, in ripa consistere,  
 pugnareq; oportebit. Neq; hostium duces in dubijs & re  
 pentinis pugnae casibus, unò consensu eadem consilia captu  
 ros arbitrentini, quibus diuersa omnino ingenta & uarios  
 animi impetus dissimili linguæ morumq; commercio aliud  
 atq; aliud cœlum indiderit. An dum hic pandi aciem, ille  
 densari, & sisti agmen, inferriue signa uno tempore mixto  
 Imperio uidebunt, tunc Germanus Hispanum, & utrumq;  
 Italus audiet, uel iuuabit? Vicinus profectò milites, uicti  
 mus nisi Diis, qui satis superq; hætenus huic Reipublicæ irra  
 ti infestiq; fuere, tantorum scelerum ultores adesse nolue  
 rint. Hec quum dixisset, acclamantibus præfectis, atq; uni  
 uersa concione, ut signum profectionis daret, magna spe &  
 letitia omnium copias eduxit: & ad Medoacum ubi hostes  
 transituros existimabat, contendit. Inde Baleonum à Tarui  
 sio, & ceteros milites qui in præsidijs erant, ad signa ueni  
 re: Paulumq; Manfronum ad contrahendam agrestium mul  
 titudinem in saltuosa, & montana loca proficisci iubet.  
 Habebant tunc castra Hispani ad Campum sancti Petri,  
 quum nunciatum est Liuianum cum uniuersis copijs ul

tra Medoacū confedisse: ibiq; prælij et uindictæ audidum quominus flumen transeatur armis prohibitorium esse. Ea res uasitati finem fecit, quoniam suspensis omnium animis, audacissimi etiam quicq; militum, non quàm latè, aut crudeliter uexandi incolæ, exurendisue amcenissimus ager forent, sed quo modo prædam referre, & uitam tueri oporteret, cogitabant. Igitur Cardonius coacta præda, ut antequàm Liuidius uniuersas uires contraheret, ipse superato flumine in pacata loca reuerteretur, ad Medoacum ubi in ulteriore ripa hostes constituerant, peruenit. Eo in loco aliter atq; ipse putauerat, quum difficilia aduersaq; omnia reperisset, paratos scilicet in armis hostes, ripam magno tormentorum numero communitam, ducem ferocem promptumq; ad omne belli facinus obeundum, cœpit animo agitare quo detrimento militum, et quanto totius summæ rei periculo, si in ea parte uadum fluminis tentaretur, uniuersus exercitus traducendus esset: ac demum accire Prosperum atq; Piscarium, cæterosq; duces consulere, quoniam de salute omnium agebatur. Visum est peritioribus superiora uada fluminis esse percœtanda: noctuq; eo progrediendum, ac ignaris hostibus è uestigio transeundum. Missi exploratores renunciauere posse facile superari anem, si supra ad sextum miliare equioribus ripis coërcitum ac placidè decurrentem peterent. Ergo Cardonius de secunda uigilia castra mouet: relinquit ignes, atq; omnem leuem armaturam equestrem, quæ speciem præsentis exercitus faceret, atq; hostes distineret. His demum impetrat, ut exoriente Sole plures in ripa fluminis obuersionatur, ac simulato transitu alueum tentent, cæterum globofacto castra subsequantur. Vixdum certa luce ad locum peruentum est, quum extemplo primi agminis duces flu-

PAULI IOVII HISTOR.

men ingressi, omnem simul equitatū in aduersam ripam educunt. Hispanorum quoq; phalanx eodem tēpore infra equites, qui impetum fluminis refringebāt, consertis stipatisq; ordinibus non formidauit altitudinem profluentis. Namq; sicuti incertis passim uadis transibant, accidebat ut aliqui pectoribus tenus mergerentur, aliqui uerò capite solo extarent. Erant magnum ad superandā uim fluminis incitamentū, ipse ante omnes Piscarius pedes cohortando significos, flumē intrans: & cum eo ornatissimi primorum ordinum centuriones, qui ducis exemplo ex equis descenderant, et ante alios in annem se coniecerant, ut manipularibus suis & quarentur. Hispanos, Germani, et mox Cardonius & Propper cum alijs copijs subsecuti sunt, ac demum leuis armaturæ equites, qui ex composito ludificati hostem, ut imperatum fuerat, consequebantur, fluuium transmiserunt. Occurrere satis in tempore transcuntibus Epirotæ antecursores. Nam Liuianus suspicatus quod erat intempesta nocte, hostes inde mouisse, expeditam equitum manum speculatum præmiserat: ipseq; in albescente coclo, cognito hostium discessu, fuerat infecutus. Verū quū hostes paratos ad dimicandū in acie repperisset, leui certamine ad aquā factō, prælio abstinuit: siue quod Baileonum accitum è Taruisio expectandum esse censebat: siue quod ad iniquam pugnandi conditionem perducendos prius hostes esse, quàm manus consereret, arbitrabatur. Ita à superiore cōsilio depulsus Liuianus, alia ratione hostib. iter præclusurus Vicentiam contendit: Nam euastata urbs illius futura erat, qui prius incustoditam neglectamq; occupasset. Erat locus in uia publica, secundo ab urbe lapide, prope pagum, cui Vlmo nomē est, satis idoneus, si uel mediocriter operibus muniretur, ad prohibendos transitu hostes: quoniam nulla  
commo-

commodior uia, qua eos redire necesse erat, Veronam ferē-  
 batur. Hunc locum Liuianus aggere propē extracto ac per-  
 ducta fossa, ut uie spacium concideretur, adductis tormentis  
 egregie communit, ac opportunē cum Baleono, qui dudum  
 uenerat, citra loci angustias castrametatur, letus admodum  
 quod hostes aut ex iniquissimo loco, siui euadere tentarent,  
 pugnatueros, aut si absterriti aliò iter flecterēt, ad extremam  
 commetatus inopiam, & mox in deditionem peruenturos es-  
 se iudicabat. Interea Cardonius eo consilio ut rectā Veronam  
 contenderet, cum omnibus copijs ad Ulmum processit, ubi  
 quum concisa itinera, occursumq; hostium occupatas uia &  
 collium fauces cognouit, quoniam diei parum supererat, &  
 fessus itinere miles erat, quingentis passibus ab Liuiano ca-  
 stra ponere coactus est maximo suorum cum labore: nam le-  
 gentes locum figentesq; tentoria, directis tormentis Veneti,  
 metu, cæde, incommodisq; turbabant. Fuere Hispanorum ca-  
 stra quandiu ab luce diei permissum est, pauoris atq; pericu-  
 li plena, quum nihil tutum à tormentis relinqueretur. Tanta  
 erat pilarum uis quæ frontem lateraq; feriebant, ut integri  
 peditum ordines, extensis humi pectoribus procumbere,  
 equites post dumeta atq; arborum stipites occultere sese, aut  
 depressiora loca queritare cogentur. Sed nox insequens  
 crescente metu durior atq; turbidior fuit, quoniam Baleo-  
 num castra castris iūxisse & magnū numerū agrestiu à ter-  
 go instare, & quæq; uiarum plana, perductis passim fossis,  
 atq; aggestis cespitibus, interrupisse cognouerant. Quibus  
 de causis fiebat, ut quum à fronte obstante Liuiano per-  
 pere in patentem uiam non possent, consternatis metu om-  
 nium animis, nulla solita alacritas, nulla spes nullaq; pristina  
 uirtus in moesto exercitu uiseretur. Iamq; apparebat Prospe



## PAULI IOVII HISTOR.

rum, qui temeritatem susceptæ expeditionis damnauerat, uadæ  
 tem futurum, si effusior imber (quod solum ad extremam ca-  
 lamitatem deerat) superueniret. Ad hæc incommoda biduo  
 antè absumpta omni re frumentaria, solis abactæ prædæ car-  
 nibus fatigatus exercitus. Ita excitatis ignibus, quantum nec  
 satis esset ad torrendos boues quos ab aratris abduxerant,  
 fessi attonitiq; lucem simul atq; euentum incertæ salutis ope-  
 riabantur. Interim dum instratis equis, induti arma in som-  
 nes totam noctem agunt, præfecti alarum ac primores ordi-  
 num ad prætorium Cardonij frequentes adesse, de summa  
 tanti discriminis consultare, per uices circuire exercitum, mi-  
 lites bono animo esse iubere, nihilq; quod metum alijs aug-  
 ret, præferre. Inter alios Prosper discurrendo legiones &  
 equites allocutus, cunctos certa spe fiduciaq; cõplebat. Tan-  
 ta erat eius uiri opinio, ut in summa etiam rerum difficulta-  
 te, eo duce nihil aduersi cõtingere sibi milites posse timerent.  
 His rerum angustijs dum premerentur, disputatione habitis,  
 eo omnium sententiæ inclinarent, ut retrocedendum, ac  
 mox detrorsum qua uia Bassianum ducit, iter flectendum  
 esset: eo quidem consilio, ut discedentes, Liniatum, quem na-  
 tura pugnacem atq; insigne aliquod facinus acri animo uo-  
 lutantem agnoscebãt, ex munitissimo loco in æquam plani-  
 tiam attraherent: atq; ibi uti antea deposcissent animo con-  
 firmati confererët manus, aut si hostis pugna persecutioneq;  
 abstineret, iuxta Tridentinos montes circuitu captõ, atq;  
 euitata Vicentia, Veronam incolumes reuerterentur. Igitur  
 Cardonius paulo antè quàm dilucesceret, uasa colligi & sine  
 tumultu signum profectionis militibus dari iubet. Sed dum  
 præmissis impedimētis, Prosperum, qui ex instituto primum  
 agmen ductare consuesset, ad capiendũ extendendumq; iter  
 horta-

hortaretur, suborta est grauis & decora contentio inter eos  
 de ordine acierum: quæ (ut mihi uidetur) pro disciplina in  
 reliquum tempus documento esse possit, negante scilicet Pro-  
 spero se antecessurum, quando sibi turæ postrema acies cer-  
 to iure conuertendæ in hostem frontis, insigniq; ineundæ pu-  
 gnæ prerogatiua deberetur. Disserebat enim acriter Roma-  
 no more, decus suū tueri solitus, ex lege militari nequaquam  
 eam esse primam aciem, quæ in itinere incedenteq; toto ex-  
 ercitu ceteras omnes anteiret, sed eam omnino uocari pri-  
 mam, quæ opinione uirtutis firmissima, graui iudicio insti-  
 tutoq; uel à fronte, uel à tergo occurrenti hosti opponenda  
 censeretur. Id quum præfecti ueteres approbarent, Cardo-  
 nius pro suo ingenio altercanti facile cessit: adeoq; expedite  
 pregressus est, ut Alarco uir falsus, & cautè mordax, impe-  
 ratorem rectè probeq; facere diceret, quod absq; alienæ lau-  
 dis obtreccatione, ut instantis pugnæ periculo honestè sub-  
 duceretur, legibus parere didicisset. Ex euentu enim prælij  
 ad Rhauennam, unde intactus euaserat, non magnopere pu-  
 gnax, sed cautus habebatur. At Liuianus qui statim ab au-  
 rora regressum hostium, iterue, & eorū ordinem, quòd ne-  
 bula densior orta ex humore telluris intexerat campos, cla-  
 rè prospicere nequiuerat, ut primum comperit discedere ho-  
 stes quanquam animus aliàs more impatiens, nequaquam  
 arderet cupiditate pugnandi, increpante segnitiem atque  
 imperante Lauredano legato, tanquam incompociti ac pla-  
 ne fugientes è manibus elaberentur, signa canere & duce  
 Antiniola procurrere expeditos equites iubet. Verùm con-  
 uersus ad Hugonem Pepulum, Guidonemq; Rangonum  
 periclitemur, inquit, uel temere, sed generosè tamen præ-  
 lij fortunam, postquam immodica uis Imperij rationem

PAULI IOVII HISTOR.

uincit, ne si hodie cautus & cunctator esse nelim, paulo post ignauie aut perfidie accusatus in Senatu pregrauante inuidia, funesto Carmagnole exemplo, aduersis ac malignis imperitorum suffragijs concidam. Hec ab his, qui aderant didicimus. Via erat ut supra memorauimus per angusta in faucibus collium, per quam Venetus extenuatis ordinibus transire cogebatur, inde latior campus quo Hispani insederant, circumquaque mollibus tumultis conclusus in medio patebat. Illuc usq; euectus Liuianus, premissa primo leui armatura equestri, cum tribus falconibus, quæ postremum abeuntium agmen carperet, ac demoraretur, omnes copias ac tormenta superatis angustijs in planiciem eduxit. Iam equestre prælium, quod primò segniter fuerat in initum, dispersis statim falconibus exardebat, quum Germani equites globo facto procurstantes Venetos propellant, coniectosq; in fugam deserere falcones cogunt. Cõspicatus hoc uixdum instructa acie Liuianus, nulla interposita dubitatione, quòd res in celeritate posita uidebatur, ne primi refugientes, alios iniecta trepidatione turbarent, pugne signũ proponit, Baleonum, quem dextro cornu præfecerat, laxiore circuitu in latus apertum irruere: Antonium Pium ab leuo arctius aduersus hostium pedites consistere, & circumfundere uelutum alas iubet. Ipse mediam aciem ex flore, & robore militum densatam in qua Sacramorus, Guido Rangonus & Hermes Bentiuolus curabant, in medios hostes inducit. Re cognita Cardonius, & Prosper qui quadrato agmine incedebant, ut si qua imponeretur dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subirent, primi agminis præfectis significant, ut quum primum hostium pedites in proximo conspexerint, prælium committere non dubitent. Interim e me-

dia

dia acie Veneta cataphracti equites, Germanos quos cepta  
 uictoriae spes ardentius prouehabat, adorti, primo impulsu  
 repellunt, stratis uulneratisq; Ricciano & Celembergo  
 Succaroq; eorum ducibus, fusos ad signa usq; sequuntur.  
 Troilus, qui in ea parte iuxta uiam publicam ante uexilla  
 turmarum constiterat, animaduerso periculo laxari aperi-  
 riq; paulum ordines, ac liberum spacium fugientibus dari,  
 ne turbati ac trepidantes integram certanq; aciem misce-  
 rent, eosq; ut transibant ne quicquam morari, sed continuo  
 in postremum agmen refugere iubet. Denuum ipse & Muti-  
 us, & Alarco, quum uniuersa pugna, quam omnibus arti-  
 bus petebant, occasionem adesse cernerent, signa inferunt,  
 & si unquam alias magno ardore procursum fuit, in prou-  
 entes hostes incurrunt. Erat utraq; acies numero & uirtu-  
 te equitum propè par. Quingenti enim fermè utrinq; ex  
 Italia ueterani, singulari decoris studio atrocissimam pu-  
 gnã edebant. Iamq; Liuianus huc & illuc uolitans, testatus  
 illam diem illam aciem fore & laborũ finem & premiorum  
 initium tanta uincendi spe suorũ animos accenderat, ut non  
 nulli per confertissimos acerrimè depugnando ad uexilla  
 usq; penetrauerint, conatiq; ea abripere, quũ fortiter resiste-  
 retur, discerpsent, & Ebrardũ Corneliũ Mutianæ ale signi-  
 ferum egregie uirtutis senem, cum filio impigro iuuenem in-  
 terfecerint. Verum integra spe atq; integro utrinq; metu,  
 dum equites in fronte concurrunt, Prosper concionabun-  
 dus singulos ordines præteruetus, hinc Piscarium cum Hi-  
 spanis, illinc Landaum cum Germanis peditibus pari acie  
 ac passu inferre gradũ, ac peruadere in medias hostiũ cohor-  
 tes iubet. Eorum tantus fuit suo pondere incombentium im-  
 petus, ut cohortes Baboni Breschelli, quas eximia uirtutis

'PAVLI IOVII HISTOR.'

opinione Liuianus primas hosti obiecerat, uix tentato certamine, penè priusquam hostè uiderent, terga uerterint. Tunc media acies equestris, ab latere uno pedite nudata, impelli primo ac urgeri acrius, mox cum cæde conuertri in fugam coepit, neq; cadentibus primis, quanquã pugnacissimi quiq; equitū impressiõnem hostiū sustinere conarentur, semel turbata impulsaq; acies reparari retineriue potuit. Ita occisis qui resistebant, strata sunt uexilla, ac in primis insigne Liuiani, quod ad extremum moriens M. Antonius Montanus diu seruauerat. Eodem impetu, Sacramorus & Hermes ab equis deturbati, occursu Germanorū obtruncantur. Piscarius Othonem Sacramori fratrem uel priuatè sibi inimicum generosè conseruauit. Ab sinistro autem cornu Antoniani milites, ut mediam acie, in qua uictoriæ ratio, et prælij moles futura esse uidebantur, cæsam prosligatamq; sensere, abiectis foedè armis terga dederunt. Idem pari ignauia ac fato Baleonij fecere: Nam Paulus quum haud satis in tempore ob palustre ac limosum solum, in quod circueundo hostes forte inciderat, dextrum cornu circumtulisset, Liuianusq; aliter ac ipse putauerat, celerius pugnam iniisset, factum est ut conspecta aliorum cæde ac fuga, diffisi uiribus suis integri intactiq; diffugerent. In fronte tamen quanquam pavor & fuga omnium occupauerat animos, complures egregij cohortium præfecti, pro tuenda dignitate anteaactæ militiæ, dum fugientes prehensant, dum ordines ac locum seruare conantur, atq; impigrè hostes feriunt, deserti ab suis & à multitudine hostium circūuenti, interficiuntur. In his fuere paulo clarioris nominis, Ioannes Bernādinus, Aleccius Salentinus Ioannes Baptista Doctus è Patauio, Seraphinus Gallia Vmber, Alfonsius Mutus Pisanus, Philippus Carsoleius & An-  
nibal

nabal Simonus è Bononia qui primos ordines ducebāt. Paulus autē amissis Troiano atq; Hieronymo spurijis satribus, ac dispalato omni suo equitatu, rebus desperatis aufugiens in palustrem delatus campum, ab Hispanis equitibus capitur. Liuianus interea quanquā à suis & à Fortuna deseruatur, diu fuga increpita redintegrare prælium conatus, ad extremum fractus animo ac uiribus è pugna se proripuit, superatoq; cum maximo discrimine Eretano anse, Deos incusans, Patauium contendit. Ceteri Duces ferme omnes in fuga capti aut à Germanis qui nemini pepercere, interfecti sunt. Multos hausit & in primis Antonium Pium, Bachilio annis qui è Vicentinis iugis defluens, celeri cursu atq; impeditis ubiq; ripis apud Patauium Medoaco miscetur. Nam ut ad ripam seessi trepidantesq; perueniebāt, aut inter cunstationem tentandi fluminis, aut gurgitibus absumebatur, oppressi ab hoste uarijs casibus interibant. Germani quoq; et Hispani solutis ordinibus sectati hostes quos præcurrentes equites strauerant, aut turba fugientium cumuliq; armorum passim inuenti tardauerāt, interfecere. Andreas Lauredanus legatus, uir indignus ea calamitate, nisi infaustus fuisse pugnae author extitisset, dum captus extra pugnam inmensè à quodā lixa ingulatus est. Andreas uerò Gritus Vicentiam se recepit, ægreq; quoniā à principio fugæ cataractæ portæ demisse fuerat: seruatur. Ea res multis exitiū peperit: nā spe deiectionis ingrediendæ Vicentiæ retrocedentes hostibus occurrerāt. Ab his occisi alarum præfecti Carolus Montonius, Fræsciscus Saxatellus. Constantius Pius Antonij filius, Meleager Foroliuiensis: præfecti uerò cohortium ac centuriones supra uiginti sex. Multi ab Italis & Hispanis con-

PAULI IOVII HISTOR.

seruati sunt, sed ij quos Fortuna passim Germanis obiecit,  
interiere. Caduriana enim cladis memores, ut propinquos  
& cōmilitones ulciscerentur, nemine se parsuros solenni sa-  
cramento iurauerāt. Cæsa ea die, quæ fuit Nonis Octobris  
è Veneto exercitu supra quinque milia: & in his, quod nul-  
lo antea prælio acciderat, quadringenti equites, cataphracti.  
Tormenta quoq; currulia XXIII. cum omnibus signis  
militaribus capta, è uictoribus pauci desiderati. Agrestes  
uerò qui circumiectis collibus occupatis, expectantes prælij  
euentum, eminus quatiiebāt arma, ac truci ululatu exitium  
hostibus minabantur, ut Venetos suos uiderunt, antequam  
Castris cum equitibus in colliū summa peruaderet, in pro-  
ximas ac continentes syluas confugerunt. At Venetis acce-  
pta cladis fama omnium mentes perculit, quod Republi-  
cam, quam iam pridē attenuatis uiribus infirmā affectantq;  
intelligebant, difficulter atq; ægre reparaturam equitatum  
constabat. Meminerant enim ad Agnadellum peditatu occi-  
dione occiso, integras tamen equitum alas superfuisse, qui-  
bus haud dubiè quartum iam annū bellicosissimarum natio-  
num impetus sustinuisent. Sed hic publicus moeror nequa-  
quam tamē à belli cura patres auertit. Decreuere enim con-  
scribendas esse urbanas cohortes, quæ cōtinuò præsidij cau-  
sa Patauium atq; Taruisium mitterentur. Nec mora, nobi-  
lissimi Venetæ iuuentutis, sicuti censu, & seruandæ patriæ  
studio inter se certabāt, armatis clientibus singulos manipu-  
los ad defensionē earum urbiū adduxerūt. Ea manus quan-  
tum tumultuarium ac deforme auxilium erat, Liuiano ta-  
men & Gritto (hic enim Taruisij, ille Pantauij inæciles ex-  
ercitus reliquias colligabāt) defendendorū mœniū spem fe-  
cit. Verū Cardionius, etsi hoste propè deleto conficiendi bel-  
li

li occasione sibi dari existimabat, si continuo ad oppugnandam alteram urbium uictorem exercitum duceret, paulò post tamen quòd per anni tempus impediabatur, ac omnia indies in negotio difficiliora fore animaduvertebat, hyematurus circa Vicentiam, in hyberna deduxit exercitum. Per eos dies de permutatione Baleoni & Caruaialis in Senatu actum: dimissusq; à Cardonio Baleonus Venetias contendit, eo pacto, ut Caruaialem, qui in custodia Venetijs erat, liberum in castra perduceret, aut si id ab Senatu impetrari non posset, ipse bona fide reuerteretur. Itaq; Baleonus fauentibus suffragijs rem facile pro meritis impetrat: & Caruaialē transmissurus, eum ad Cardonium Patauium perducit. Sed dum paratur comites expectaturq; Hispanus caduceator, Gursensis Cardinalis, quo minus permutatio transigeretur, intercessit, testatus id è commodo Cesaris minime fieri, quòd Baleonus apud hostes multo maiori usui momentoq; in tanta ducum orbitate, quàm apud suos Caruaial futurus esse uideretur. Ad hæc Baleonus, quando non Cesaris sed Cardonij captiuus esset, ex fide & pacto se liberum dicere, testari demum si Caruaial quem offerebat minimè reciperetur, se lege solutum nequaquam in castra rediturum. Sed dum inter has iuris contentiones tempus absumitur, Caruaial quum se postponi Baleoni minimè pateretur, neq; eam dignitatis contumeliam elato ingenio ferret, in supremam ualitudinem incidit, moxq; ex ira indignationeq; exestuans, iam antea senio & carcere confectus, interiit. Baleonus uerò à Leone Pontifice literis adscitus, nequaquam finita controuersia Romam se contulit. Sub idem tempus ad radices Alpium qua iter in Heluetios, supra Bellizonam, præ altus mons terræ motu concussus ingenti fragore edito



PAULI IOVII HISTOR.

corrui: totaq; ea conuulsarum rupium moles in Leuam prolapsa fauces conuallis per quam Brennio amnis decurrens Ticino miscebatur, obstruxit. Quo casu stagnare annis, & nequaquam tanta obice ui undarum prærupto ualidis spacium implere coactus est. Vnde mox in centum ferè stadiorum magnitudinem lacus excrescens, accolarum ædificia ac prædia, antequam annus circūageretur, oppressit. Contraria autem ratione Ticinus desertus ab socio amne, ac nihil alienis uiribus auctus, qui paulo antè Bellixone ponte lapideo & ratibus iungebatur, quum suas tantum undas traheret, humilis in Verbanum effugit. Ea tamen aquarum uis post uigesimū mensem, ut in processu operis memorabimus, cum uastitate pulcherrimi tractus, & miserabili multorum mortalium interitu, effracta mole prolapsi montis erupit. Adulta uerò iam hyeme Mediolanensis arcis custodes ad extremam cōmeatus inopiam perducti, quum nec spes tolerandæ ulterius famis ulla iam esset, & clare intelligerent Gallorum auxilia frustra expectari, quod Alpibus niue geluq; rigentibus, nihil iusta expeditione Ludouicū regem moturum constabat, in has conditiones arcem dederunt. Vt si intra trigesimū diem Ludouicus opem non tulisset, ipsi continuo arcem relinqueret. Interim datis obsidibus, quotidianis cibarijs iuuarentur, potestasq; esset emittendi eos præfidiarios quos ualitudo tentasset. Ita multi semianimes ut erant squallida fame, & grauitate uitioq; æris propè enecti, in hospitaes domos, ubi ingenuis ac miseris publica liberalitate alimenta dantur, educti, ac medelis refoti fuerunt. At quū statuta die nihil omnino è Gallia quod ad negotiū pertineret, afferretur, Louanius relicto omni tormentorū apparatu, arce excessit decimo quarto anno ex quo ea Gallus potitus

titus fuerat. Nec multo post pari necessitate compulsus ar-  
 cis Cremonensis custos Binnonus, similes inducias pepigit,  
 atq; arcem tradidit. Galli uero ad Alpes dimissi, comitante  
 ala equitum, ne qua transeuntibus iniuria inferretur, incolae  
 in Galliam abierunt. Ob eas res trium dierum supplica-  
 tiones decretae, quod tunc primum firmato Imperio Maxi-  
 milianus rerum Mediolanensium potiri uidebatur. Post cla-  
 dem ad Vicentian, legati & ducis temeritate acceptam, ad  
 Maranum Foroiulij oppidum res quoq; infeliciter a Vene-  
 tis gesta. Occupauerant paulo ante Maranum Germani sa-  
 cerdote quodam prodente, qui postea captus & in frustra  
 dissectus, perfidiae poenas dedit. Id oppidum in intimo sinu  
 ad Aquileiensem paludes positum, quod natura loci alen-  
 do bello ualde opportunum uidebatur, Veneti transmissis eo  
 cum copijs Paulo Manfrono & Balthasare Scipione, terra  
 mariq; haud segniter oppugnabant. Id quum Christopho-  
 rus Francapanes frequentibus nuncijs Maranensium auxi-  
 lia implorantium mature cognouisset, ex omnibus castel-  
 lis quae Venetis priore bello ablata, in finibus Histriae &  
 Foroiulij armis Caesaris atq; praesidijs tenebantur, amplam  
 militum manum collegit, & Maranum contendit. Eius ad-  
 uentu soluta obsidione, magnum hostibus ex insperato de-  
 trimentum est illatum. Manfronus & Scipio nequicquam  
 oppugnatione tentata, quum numero inferiores erumpen-  
 tibus oppidanis atq; instante Christophoro ancipiti pugna  
 distinerentur, pulsati primo, mox praecipiti fuga in proxi-  
 mum littus acti, dum pars scandere naues tentat, alij per  
 auia rupium, alij conuersi in hostem, uario euentu salutem  
 quaerunt, uulnerato Scipione funduntur, triremisq; una capi-  
 tur, quum metu praemente, ac impediti bus sese militibus re-

PAULI IOVII HISTOR.

miges obuertendi facultatem ab initio tumultus amississent. Sed quum hæc Venetijs nunciata essent, & nouo fletu prioris calamitatis memoria ægris omnium animis induceretur, longè maiore cladis mole rem Venetam afflixit natū repente incendium media in urbe, atrox si unquam antea, & luctuosum atq; terribile. Siquidem initio statim sequētis anni, qui fuit à partu Virginis millesimus quingentesimus quartusdecimus, tertio Idus Ianuarias, de prima uigilia, in Riualto frequentissima urbis regione, repentinus ac ualidus ignis, multiplicis mercimonij tabernas primū inflammauit, mox iuuatibus aquilonibus, qui seuisissimi ea nocte fortè perflabant, attigua etiam ædificia corripuit, mirū dictu ac uisu horrendū, quanta uelocitate & simul cœperit & ab dextra leuāq; in immēsū populabundus, innumeras ædes, Diui Ioannis templū, & cuncta simul quæ ad farinas (id loci nomen est) & ad forū Piscarium uergunt, absumpserit. Ita ut momento temporis, super semiustas & corruentes domos, miserabili uastitate insolitum atq; inane loci spaciū, flammæ patefecerint. Eadē uiolantia haustis nummulariorū officinis, rectā per argentarios ad templū Apollinaris usq; peruagatus, nihil reliquū fecit, præueniendo remedia miserorum sui rapiditate atq; seuitia. Stetit in tactū ope fauentis numinis Diui Iacobi uetustissimū sacellū, circumābustis lateribus. Eo nihil antiquius Venetijs habetur, utpote quod in ipso nascentis urbis primordio, ab circumiectis populis in Hadriaticas paludes Barbarorū metu fugientibus, edificatum fuerit. Il enim haud irritis auspicijs orsi à religione, eius urbis fundamenta iecerūt, quæ post euastatā uarijs excidijs Romā, & situs miraculo, & diuturnitate Imperij atq; opibus cæteras postea superauit. Inde perpetuam noctem de-

bac

Bacchante flamma, neq; exitus calamitatis, neq; remedium  
 reperiebatur: Nam ipsa noctis obscuritas, ubi exitialis splen-  
 dor non aderat, turbatum uentis mare, & discurrentibus in  
 contraria cymbis aduersum, dissonæ plorantium uoces, ac su-  
 gientium callibus angustis pauidarum turba mulierum, hu-  
 manum omne subsidium abstulerant. Deniq; omnia plena  
 luctus atq; mœroris. Nec deerant qui specie officij, dum res  
 è proximis flammis ereptas ac per manus traditas simula-  
 tione iuuantium accipiunt, dominis alio atq; alio discrimine  
 attonitis, passim furarentur. At prima luce cum magistrati-  
 bus Andreas Gritus superuenit: iussitq; fabros continuo de-  
 moliri domos ardentibus iunctas, ut grassantibus incendijs  
 liber campus, atq; ipsum cœlum occurreret. Ita tandem re-  
 stinctum est. Fuere qui non casu sed dolo factum id crede-  
 rent: quod eodem quoq; temporis puncto, diuersa in regio-  
 ne urbis, cœnobium Cruciflorum conflagrauerat: Subijcie-  
 bantq; crimini, et inuidiæ Germanos, tanquam ij pari cala-  
 mitate illata, similem iniuriam ulcisci contenderent: quoni-  
 am superiore año oppida duo in Germania fraude Veneto-  
 rum arsisse dicebatur. Constrauit hæc inopina et miserabilis  
 clades ciuium animos: qui eo atrocius id damnum aestima-  
 bant, quod super insignes exercitum iacturas in difficili re-  
 rum statu, & graue & insperatum ingruerat: quasi Fortu-  
 na miseri Imperij nihil reliquum nomini Veneto facere uide-  
 retur. Eiusdem æstatis sine qua hæc in Venetia gesta sunt, in  
 Cenomanis quanquam omnia bello arderent, haud magni  
 rerum motus fuere. Stabat à Venetis Crema; eamq; supra ci-  
 uium egregiam fidẽ mirabili operum munitione firmatam,  
 cum ualida militum manu Rentius Ceres tuebatur: uir inde-  
 fessus & fortis, atq; ea maxime obsidione clarissimus. Brixia

PAULI IOVII HISTOR.

autem et Bergomum pro Cesare Hispani praesidio imposito tenebant. Sed tunc maxime Bergomatium res in angusto posita erant: quoniam attritis recenti clade Brixianis, soli prope hybernorum incommoda tolerare, et pecuniam in stipendium praebere cogebantur. Quibus de causis exulcerati civium animi, quanquam ex uetere etiam studio in Venetos, defectionis tempus circumspectarent, eò inclinaverunt, ut accersenda esset ab Crema militum manus, qua praesidium Hispanorum opprimerent, et mutata fide transirent ad Venetos. Erat tunc forte apud Rentium Cagnolus quidem Bergomas cohortis praefectus, cui cuncta tradendae urbis consilia a speculatoribus ac transfugis deferebantur. Is quum obnixè operam suam pollicendo, docendoque quibus artibus facile urbe esset potiturus, spem haud dubiam perficiendi negotij Rentio dedisset, cum Marcello Astallo equitum praefecto, et duabus delectorum cohortibus Bergomum mittitur: atque ita viarum compendio ac notitia usus, confecto per noctem itinere, antequam Hispani et bona pars civium aduentum Venetorum sentirent, ab his cum quibus egerat introducitur. Nec mora ad domum regij questoris conuolant: eam facile expugnant: pecuniam quum paulo ante Hispani inclementer exegerant, diripiunt: et praesidij partem trucidant, partem comprehendunt: mox quoque arcem ueterem interfectis propugnatoribus ui capiunt. Hoc confecto negotio, Cagnolus atque Marcellus partem militum praesidij causa apud se retinent: ceteri eadem celeritate qua uenerant, Cremam remittuntur. Ea Bergomatium defectione commotus Maximilianus Sfortia, statuit nihil esse cunctandum, ne fama uicinae sibi urbis captae, nimio plus Venetorum uires coalesceret: aliter uarenturque eorum animi, qui partes Caesaris sequebantur.

Itaque

Itaq; coactis copijs Syluium Sabellum, & Oldradum Lamponianum, Abduam continuò transmittere, atq; hostiliter ducere in Bergomates iubet. si circumiectum agrum populati, ad eadem Diui Antonij in suburbanis ædificijs castra locant: atq; uno tẽpore obsidione oppugnationibusq; inclusos præmunt. Non erat omnino Syluius absq; fiducia urbis per uim capiendæ, et si non multum spei in uirtute collectitij exercitus reponebat, quoniam magna pars optimatum diuerso studio ab plebe, quæ semper ab initio etiam belli Gallici ex oculto rem Venetam fouerat, dissentire dicebatur: habebatq; ea res maximum excitandæ seditionis momentum, mœnia quoque nec satis altitudine muri fossarumue obiectu munita, minimè difficilem expugnationem habebant. Hispani etiam è statiuis agri Brixiani in auxilium exciti aduentare, comminariq; direptionem ferebantur. His de rebus solliciti ciues, Rentium admonent: & salutis & fortunarum suarum periculum exponunt, obtestanturq; per antiquam urbis erga Venetos fidem, uelit quàm mature perditis propè rebus accurrere. Rentius Bergomates, quos ipse dudum in discrimen rebellionemq; perduxerat, minimè deserendos existimans ad sexcentos utriusque armaturæ equites, & quingentos fortissimos pedites deligit, parti peditum equos attribuit, ut confecto itinere desilire ab equis, ac nequicquam fatigati, rem pedibus gerere possint, Marianum Alecium & Christophorum Epirotam his præficit, imperatq; ut quàm celeritate Bergomum contendant, & ab ea parte qua segnius stationem haberi cognouerint, magno impetu castra hostium adoriantur, atq; excitato ad eruptionẽ Cagnolo, ex occasione uel manus conferant, uel augendi præsidij causa et confirmandis ciuium animis militum partem intromittant. Igitur

PAULI IOVII HISTOR.

Marianus atq; Christophorus ab Crema proficiscuntur, ac silenti citatoq; agmine aduentus sui famam prætergressi, in conspectum hostium deueniunt, paucos inermes qui licentius euagabantur, opprimunt, fugantq; ac delati eodẽ cursu in raram militum stationem, occiso ibi Cittadino centurione, et Guerrerio Celanio equitum præfecto, magnum terrorem atq; tumultum ad portam castrorum incutiunt. Sfortiani, utpote qui nihil tale timuerant, trepidare, diffugere, alij arma capere, alij ut uirtus & tela in promptu erant, ubi discrimen poscebat, accurrere. Syluius ipse magnitudine periculi propè attonitus, cum paucis tamen aduersus irruentes hostes egreditur, nomine quenq; fortissimum ac ueteranum suum uocans, eos conglobat, summotisq; paululum hostibus, cancellatos castrorũ postes, quos iã Veneti magna ui impulerant, claudi iubet. Ipse exclusus & hostibus immixtus, loci notitia magis quàm suorum uirtute superata materia, incolumis in castra reuertitur. Porta quoq; castrorum eodem temporis puncto egregiè defensa uirtute Io. Petri Suræ, qui decies septies olim ex prouocatione uictor, ob summam fortitudinis opinionem, duarum cohortium præfecturam adeptus fuerat. Clamabant è moenibus Bergomates, atq; ipse Cagnolus, puluerem, strepitum, clamoremq; pugnantium oculis atq; auribus accipiebãt, apparebatq; Sfortianos facile fundi deleriq; posse, si præsidarij eruptione facta, dispersos uarijs in locis, diuerso prælij cœntu pugnantes inuaderent. Verùm dum Cagnolus atq; Marcellus partim ciuium disti animis partim ueriti ne à Virgilio Syluij præfecto, qui cum cohorte moenibus successerat, libero egressu prohiberetur, nihil ab urbe mouent: Sfortiani equos conscendunt, superuentuq; Cæsaris Faramuscæ, qui equites in auxilium adduxerunt.

adduxerat, Venetos primo repellunt, mox cunctis densata fronte procurrentibus, occiso Pisone Romano centurione, cum cæde in fugam conuertunt. Eare turbati Marianus atq; Christophorus, quòd latere aperto ab ualida & uetere turma equitum impetebantur, nec reparare turbatam aciem poterant, quantum inter uulnera commodè fieri potuit, ad salutem proripere se in fugam ceperunt, ita hostium terga cædentes Sfortiani, multis interfectis, compluribus captis, in quibus fuit ipse Christophorus, cum maximo dolore Bergomatium in castra redierunt. Postero die ad expugnandum Orinianum castellum copiæ ductæ. Id erat Coleonorum, qui Bartholomæo eiusdem familiæ clarissimo duce progeniti, Venetis plurimum fauebant. Quòd uti erat haud mediocriter munitum, primo impetu captum ac direptum fuit. Caterum Bergomates, postquam omnia aduersa obuenerant, ne si inter deditiois consilia cunctarentur, se ac fortunas suas maiori periculo implicarent, ad Hispanos (ij enim in Brixiano agro erant) oratores mittunt, qui nomine Senatus urbem dedant, defectionis ueniam deprecentur: ac properè ex Hispanis præsidium adducant. Causa accelerandæ legationis fuit, ut Sfortianos urbe excluderent, cum quibus uera atque acerbissima odia exercebant, ac tunc maximè exacerbati recentibus iniurijs, quòd nuper Sfortiani traiecto Abdua, feroces ac lingua immodici, direptionem atque omnia hostilia comminati fuerant. Ita Bergomates iterum ab Hispanis facta deditioe in fidem recepti, dimissumq; per aduersam portam Venetum præsidium. Poena cæsi præsidij atque defectionis, fuere pecuniæ: namque Mattheus Granata Hispanorum præfectus, ut erat miti ingenio ac sapientiæ studijs potius quàm militia clarus, nemine percusso, eos lenitate con-



PAULI IOVII HISTOR.

ditionum magis quam seueritate ac metu in fide continenda  
 dos esse arbitratur. Capellam demum arcem in edito sitam  
 expugnare adortus: ueterem enim Cagnolus deseruerat,  
 quum diu tormentis diuerberatam turrem labefactare non  
 posset, cuniculum agere instituit, per quem excauata rupe,  
 inclusis sulphureis ignibus nota atq; instituta ratione, funda-  
 menta murorum excinderet. Verum paulo post Granata,  
 dum urgente fato incautius in opere uersaretur, tormento  
 ab arce emisso interfectus est. Amisso duce Hispani nihilo se-  
 gnius inceptum cuniculum continuo labore profecuti, rem-  
 edo perduxerunt, ut metu atq; periculo expugnatus Hierony-  
 mus Tartarus custos, arcem dediderit. Recepto Bergamo &  
 Capella arce in potestatem redacta, Sfortiani & Hispani di-  
 ductis per municipia, & pagos omnibus copijs, in finibus  
 Cremensium confedere coercendis potius Venetis, quam quod  
 iusta obsidione infestam urbem premere arctius, aut oppu-  
 gnare posse considerent. Enimuero Rentiani crebris excur-  
 sionibus praedas agebant: neq; intercludi ab Crema, ui aut ar-  
 te ulla, nec quin erumperet ubi uellent, prohiberi poterant.  
 Ea erant studia colonorum, qui Venetum nomen maximis  
 etiam attriti calamitatibus excolebant, ut summittere com-  
 meatum inclusis speculari consilia progressusq; Sfortiano-  
 rum, & cuncta quae in eorum cotubernijs cognouissent, Ve-  
 netis quam occulte deferre non dubitarent. Quibus de cau-  
 sis saepe Rentius, ut erat intentus in omnes occasiones faeli-  
 citer erumpebat. Erat in calcinato uico Caesar Feramus ca-  
 cum equitibus incuriose, ut plerunq; sit ex recenti uictoria,  
 moram trahens, consisus scilicet oppidanorum fidei, & ui-  
 ribus suis. Hunc Calcinatenses nequaquam dilata perfidia, ut  
 ociose & negligenter confedebat, Cremensibus renunciant:  
 pollicen-

pollicenturq; si eò Rentius equitum turmam quàm occultè  
 trāsmittat, fore ut Cæsar cum omnibus equitibus suis sine uul  
 nere in potestatem deueniat. Rentius haud moratus in ea fa-  
 cultate opprimendi eius hostis, qui nuper ad Bergomum cla  
 dem intulerat, de secunda uigilia cum delecta equitum manus  
 Marcellum emittit. Is ut compositum à Calcinatensibus fue-  
 rat, ex improviso oppidum occupat, et ad contubernia mili-  
 tum contendit, Cæsar tumultu audito ac cæteri equites è stra-  
 tis semisomnes, dum correptis armis frustra defensionem pa-  
 rant, uinciuntur, & Cremam perducuntur. Marcellus au-  
 tem haud multum ea re gesta letatus, quum inter obluctan-  
 tes ueteranos, qui strictis gladijs ne caperentur resistebant,  
 lethale uulnus in pede accepisset, paulo pòst Cremæ interijt.  
 Paucis inde diebus, quum proprius Cremam accessum esset,  
 Sfortiani excursionibus, & contra eruptionibus Cremæ  
 ses ex occasione frumentandi sæpius equestri prælio decerta-  
 runt. Enimuerò frequentes eius regionis uici, & castella di-  
 reptionibus opportuna, labantibus nunc huc, nunc illuc in-  
 colarum studijs, materiam quotidiani certaminis præbebant.  
 Siquidem tueri partium opes, aduersarijs calamitates infer-  
 re, et mutuis accessibus, ut ex Fortuna uarios belli euētus, re-  
 rum commutatio sequebatur, aut præsto adesse, aut uim in-  
 sulantium sustinere necesse erat. Fortè ab Syluio, M. Antoni-  
 us Philetinus & Baptista Pisin sanctes equitum præfecti, ad  
 Umbrianum uicum non longe ab Crema excurrere iussi, ma-  
 gnā ex hostilibus pagis omnis generis prædam ceperant:  
 iamq; eam carris impositam, in pacatum propè aduexerant:  
 quum Rētiani, ne tantā socij atq; amici Veneti nominis con-  
 tumelian detrimentumq; accipere præsidiariorum incuria  
 uiderentur, erumpunt: ac breui confecto itinere, Pisin san-

PAULI IOVII HISTOR.

Et in agminis coactorem, eiusque leuis armaturæ equites magna uia à tergo adoriuntur. Pisis sanctes conuerso agmine irruentes sustinet, primosque repellit: mox maiore mole ingruentibus Rentianis (aliæ etenim atque aliæ equitum turmae ab Crema submittebantur) recipere sese equites iubet. Philetinum de multitudine hostium certiore facit, hortaturque, ut quam maturè coacta præda cum plaustris, & graui armatura citatiore itinere antecedit. Se interea hostes retardaturum, ac mox saluti, equorum uelocitate consulturum. Philetinus ad hæc, ut erat magni uir animi atque audaciæ singularis, se non priusquam hostium faciem uideat, aut locum moturum, aut arrepturum iter quod fugæ simile uideatur, respondit: atque ita aduentante hoste, noui decoris cupidus, quod nuper cum Syluius alæ cataphractorum præfecerat, & hortatus equites ne opinionem ducis fallerent, in prouocantes infestis hastis incurrit: quo impulsu turbauit primos atque disiecit. Verum quum equitum numero longè inferior, Marianusque & Tullius hostium duces id conspicati circumfusus undique turmis paucos inuaderent, cœpit temeritatis sentire incommodum, atque acrius ut euaderet colluctari, sed Pisis sancte prælio excedente, et suis uaria sorte pugnantibus, ipse frustra propria uirtute cõtendens, suffosso equo capitur: deductusque ad Rentium, ut erat grauius uulneratus, Crema moritur. Nec multo post haud absimili casu Tullius, qui in præfectura equitum Marcello successerat, frumentatum ad Abduam usque progressus, cum Sfortianis fines Laudensium tutantibus manus conseruit: ubi ipse, ut erat manu promptus, in nouissimo suorum agmine depugnans, iam præmissa præda interficitur. Ita tres magnæ indolis atque uirtutis Romani iuuenes, Marcellus, Philetinus, & Tullius egregiè

fato functi paucorū dierū spatium perierūt. Obsideri demum  
 Crema arctius coepta, eruptionesq; Rentianorū aliquanto  
 attentius quā antea factū fuerat, ui arteq; prohibita. Nāq;  
 Prosper Columma ad Maximilianum uenerat: assensienteq;  
 Ferdinando Rege, Dux Sfortianarū copiarum declaratus,  
 cum equitatu ueterano, Hispanorumq; cohortibus quatuor  
 Crema accesserat. Genus obsidionis tale instituebatur, ut ex  
 omnibus copijs bina castra facerent. Syluius ab ea parte qua  
 Crema Laudem Pompeiam atq; Abduam spectat, quantum late  
 longeq; porrectis munitionibus, Prosper diuersa in parte  
 ab Syluianis operibus, ad sanum sancti Bernardini, Traua=  
 conæ paludis interiectu, omnem frumentandi erumpendiq;  
 facultatem hostibus adimerent: & aliunde comportari in  
 urbem commeatus uigilijs stationibusq; dispositis prohibe=  
 rent. Eiusdē anni uere primo legati Emanuelis regis Lusita=  
 niæ Romā uenerunt, tulereq; Leoni pontifici ē uictorijs In=  
 dicis dona magnifica, Elephantem ab multis seculis Romæ  
 non uisum animal, Leenāq; & diuini cultus uestes innume=  
 rabilibus margaritis exornatas, in quibus operosis artifi=  
 cum texturis piæ ac diuinarum rerum imagines uiseban=  
 tur. Erat legationis princeps Tristanus Cunnius, uir trium=  
 phalibus insignibus et rerum in India gestarum gloria cla=  
 rus. Is multa de gentiū moribus, ubertate soli, natura ac ua=  
 stitate maris, et de antarctice plagæ syderibus memorabat.  
 Enimuerò paucis antè annis, iubente eodē Emanuele, Lusitani  
 insana navigatione Atlanticum, Fortunatasq; insulas  
 præteruecti, promontorijs Praxio & Bonæ spei superatis,  
 Aethiopicum littus adiuerant, gentes subegerant, Rubri  
 maris ac Persici sinus angustias superarant. In Carmania  
 atq; India bello uictis regibus Cannanoræ, Cucini, & Cale-

PAULI IOVII HISTOR.

*cuthæ, celeberrimis emporijs exercendæ mercaturæ sedes et  
cesq; posuerat. Proximè uerò, quum nouorū ducum aduen-  
tu, aucta esset classis, ultimos Indiæ orbisq; terminos sibi pro-  
posuerunt, atq; ita foelici ausu eadem ducti peritiam nauigan-  
di, ab Calecutha præter Indum ac Gangem fluuios ad aure-  
am Chersonesum peruenerunt, ubi regem Malachæ armis  
defensionem parantem, tormentorum nouitate absteritū,  
ac prelio uictum, tributarium fecerunt. Ab alia quoq; par-  
te Indorum, classibus sæpe deletis, custoditisq; Eriethræi sau-  
cibus, ac sinus Arabici nauigatione Aegyptijs mercatoribus  
interclusa, Indici maris Imperium tenuerunt. At hisdem  
fermè diebus, Liuianus, qui Patauij post cladem acceptam  
reparandis copijs intentus, satis amplam militum manum  
in speciem iusti exercitus coegerat, quum tota hyeme in hi-  
bernis quieuisset, ad recuperandum Forouiuium se conuer-  
tit. Eninuerò Germani, duce Christophoro Fræcapane, iam  
antea pulsus ab Marano Venetis, cuncta quæ ab ora maris  
ad Oppiterginos montes et ad superiora Carnorum uer-  
gunt, usq; ad Lipientiã flumen, in potestatem redegerant,  
præter unum omnino oppidum nomine Osophum, quod  
per se asperitate loci atq; incolarum studio munitū, Hiero-  
nymus Sauormianus cum equitibus sagittarijs tuebatur. Id  
quum Christophorus sibi totis uiribus oppugnandum pro-  
posuisset, et collectis circiter duobus milibus peditum, et  
septingentis equitibus, in quibus Germani pleriq; nobiles  
euocati et prætoriani Cesaris erant, eò cum omni tormen-  
torum apparatu contendissent, causa fuit Liuiano celerius  
quàm constituerat mouendi ex hibernis. Siquidem in eo as-  
sictæ rei Venetæ statu, quum omnia ad defectionem specta-  
rent, occurrendū erat uictori, hosti: qui haud dubie, si Oso-  
phum*

phum caperetur, ad inuadenda ulteriora Venetia maiorem facultatem esset habiturus. Igitur Liuianus sedentibus ad Ateste & ad Montagnanam Hispanis, e Patauio cum amplius mille & ducentis utriusq; armaturæ equitibus Taruisium uersus mouet. Ibi falcones sex, & cohortem unam ex-pediti militis ex Taruisino presidio ceteris copijs adiungit, indeq; perpetuo cursu, quod in presentia celeritate opus erat, Concianum, ac mox Sicillum petit. Erant Sicilli presidio Veneti equites ferme ducenti, qui cum Germanis apud Portumnouū hibernantibus, ex occasione pabulandi, quoti die leuia certamina committebant. Hos Liuianus excurrere in conspectum hostilis oppidi, ac elicere omnibus artibus ad pugnam Germanos iubet. Ceterū præcurrentibus, Malatestam Baleonum Pauli filium acerrimum iuuenē cum cataphractis submittit. Nec sefellere opinionem Germanorum; namq; e mœnibus conspicati hostium equites, ex consuetudine superiorum certaminum properere equos conscendunt: ac patenti porta eucti in concursantes impetum faciūt. Contra Veneti proprio consilio conuersi in fugam, quum longius incautos abduxissent, adessetq; subsidiarius eques, continuo obuertunt sese, impetum proruentium excipiunt, & pugnam instaurant. Malatesta insigni equo in primā acie pro-uectus, Ricianum Germanorum ducem antè alios egregie decertantē singulari certamine aggreditur, coniectoq; post nutuos ictus per cassidem in aduersum os gladio, uulneratum ab equo deturbat & capit, ceteri amisso duce, celerifuga, amplius triginta suorum interfectis aut captis, in Portumnouum se recipiunt. Eos cum omnibus copijs Liuianus ad portas usq; persecutus oppido includit, ac simul prodactis tormentis, ne respirandi uictis uel minimum quidem

PAULI IOVII HISTOR.

tempus relinquere, imperatos oppugnat. Ita incredibili militū studio, continuata per diem ac noctē oppugnatione, iam fessis defensoribus, qua murus uetustate debilior uitorum collapsus, ingressum præbebat, oppidum intrat, ac paucis in tumultu occisis, comprehensoq; præsidio, diripit, atq; eadem fortuna usus arce potitur. Paucarū demum horarū quiete militibus data, castra mouet, & superato Tiliauento flumine, ad oppidum Sancti Danielis proficiscitur. Inde Nicolaum Vendraminum cum Epirotis, & Bernardinum Antiniolā cum sagittarijs ad detterendum ab incepto Franapanem Osophum præcurrere iubet. Verum is paulo antè, quū id oppidum abruptis rupibus impositum, quod summa fide atq; uirtute Hieronymi defenderetur, frustra ab se oppugnari perspiceret, simul ac de aduerso prælio equestri, & de Liuiani aduentu certior factus, soluta obsidione ad Ventionum supra Natisonem fluum iter facere cœperat. Veneti nouissimum abeuntiū agmen uelocitate equorū consecuti, in tergo cædem & tumultum maximum ediderunt, conanteq; Christophero explicare aciem, & prælium iniquo in loco cōmittere, conturbata extrema acie, ultimos quoq; equitum multitudine sagittariorum circumuentos fuderunt. In ea rerum asperitate Christophorus, quū milites uniuersas hostium copias adesse putarent, et propterea quòd angusto in loco res erat, ubiq; trepidaretur, relictis maioribus tormentis ac compluribus suorum amissis, ipse uulneratus per abruptos calles in montana se recipit, neq; ulla re magis quàm celeritate & locorum notitia usus, salutis discrimen euasit. Namq; premente in tergis Liuiano, Souernianus cum expedita clientium & montanorum manu ab Osopho transuersis tramitibus, ad occupandas uiarum angu-

angustias contenderat: cuius aduentu, quòd peritus locorū undiq; infesta arma fugientibus intulisset, dissipato caesoq; Germanorum agmine, tormenta octo muralia capta sunt. Ea uerò Hieronymus perduxit Venetias: & ut essent uictoriae monumentum, in naualia intulit, ita gratias agēte Senatu, ut ab insigni fide uirtuteq; commendante Luca Trono, celebratus, pramiā meruerit: Scilicet, ut Osophi cōmeantū ē Germania mercium perpetua statio cum uectigali, immunitateq; incolarum, statueretur, & presidio (quòd egregie se defendisset) uirtutis ergo perpetua stipendia proueniret. His rebus gestis Liuianus cuncta ea oppida, quæ metu aut ui ad Germanos defecerant, in fidem recepit, præter Gorriciam atq; Gradiscam: ad quæ eodem secundo rerum cursu cum omnibus copijs ferebatur, ut presentis fortunæ periculum faceret, nisi Hispani cognita eius profectio, motis properè castris, ut intercluso itinere eum reditu & Patauinis moenibus prohiberent, in maxima spe gerendarū rerum ē Foroiulio reuocassent. Effuderant enim se per Patauinum agrū, & intactas superiore hyeme possessiones impune populabantur. Sed uix dum Liuianus Patauium redierat, quē Frācapanis, dum armandis agrestibus & suscitandis ad reuouandum bellū populis, per Alinatium fines & saltuosa Carnorum uolitare, præcipitatus in insidias à Ioanne Vetturio, qui cū Epirotis ea pariter saxa circuibat, captus est: suoq; & alieno cruore perfusus (multum enim uir lacertosus atq; terribilis, ne uiuus in potestatem hostium ueniret repugnarat) Venetias perductus, teterrimo carcere includitur. Gratias Senatus Vetturio egit: quòd eum hominem cepisset, qui supra belli causam, Veneto nomini insensissimus per quinq; annos, positus nunquā armis, Venetorum par-



PAULI IOVII HISTOR.

tes oppugnasset : inhumanamq; crudelitatem in captiuos exercuisset. Nam quibusdam oculos cruerat, alijs amputauerat manus, aut aures absciderat, uidebaturq; is si pacis unquam mentio fieret, equiores conditiones allaturus : quoniam am Gircensis Cardinalis, sororem ei in matrimonium collocarat : et Caesar fideli eius semper atq; fortissima opera usus, calamitosi uiri rationem habituri uidebantur. Sed Vetturius haud diu ea re bene gesta letatus, quum in explorato itinere per impedita regionis euagaretur, cum ala suorum equitum, a Caesarianis captus est. Resq; postea in Foro iulio aliquanto quietiores fuere. Sed paulo post ad Cittadellam agrum Vicentini, longe plures Venetorum equites, quam ipsi ex Caesarianis ad Portum nouum ceperant, ab Hispanis oppressi sunt. Praemiserat enim Liuianus supra Vicentiam, Bernardinum Antiniolam cum trecentis equitibus, ad tuenda ea praefertim oppida, quae uagantibus Hispanis maxime opportuna iniuriæ uidebantur. Erat id genus praesidij incertum & uagum, nam quicquid camporum & collium inter Bastianum Cittadellam atq; Marosticam interiacet, interdum circumducto equitatu percurrebatur, ceterum noctu ad unum trium oppidorum equites se recipiebant. Quibus de causis, quum improuisi omnibus horis ac omnibus in locis occurrerent, nulla nisi bene ualida hostium manus, aut in pagis tuto consistere aut ex priore consuetudine, paulo liberius praedatum ire audebat. Verum ex rerum difficultates paulo post breui negotio sublatae. Namq; Cardonius multum antea in eos equites intentus, ut pabulatoribus suis pacatum agrum redderet, circum emissis speculatoribus, occasionem opprimendi hostis inuenit. Forte enim ab excursionem Cittadellam se receperat cum equitibus Antiniola, ut eo in oppido ex quo

tidia

tidiana cōsuetudine pernoctaret. Id quum properè renuncia-  
 atum esset, Cardonius nequaquā moratus, deposcente Pesca-  
 rio, omem leuem armaturā expedire arma, atq; equos ascen-  
 dere iubet, & supra quingentos ex omnibus cohortibus le-  
 ctissimos pedites ita adiungit, ut accelerandi itineris causa,  
 singuli equites post sese singulos eodem equo confessores pe-  
 dites adueherent. Piscario autem precipit ut cum ea manu  
 Cittadellam contendat: utatur noctis beneficio, & ne quod  
 effugium pateat hosti sine tumultu portas dispositis statio-  
 nibus obseruet. ipse uerò cum tormentis & maiore parte  
 exercitus iustis passibus atq; hisdem uestigijs Piscariū subse-  
 cutus, eò proficiscitur. Antiniola qui nihil minus quàm Car-  
 doniū, quem eo ipso die ad uetera castra sedere per explora-  
 tores cognouerat, aut moturum inde, aut educto exercitu  
 ad se opprimendū tanta celeritate cōuolaturum putauerat,  
 postquam ab excubijs conclamatū est adesse hostes, tuba si-  
 gnum proponit, quo monentur milites ut equos insternant,  
 atq; arma capiant. Verum antequam milites e contubernijs  
 repentino metu exciti ad signa quæ in foro erant, corrent,  
 iam oppidū corona cinctum erat. Tum uerò Antiniola dux  
 impiger eruptione facta, in hostes inuehitur, impetum ir-  
 ruentis Piscarius per sclopettarios egregie sustinet, confos-  
 so cadenteq; equo in pedes desilit, compulsisq; intra portam  
 hostibus muro tormenta admouet. Nec mora patefacto an-  
 gusto aditu, Hispani uis facta irrumpere conantur. Veneti  
 equites acerrime propugnant, Ferdinandumq; Nigrum ex-  
 imie uirtutis centurionem interficiunt. Dum eo modo  
 contenditur, atq; hostes distinentur, Piscarius ad aduer-  
 sam oppidi partem scalas ferri apponitq; imperat, ipseq;  
 inter primos murum conscendit, hortatur Romerium,

PAULI IOVII HISTOR.

signiferum, ut saltu intro audacter se deiiciat, hunc perfracta coxa ex casu a gre se erigentem, Mancius sum: mæ fortitudinis centurio subsequitur. Tum uerò alij atq; alij per lanceas se deiiciunt, oppidoq; nemine ab ea parte defendente, potiuntur. Itaq; Antiniola undiq; circumuentus uulneratur & capitur, oppidumq; multis equis multaq; diuite præda repletum, ab Hispanis diripitur. Antiniola uerò ( quòd erat ex sorore Liuiani genitus ) reliquis ferè omnibus dimissis, honesta in custodia seruatus est. Ad Veronam autem Mala testa Baleonus non multos post dies incommodum Cittadelle acceptum aliqua ex parte sarciiuit. Is enim per montana delatus in agrū Veronensem, nō longè à uico Sancti Martini delectos singulari pernicitate Epirotas equites præmisit, qui in suburbanas uillas excurrerent, & proxima quæq; mœnibus, tumultu per agros excitato popularentur, ratus sicuti prospero euentu ad Partumnouum acciderat, præsidarios eruptione sese in temere prouectos Epirotas effusuros, & bene gerendæ rei occasionem præbituros. Nec eum sefellit opinio: namq; ut primum adesse hostes agrestium clamore & fuga nunciatum est, moxq; è mœnibus in proxima uoluitantes, ac omnis pecoris abigentes prædam cernerentur, Cesariani nulla interposita dubitatione quin erumperet, et in primis Succarus iuuenta & robore uirium ferox, patefacta porta in hostes citatis equis impetum faciunt. Epirotæ quo magis insidiæ tegerentur, conglobati primo terga uertere, pecus & sarcinas præ se agere, ac demum simulare se numero hostium territos, & passim deserere prædam. At Succarus, ut primo congressu recuperatam maximam prædæ partem, atq; hostes loco pulsos pleniore cursu regredi uidet, conuersus ad suos, Patiemúrne, inquit, semper hoc fugat

fugacissimum hostiū genus pro portis impune latrocinariē  
 Quin fessos recentibus equis insequimur & temeritatis pœ-  
 nas dare cogimus? Hec dicentem atq; acrius incitantem  
 equum plures uarij generis equites insecuti, dum in nouissi-  
 mo fugientium agmine multum cursu uulneribusq; contē-  
 dissent, in insidias precipitatur. Malatesta enim qui ex com-  
 posito in caua ualle tectus arboribus instructos equites con-  
 tinebat, dato repente signo per transuersum in patentē uiam  
 prosiliit: atq; ardentius euectos hostes à tergo adortus, no-  
 uam aciem interclusis ostendit. Casariani undq; circumuen-  
 ti, dum factō cuneo perrumpere in proximum campum  
 contendunt, ab circumfustis opprimuntur. Ex Pontificijs, Ti-  
 berius Galesus equitum præfectus hasta trāsfixus cadit. Asca-  
 nius Romanus Columniæ ale uexillifer & Succarus ipse, &  
 Gothifredus Calcarius Veronensis prætorie cohortis præse-  
 ctus, capiuntur. Hos cum Malatesta cum alijs captiuus in ca-  
 stra perduxisset, Liuianus Ascanio & Succaro comiter ap-  
 pellatis, Gothiferum multis uerborum contumelijs affi-  
 ctum, frustra deprecante Malatesta, è uestigio necari iussit,  
 quoniam quum sermo de Liuiano incidebat, petulantius ob-  
 loqui, & sine præfatione honoris, pusillum eum & gibbe-  
 rosam belluam appellare consueuerat. Accessit quoq; ad ma-  
 turandum supplicium, quod partium Casarianarum caput  
 erat, & multum manu consilioq; ne Venetus urbe reciperet-  
 tur obstiterat, quum per uarias bellorum occasiones, multi  
 è ciuibus tedio presentium rerum atq; hybernorum incom-  
 modis fatigati, à Casare se totos alienassent. Succarum autem  
 tanto in honore apud se habuit, ut eum quod est inuiolabilis  
 amicitie sacramentum, his sacris adhibuerit, quibus Iuliano  
 die Liuium Septimum nuper ex sorore Valeoni susceptum

## PAULI IOVII HISTOR.

baptismate abluit. Ea res solenni ritu & maioribus ceremoniis celebrata est, siquidem in ripa profluentis Medoaci, armatus & diuisus exercitus tanquam aduersæ acies in simulacrum iustæ pugne præpilatis hastis concurrir: displosaq; puncto temporis tormenta omnia in lætitiæ signum, tanto armorum fragore et clamore militum, ut præteruolantes aues exanimatæ ceciderint. At Rentius qui Crema cuncta obsidionis mala singulari constantia perpessus, totum æstatis tempus extraxerat, uidebatur ob pestilentiam Fortuna cefsurus, quæ, uulgata passim per milites ac oppidanos contagione, multisq; hominum milibus ea lue absumptis, in eius quoq; prætorium irrepserat. Sed mitescente iam cælo, & quum iam rari essent in quos ea uis grassaretur, omni diligentia remedijs comparatis, pristinas animi uires recipere, ac redire in antiquam spem sustinendæ obsidionis coepit, his maximè de causis, quod conniunte ad hæc Pontifice, à Placentia commeatus liberè supportabantur: neq; id omnino paucitate militum prohibere poterant Prosper & Syluius. Cremonensis autem obsidionis impediendæ negotium susceperat Nicolaus Scotus & cum eo multi eiusdem factionis Maximiliano Sfortiæ infensi, quod animo proposuerant propinquitate regionis atq; notitia itinerum summa facilitate consequerentur. Erant qui existimarent Pontificem harum rerum esse authorem, qui haud dissimulante distineri attenuariq; eo bello Maximilianum uolebat. Ne si Crema potiretur, bello uacuum in eodem uictoriæ cursu, Placentiam Parmamq; reciperet. Cui uni curæ Heluetios quoq; animum intendere, nec per occasionem, qui armis eas urbes repeterent, postquam legationibus id frustra tentauerant, ullam moram facturos apparebat. Igitur ob eas res obsessi, auctis animis bo-

na spe compleri, in Syluianis uerò castris refrigerare obsidionis apparatus, remissa corruptaq; omnia esse. Enim uerò quum stipendia minime procederent, & seueritate Prosperi ab rapinis milites absterrentur, multi deiectione spe prædæ, quòd Cremam expugnari posse desperabant, alij occultè dilabi, alij opressi are alieno atq; omnium rerum inopia, equos uendere, alij uicti diuturnitate quotidiani laboris missionem petere. Syluius uerò singulos complexus deprecari ne postquam ad laborum finem peruentum esset, discedere uellent ab se duce, ab semicapta urbe, ab his denique munitionibus quas tanto studio laboreq; perfecissent, affore breui, qui ab Mediolano pecuniam afferant, stipendiumq; persoluant. Sed postquam super ea re sepe ad Maximilianum frustra scripserat, apud Prosperum demum legatumq; principis agere, ac obtestari se deserturum eas munitiones, aut si coactus eo in loco permaneat, ni confestim copijs pecuniq; inueter, aliquod lethale uulnus accepturum. Hæc & si sanis auribus accipiebatur, attamen quoniam fama erat Syluium alioqui nobilem strenuumq; uirum paulo illiber alius quæstui uacare & milites stipendijs suis fraudare, nihil quod usui esset, ab Mediolano submittebatur. Verum ut postea cognitum est, Maximilianus longè altiore consilio negligentiam simulabat, patiebaturq; bellum incuriosius geri, quoniam Casar, si Crema caperetur aliena pecunia, alienoq; etiã periculo partam eodem iure quo Brixia & Bergomum tenebantur, acquiri sibi uolebat, atq; adijci ueteri imperio quod Abdua flumine finiretur, quæ res haud mediocrem Maximiliano formidinem intenderat. Is enim rerum suarum sollicitus, hostem Venetum uiribus attenuatum imperio suo finitimum esse malebat, quàm amicis

PAULI IOVII HISTOR.

Cæsarem in Italia eo potentie efferrī, quæ mox sibi formidini atq; exitio foret. Siquidem constabat Cæsarem pulsus ab Italia Gallis, quum Maximilianū in Insubres e Germania proferantem ab itinere ad Constantiam retinuisset, cogitasse de tradendo Insubrie Imperio Carolo nepoti: traditurūq; fuisse, nisi Heluetij & Iulius pontifex ad quorū dignitatem pertinebat potiri rerum Sfortianos, aperte conatibus eius obstitissent. Igitur dū peruersis consilijs Sfortiani bellum gerunt, Rentiū nactus occasionem inuadendi hostis parat sulphureos ignes, quos ligneis tubis tripedalibus atq; ollis testaceis incluserat, quorum formam rationemq; tradidimus in memorabili oppugnatione Rhauennæ. Sebasto autem Narniensi imperat, Andreaq; Matritio præfectis, ut cohortes instruat sub signis de prima uigilia ad portam ducant, ibiq; signum profectionis expectent. Erant duo omnino aditus quibus adoriri Siluiana castra poterant, ab leua ubi latior campus & uia publica quæ ad Umbrianum ducit, difficilem habebant oppugnationem, quoniam ab ea parte Syllius firmissimas munitiones erexerat, ac locis idoneis tormenta & perpetuas militum stationes imposuerat, ab dextra autem nec fossa nec uallo, sed segni tantum custodia manebantur, quod iuxta erat palus limosis atq; perpetuis aquis secunda & inaccessibilis: ab fossa etenim quæ ab incolis Trauaconia appellatur, uitio interrupti aggeris magna uis aquæ in subiectam planiciem effundebatur. Ab hac parte Rentiū, quod nihil tale expectaturos hostes intelligebat, audendum esse ratus, pontibus per noctem palude constrata, omnes pedes traiecit. Ipse uerò, ut suis si quid durius accideret, subsidio esse posset, cum equitibus idoneo in loco constitit. Cæterum Sebastus atq; Matritius edocti ab duce quid fieri uellet,

let, traductis cohortibus maximo cum silentio, sub teli iactum ad castra hostium contendunt. Ibi signiferis subsistere iussis, prægressi ipsi militum agmen, noctis tenebris cæti, ad Syluanos uigiles suspensio gradu perueniunt. Eos tanquam socij essent ex Syluanis exploratoribus demissa uoce leniq; sibilo deceptos, ac sero tesseram postulantes obruncat, confestimq; uocatis ad se cohortibus delati ad castra, ignes quos parauerant in semisopitam stationem, & in proxima tabernacula militum iaculantur. Ita puncto temporis omnibus ferme tuguriolis incensis, quàm late relucens flamma fœdam militum equorum trepidationem & fugam, qualem in nocturno metu oriri necesse erat, & armatam hostium aciem irruentem ostendit. Heluetij qui ex prima cohorte ducenti ferme aderant, quanquam ab sommo attoniti, & turbati incendio aspectuq; hostium, satis pro disciplina solitaq; uirtute conferti irrupentes excipiunt, aduentuq; Syluij qui arrepto scuto per ignes & semiambustorum equorum fugam inermiumq; militum tumultum cum familiaribus aduolauerat, impetus hostium aliquantum repressus. Sed quum tubi formidabilem uomentes ignem, atq; ollæ cum exitiabili flamma intortæ ab Venetis per turnas experientesq; arma milites uolitarent, tanta consecuta est omnium trepidatio, ut dissipatis ordinibus, ac neglecto ducis imperio, nemo consistere auderet, sed protinus euitatis incendijs saluti fuga consuleret. Ita in confusos consternatosq; illati Veneti occiso Petterio Heluetiorum duce, & Florabbraccio Stipiciano equitum præfecto, castra occupant, tormenta quæ per tumultum à Syluanis displodi non potuerant, in fugientes conuertunt, & cum ingenti equorum atq; hominum præda satis magna hostium cede edita, in oppidum reuertuntur. At Pro-



PAVLI IOVII HISTOR.

Per qui mille & quingentos amplius passus inde aberat,  
 quanquam ex incendio castrorum tormentorumq; boatu,  
 haud incertus erat uersari in maximo discrimine Syluium, si-  
 ue is hostilis uel fortuitus ignis foret, nihilominus nocturna  
 praelia non esse tentanda existimans, neq; temere exeundum,  
 ut sera remedia perditis iam rebus afferentur, cauto magis  
 quam nobili consilio armatus suis munitionibus se conti-  
 nuit. Syluius uero e medijs hostibus flammisq; conscenso  
 quem sors obtulerat equo degeneri, incolumis Laudem se  
 recepit. Ea clade hosti illata Cremenses quum ab magna re-  
 rum omnium inopia in eo successu uictoriae subleuarentur,  
 non tantum liberati obsidione, sed obsessuri ultrò Prosperi  
 castra commutata belli ratione uidebantur. Eodem quoq;  
 tempore Liuianus animo agitans, quibus maxime consilijs  
 atq; artibus acceptas clades ulcisceretur, Hispanos qui se-  
 cundum Athesim aestiua habebant, adoriri constituit, neq;  
 id tamen aperta ui, quòd exercitui ex nouis delectibus refe-  
 cto minus fidebat, tentandum sibi arbitrabatur. Erat qua-  
 tuor in partes diductus Hispanorum exercitus, apud Len-  
 denariam uicum Piscarius cum tribus milibus peditum, ad  
 Rodigium Garcias Manricus cum ducentis amplius equiti-  
 bus cataphractis, alia uero equitum ac peditum manus apud  
 Bastiam pagum agebant, plures etiam ad sui praesidium Car-  
 donius Veronam adduxerat, quòd tunc forte à Caesarianis  
 de belli summa Veronae concilium habebatur. Igitur Liui-  
 anus ut hostium speculatores falleret, aliud simulando, quam  
 quod sibi occultè atq; celeriter perficiendum proposuerat,  
 edicit ut de prima uigilia omnes armati paratiq; ad profe-  
 ctionem ad signa conueniant. Interim quo magis consilium  
 tegetetur, aliquot tormenta addito praesidio ad Anaxum flu-  
mcs

mendid hodie Piaua est. Uia Taruisina aduehi iubet, ceterum  
 diuerso itinere intempesta nocte à Bremellis tertio à Pa-  
 tauio lapide, quo in loco plures dies statina habuerat, castra  
 mouet, & Marosticam uersus atque Vicentiam, ignaris mi-  
 litibus quo ducerentur, contendit. Demum mutatis sepe ca-  
 stris per abrupta loca itinerat; autumnalibus pluuijs corru-  
 pta, noctu plurimum iter faciens, coelo etiam ob assiduos  
 imbres infenso, ad Athesim desexit. Inde paululum mora-  
 tus in his munitiombus, quas paucos ante dies, capto ibi Mo-  
 rellione Hispano, & praesidiarijs interfectis, Malatesta &  
 Ursinus occupauerant, constructo extratibus ponte flumen  
 traiecit. Tum uero Liuianus militibus gratias egit quòd infe-  
 sti caeli iniurias & difficillimi itineris asperitates forti animo  
 tolerassent, quòd singulari celeritate eo peruenissent, unde  
 cum maxima praeda ac laude essent discessuri. Pararent ex-  
 templo arma, neq; lassitudine aut alio corporis incommodo  
 permouerentur: paratam enim esse praedam faciliq; uictori-  
 am, si eadem celeritate uti ad Portumnouum foeliciter  
 egissent, & pari propè errore hostium uterentur. Demum  
 Cardillum uirum impigrum quem familiaribus equitibus  
 suis praefecerat, & Malatestam cum expeditis turmis Rodi-  
 gium praecurrere & quosq; obuios capere ac uincire, ne  
 per illos aliqua aduentus fama ad Hispanos deferretur, atq;  
 occupare demum portam iubet. Ipse continuo subsecutus  
 triplici acie instructa, paratus oppugnare inclusos aut pre-  
 lio decertare si cognito eius aduentu hostes erumperent,  
 ad oppidum pergit, tanta foelicitate atque silentio, ut quum  
 subiectos moenibus campos iustus teneret exercitus, nemo  
 tamen id senserit aut uiderit. Ea enim erat in oppido rerum  
 tranquillitas, ut Hispani qui nuper audierant Liuianum

PAULI IOVII HISTOR.

supra Marosticam raptare exercitum, ueluti in summa quædam securitate soluti ociosiq; sine custodia sine statione in foro essent: Nam ea fortè die mercatus rerum uenaliū ab agræstibus qui è proximis pagis conuenerant, habebatur. Ita Cardillus & Malatesta per quem Liuianus omnia difficilia atq; aspera tentabat, nemine prohibente, citato cursu portam irrumpunt atq; in forum conuolant. Extemplo turbata ibi omnia, fœminæ, agræstes, oppidani tumultuari, diffugere, militibus Hispanis maximo impedimento esse. Tamen milites quinquàm repentino periculo exterriti, quòd arma induere, capere hastas, equosue conscendere undiq; circumuenti non poterant, sinistras sagis inuoluunt, gladiosq; dstringunt, ac multis illatis & acceptis uulneribus Cardillum ante alios impigre pugnantem interficiunt. Sed superuentu cohortium quas Ursinus introduxerat, & multitudine equitum oppressi obrutiq;, quum uirtutem irritam ac exitialem fore cognoscerent, si pertinacius resisteretur, gladijs proiectis deditionem fecerunt. Ita fortissima atq; ornatissima ala equitum cum ingenti præda capta, atq; oppidum cum externis etiam mercimonijs quæ fors ea die congesserat, direptum: Garcias Mauricus cum signiferis turmarumq; præfectis Venetias perductus & in carcerem conditus est. At Piscarius sero de suorū fortuna certior factus, quum coactus in unum copias in hostem uia Rodigina ducere cœpisset, cognouissetq; non multo post Liuianum cum uniuerso prope exercitu eam rem consecuisse, erectoq; animo maiora moliri, ab Lendenaria mutato consilio Veronã se recepit. Interea Rentius deletis Syluij copijs, de successu Liuiani per literas edoctus, in ea rerum occasione, suadente legato Veneto Bergomum contendit: ultroq; receptus ab his ciuibus qui semper

uicti

uicti multatūq; pecunia, nec tum quidē à prima fide, uel in-  
 felici exitu discesserant, urbe potitur. Occupato Bergomo,  
 spes quoq; recipiendæ Brixie Venetis facta est. Nec mora  
 cum duabus cohortibus & turma equitum Bartolomæus  
 Villaclara nobilis Brixianus, cuius forti opera eo bello Ve-  
 neti usi fuerant, & cum eo Nicolaus Scotus Brixiam mittun-  
 tur, qui ciuium animos tentent, augeantq; in maius Rodigi-  
 nam uictoriam, & Bergomatium facti exemplū ad laudem  
 proponant. Verūm ij quod uirtute et diligentia Aloisij Icar-  
 di, qui tunc arcis custos & presidij prefectus erat, ambi-  
 gue fidei ciues in officio continebantur, irrito incepto Cre-  
 mam redierunt. Secundum tamen Bergomatium defectio-  
 nem quā Hispanos firmè omnes undiq; deletos esse falsifi-  
 nitimorum rumoribus afferretur, pleriq; sociorum inclina-  
 tis ad rebellionem animis, res nouas molituri uidebantur.  
 Ceterum Cardonius ab Verona cum ualida parte exercitus,  
 & ab Crema Prosper motis propere castris, ad oppugnandū  
 Bergomum uno tempore conuolarunt. Syluius quoq;  
 ab recenti clade reparatis copijs, accitisq; è Briganteis mon-  
 tibus peditum auxilijs, cum apparatu oppugnandæ urbis  
 Bergomum contendit. At Rentius qui res hostium perditas  
 ac profligatas esse existimans, relicta Crema, Bergomo pa-  
 rum munitæ urbi ac muro debili, cum suam tum exercitus  
 salutem temerè commiserat, cognito discrimine, parare ea  
 coepit quæ ad defensionem pertinebant. Concionatusq; ad  
 Bergomates docuit rem nullius esse periculi, modo pristi-  
 næ fidei memores esse & iuuare rem Venetam uellent, sicuti  
 antea impigrè liberaliterq; fecissent. Scire se propediens  
 affuturum cum uictore exercitu Liuianum: nec dubitare de  
 uictoria. Futurum enim esse, ut hostium copie in quibus ni-

PAULI IOVII HISTOR.

hil præter uana ducum nomina roboris inesset, una die aut nocte altera delerentur. Ante omnia susceptos hospitio milites alerent, darentq; operã, ne qui temere per urbem tumultus excitarentur, cætera sibi curæ fore. Ita ciuibus alacriter imperata faciētibus, suburbana ædificia lugente populo diruit, coactisq; ad opus ex plebe & ex agrestium numero tribus hominum milibus, introrsus ab nuro fossam denos pedes latam perducit, omne genus telorum locis idoneis imponit, & singulis cohortibus secundum urbanas tribus, certamœnium spacia defendenda attribuit. Campanas demũ (inuiolatũ ante eam diem sacri aris genus) templorũ turribus detrabit, & conflat: eorumq; metallo utitur ad fundendas lubricinas. Hæc sicuti impigre Rentius Bergomatesq; parabant, ita foris egregie ab tribus ducibus bellum gerebatur. Syluius cui id negotium demandatum erat, ab ea parte qua superiore anno castra habuerat, mœnia tormētis aggressus, quũ abolende ignominie auidus, obuã eundo periculis, ingentem mœnium ruinam edidisset, magis ac magis patefacto aditu, magnã spem irrumpendi Hispanis militibus fecit. Neq; Rentiani per decliua, ideoq; exposita falconum ictibus loca, absq; magno periculo hiantem maximis passim fenestris murum ligneis dolijs atq; cespitibus obiectis sarcire poterant. Quibus de causis, quũ pauor & consternatio ciuium ac militum animos occupasset, Rentius seruandi exercitus ac dedende urbis consilium cepit: Apparebat enim eos uix primum hostium impetum toleraturos, Hispanorumq; præsertim, qui supra cæteras bellicæ uirtutis laudes, scientia atq; artibus expugnandarum urbium maxime ualerent. Eo etiam minore ciuium spe militumq; fiducia, quod conãti per egregios artifices tormenta conflare, nullum iustæ magnitudinis

tudinis effingi potuerat, tanquam Dijs iratis, & sua ara in  
 humanam perniciem transfundi uetantibus. Igitur Rentius  
 nullam prælij fortunam periclitatus, sicuti omnium opinio  
 ne celerius, ita non pro uetere uirtutis fama, tubicinem emit  
 tit, & cum eo idoneos ex numero ciuium & militum qui de  
 ditione cum hostibus agant. Quòd ubi in castris uulga-  
 tum est, conclamant milites è manibus eripi sibi uictoriam,  
 contumeliosèq; & ingratiè facere duces, quòd se omnium re-  
 rum indigos & militum miserrimos, confectos labore atq;  
 uulneribus tenuissimis stipendijs alant, quum uerò ad præ-  
 dam & ad parata belli præmia uirtute uiam aperuerint,  
 tunc malignis consilijs & foedis pactionibus faciles expedi-  
 tasq; uictorias interpellent. Seruari eo modo hostes, non de-  
 terreri, ac foueri bella, nò confici, dum priuatis questibus du-  
 ces student, & sanguine militum abutuntur. Ideoq; se in po-  
 sterum dicto audientes non futuros, si in tanta delendi hostis  
 occasione, suis præmijs & proposita laude fraudentur. Syl-  
 uius quoq; quòd cum recentis iniuriæ dolor uehementer in-  
 citaret, ad Rentij priuati hostis & opulentiæ urbis excidi-  
 um ferebatur. Sed contrà diserebat Prossper, ab insita mode-  
 ratione clementiaq; Italico præcipue sanguini parcere, &  
 clades ab agris atq; urbibus auertere solitus. Non enim mi-  
 litum libidini obtemperare duces debere, qui militiæ ad sum-  
 mum laudis decus aspirent, & à iusta generosi animi probi-  
 tate famam quarant, latrocinantiumq; militum immanita-  
 tem abominentur. Eam enim esse propriæ disciplinæ ratio-  
 nem, ut incruentis, quantum fieri possit, armis uictoria pe-  
 tatur, & urbes ad parte pacis commoda diligentissimè con-  
 seruentur, ut inde uberrima militi stipendia cum laude, non  
 spolia immerentibus populis, aut altaribus & fanis cum

nefario scelere detracta proueniant. Itaq; sibi uideri cum  
 Rentio Bergomatibusq; de deditione perquam mature tran-  
 sigendum, proficiscendumq; continuo aduersus Liuianum  
 citra Athesim cuncta metu cladibusq; miscentē, quem facile  
 paludibus implicitum oppressuri sint, si in eum totam belli  
 molem conuertant, opportune quoq; Piscarium iam à Vero  
 na descendente facturum inde negotium hosti, ad non du-  
 biam uictoriae spem. Quod si hæreant, atq; oppugnando du-  
 biam prælij fortunam tentent, & incerta certissimis antepo-  
 nant, accidere posse, ut hinc & illinc elapsam occasione con-  
 querantur. Quin etiã meminissent se cum strenuo duce, cum  
 ualido ueteranoq; præsidio, cum pertinacissimis ciuibus ex  
 iniquo loco dimicaturus. Quòd si id Fortuna tribuat, ut per  
 uo detrimento uictoria paretur, nihil certe deuictis hostibus  
 Cesari præter deletæ urbis ruinas relinquendum, & quod  
 suorum singulari damno incommodoq; accidet, ditati præda  
 milites à signis sine missione aliò atq; aliò dilapsuros: At ur-  
 be incolumi sperari inde certa stipèdia, quibus milites in offi-  
 cio continerent, permansurosq; demũ in perpetua fide Ber-  
 gomates, si eo clementiæ beneficio deuincerentur. Huic tu-  
 ta mitioriꝝ sententiæ Cardonius facile assentit, & Bergo-  
 matibus ex merito de fortunis ac uita desperantibus incolu-  
 mitas datur. Rentius uerò cum præsidio ( erant ij ad quatu-  
 or milia equitum ac peditum ) sine tuba, sine tympano Cre-  
 mam redire permittitur, ea conditione, ut quantum ad rem  
 Cremensem pertineret, trium mensium induciæ forent: atq;  
 ita Borgomates multati pecunia, leuitatis suæ poenas dede-  
 runt. His rebus confectis Cardonius et Prosper stipendium  
 militi persolunt, & cum expedita parte exercitus, sicuti  
 animo proposuerant, ad Liuianum qui tunc ad Alieniacum  
 castra

castra habebat, quàm maxime possunt iustis itineribus proficiscuntur. Eodem quoque usi consilio Piscarius & Alarco, eductis Verona copijs ad Montem Silicem iam peruenerant, atque idoneo in loco ultra Athesim castra posuerant, rati Liuianum è Rodigio atque Alieniaco in uetera castra redeuntem, à proposito itinere auerti atque intercludi posse, uel necessitate itineris in proximas regressum paludes expugnatum iri ab ipsa locorum iniquitate. Sed Liuianus haud ignarus rerum quæ ad Bergomum infœlicem exitum habuerant, iudicans Cardonium & Prosperum nullam moram facturos, quin celeriter ad se opprimendum per Cremonensem agrum & Mantuanum conuolarent, ne sibi cum duobus exercitibus res foret, in pacatum excogitato nouo itinere se recepit. Tormentis enim ac totius exercitus impedimentis ratibus impositis, quæ secundo amne Athesi in Adriaticum deueherentur, ipse continentes ac difficillimas paludes ingressus, quàm nunquam antea exercitus ductus fuerat, ad Capud aggeris maritimum uicum non longe à Clodia fossa, præter hostium atque accolarum opinionem, incolumen reduxit exercitum. Nec multo post Maximilianus Sfortia Nicolaum Scutum, quem non longè ab Abdua cum equitum & peditum manu auxilio Bergomatibus uenientem pauci Heluetij in itinere ceperant, capitali supplicio affectit. Erat is propter bellicam uirtutem maioribus suis dignus, sed qui lingua immodicus, dum Maximilianum insolenter carpit, male principum uires superbo præcipitiq; ingenio metiretur. Sub idem tempus Galli, qui reliqui omnium in Italia apud Genuam in arce Phari tunc maxime terra marique obsidebantur, ditionem fecerunt. Verum, quum per uiginti septem menses, quibus egregie obfessi omnes rerum asperitates tolerauerant,



## PAVLI IOVII HISTOR.

*sepe uarij & memorabiles casus acciderint, non prætermittendum uidetur quod dignum memoria existimauimus. Soluerat à Nicæa Prouinciæ Ludouici Regis iussu uir Dalmatia, rei maritimæ assuetus, cum nauigio iustæ magnitudinis omni genere commeatus onusto, eo consilio, ut suis ad Phari arcem multarum rerum inopia laborantibus opem ferret, quod duobus minoribus ante nauigijs fœlici nauigatione contigerat. Is præteruectus superionem Liguriæ oram, imprudentibus his qui cum expedita classe ea maria custodiebant, rapidū ex alto nactus Aphricum, conuersis uelis Pharium tenuit, atq; arcis scopulo appulsus, obsessis quibus attineretur, rudentes dedit, & anchoras iecit, tanta Gallorū lætitia, quanta necesse erat in summa rei frumētariæ desperatione. Nec Ligustica classis quæ in statione erat, quanquam ex itinere prætereuntem, tormentis peteret, contra uentorū uim eius impetū prohibere potuit. Itaq; Galli nautæ in proximū litus exponere partem cōmeatus iam cœperant, cum maximo dolore populi Genuensis, qui ad mare effusus, & speculas & littoris spatia compleuerat, gemens frëndensq; impotenti ira, quòd tot mensum diligentia & operā ac paratum laboris & industriæ fructum puncto temporis amisissent. Cæterum Emanuel Caballus inter Ligures rei naualis pertissimus conuersus ad multitudinē: hodiernum inquit negotium occasio est atq; uirtutis, non irarum uel intempestiui quæstus. Quare macti uirtute iuuenes, qui tantū decoris animo atq; oculis sustinere non potestis, mecum hanc nauem statim conscendite, & si unquam pro gloria dimicastis, nunc maxime ad retinendam naualis discipline existimationem, patriæ ac ciuibus fortissimam operam præstare. Nec mora scandentem onerariam nauem trecenti ferme iuue*

iuuenes, duce Andrea Auria uiro impigro, secuti sunt, nihil miserabile mortis genus horrentes, quū haud dubie obuiam hostium tormentis eundum esse intrepidis animis reputarēt. Emanuel summa celeritate explicatis armamenti statione egressus, modico in altum capto circuitu, quo aura plenius uela inflaret, secundissimi uenti beneficio, rectā ad hostium nauem contendit: nihilq; territus crebris pilarū ictibus, quibus continenter ab arce petebatur, iniecto statim harpogone, in eam primus insiliit, & præcis rudētibus quibus propugnaculo arcis alligabatur, momento temporis auulsam in altum abripuit, tanta arte atq; peritia inter scopulos hostileq; nauigium directā prora, ut quod propositi erat in maximo periculo, & nauem excluserit, & abrasis scopulis paratum naufragium euitarit. Interiere tamen aliqui tormentis dilacerati, & Andreas ea incidentium pillarum procella et tonitus, uix post multos dies ad se rediit. Dalmatam uerò nauis præfectū, qui in mare se precipitauerat, ut ad arcis scopulos adnataret, Iustinianus nobilis adolescens per undas itidem adnatando, euadentē consecutus, crinibus arreptum in proximum litus pertraxit. At Caballus captiuam trahens nauem, dum extra tormenti iactus in altum eueberetur, facilē ex alta nauī in humilem transcendētib; armatis, ad sexaginta Gallos interfecit aut cepit: mox regressus ad classē, summa populi gratulatione suscipitur, donaturq; quingentis aureis, præda uerò socijs naualibus diuisa. Fucere ad centum uini amphoræ: frumenti & salitæ carnis uis ingens: tormentarij pulueris triginta cadi: præterea arma omnis generis. Signata pecunia in stipendium triplex: uestis multa: & uaria id genus, quæ ad soluendam obsessorum inopiam excogitari parariue potuerant. Ea res non

PAULI IOVII HISTOR.

tantum presentis com meatus certam spem interpellauit, sed in posterum docuit, nihil temere nauibus committendum aduersus eos hostes, qui iure maritima uirtute atq; pericia longe alias gentes anteirent. Post id factum, apparuit Gallos, qui omne cibariorum genus absumpserant, dedituros fuisse arcem nisi ( ut suo loco memorabimus ) ante euentum prælij Nouariensis, Adurni & Flisci eos omnibus necessarijs rebus adiuuissent. Nouissimè uerò Octauiano rerum potiente quum ciues diuturnæ obsidionis tedio atq; incommodis fatigati, nec supremam hostium famem, nec ullam iam temporis moram æquo animo diutius ferrent, nouum oppugnationis genus instituerūt. Vni enim huic curæ maxime erant intenti, ut quandoq; infestissima arx, quam Galli Liguriæ frenum appellabant, in perpetuam spem liberatis expugnata tolleretur. Persuaserat Octauiano atq; Senatui Petrus Hertruscus machinator & artifex mirabilium operum, posse facile excindi arcem, si actis per subiectam rupem cuniculis, immissoq; tormentario puluere, exëplo Neapolitanæ arcis, nota certaq; ratione seuituri demum intus ignes excitarentur. Verum quū nec à terra, nec ab aperto mari, ui ac multitudine tormentorum hostilium prohibente, destinatus animo artificis locus adiri tutò posset, summa negotij difficultas ab omnibus proponebatur. Arx enim præciso undiq; scopulo imposita, qui porrectus in mare, peninsulae formam efficit, à continēte propter oppositi montis frontem, angustum & abruptum locum habebat, omni iniuriæ tormentorum atq; telorum expositum. Quà uerò circumfluo mari alluitur, propugnacula erant idoneis in locis erecta, instructaq; maioribus colubrinis, quibus cōspecta in alto nauigia interuallo etiam uiginti stadiorum, è destinato peti poterant: si-  
mulq;

mulq; lunata facie patefcens portus, & operofa moles quæ  
 in altum excurrrens frontem oftendit, adeo infeftra reddebantur,  
 ut nec humile quidem nauigium in portu confiflere au-  
 deret, atq; uniuersa clafis ad Carinnianum littus, quod ob-  
 iectu molis tegebatur, fufpecta & malefida in ftatione age-  
 re cogretur. Hac etiam rerum iniquitate propofita, quum  
 humanis artibus locorum afperitates audendo agendoq; fu-  
 perari poffe exiftimarent, eodem Hetruſco auctore, nauigi-  
 um ad Pontonis formam edificant planiore carina latum ca-  
 paxq; & ingentis etiam molis patiens: huius latera cinge-  
 bantur continenti & perpetua faccorum ferie, in quæis lanæ  
 tormentaq; inerant, atq; id genus rerum quæ molliter ce-  
 dendo uim tormentorum facile excipere atq; eludere con-  
 ſueuerunt. Id noctu ab arcis ſcopulos impune adigi poffe ſpe-  
 rabant, quò ſi peruenirent, quod nullus tormentorum eſus  
 ab alta arce in ſubiectos foret, pluteis ac modica teſtudine  
 tectis foſſoribus excauari tutò poffe ſuppoſitam rupem om-  
 nium opinione confirmabant. Igitur paratis ad hoc ferra-  
 mentis ſabros imponunt, adduntq; præſidio cum delectis mi-  
 litibus Gigantem Corſum ſingularis animi centurionem.  
 Ratio autem adigendi nauigij hæc una reperiabatur, ſi no-  
 ctu ingentem anchoram lembo aduectam ſub arce profun-  
 do mergerent, indeq; ductarium & longiſſimum funem ad  
 nauigium perducerent, ea ſpe ut cum uerſatili machina col-  
 ligere funem cœpiſſent, reſiſtente anchora nauigium neceſſa-  
 rio pertraheretur. Hæc quum imperata atq; ſcèliciter perfe-  
 cta fuiſſent, & quieto mari intempèſtaq; nocte nauigium  
 adigeretur, Galli in omnes hoſtium motus excubantes, utpo-  
 te qui per ſuæ factionis homines, multum antea cognitæ eor-  
 um conſilijs Pontonis aduentum ſenſerant, ſubitò ſaxa, tor-

PAULI IOVII HISTOR.

menta atq; animos ad id certamen prepararunt. Enim uerò, ut postea ab ipsis Gallis cognitum est, summæ audaciæ uir- natores non deerant, qui noctu stationem fallerent, & lite- ras in arcem deferrent. Iam dimidium itineris nauis confice- rat, quum Galli extructam in summis propugnaculis ingen- tem pyram continuo succederunt, cuius latè relucens flammâ subiectum mare discussis tenebris illustrauit, tanta claritate, ut tormentorum certissimis semper ictibus nauigium pete- retur, & penitus transuerberaretur. Quæ res omnium ani- mos fregit, quòd se noctis tenebris tectos fore, & obiecta re- media omnem eam uim impunè latura crediderant: quòd se- cus accidit, nã prima pila adacta in proram, dilaceratis ali- quot militibus & fabris, à puppe etiam euasit. Secunda pa- riter & tertia ac quarta innuenerabilesq; aliæ, horrenda in- tus strage edita, dissectis miserabiliter humanis artubus, cruo- re, cadaueribus & desperatione totum nauigium compleue- runt. Ita quum quisq; mecu mortis ab officio decessisset, nec ulla iam spes salutis consternatis corpore atq; animo relin- queretur, in mare præcipites defiliunt: Ibi plures schaphis excepti quæ ad ferendum auxilium periclitantibus suis aduo- lauerant. Alij uerò, in quæis fuere Gigas & Hetruscus nan- tes, oppugnati etiam in undis multis falconum ictibus, inco- lumes tamen ad litus peruenerunt. Nauigium uerò quassa- tum pertusumq; narijs in locis, paulo post est demersum. Ac tunc maxime usus rerum omnium magister edocuit nihil ua- lidum aduersus uim atq; impetum tormentorum, humana so- lertia posse comparari. Inclinate autem æstate, quum Octa- uianus summa diligentia qua Pharos terrestri itinere adi- tur, dispositis in statione cohortibus, & triplici classe in alto constituta, ueluti lunari acie circumiecta maria clausisset, custodes

custodes ad deditiōem compulsi: namq; intolerentia famis Gallorum corpora aduersa ualido tentauerat, atq; ea uis morbi ingruente autumno & desperatis uitæ subsidijs, grauissime grassatura uidebatur. His uerò conditionibus arce excessum est, ut præsidarijs stipendium ab Octauiano populoq; Genuensi continuò persolueretur, & sine fraude nauibus Massimiliam adueherentur. Ita tradita arce & recepto stipendio incolumes in Galliam transportati. Populus uerò leuatus, tanto onere ac cura, quanquam superis gratias ageret, & plurimum ea uictoria letaretur, omnes tamen quum memoria repeterent, quo dolore, quantaq; pecunia eam arcem impotenti Imperio uictoris regis in collum propriosq; humeros erexissent, illam demum captam pauidis etiam animis horrebant. Apparebatq; eam maiores calamitates quantodq; allaturam liberæ ciuitati, nisi quàm primum ueluti excusso seruitutis iugo, fortes atq; optimi ciues in memoriam recuperatæ libertatis, tanquam suspectum & exitiabilem excinderent atq; delerent. Vnus quo minus id fieret Octavianus prohibere poterat, quum arma præsidiaq; teneret. Sed is magno & liberali animo priuatis ambitionibus publicum decus prætulit, maximoq; fauore omnium à fundamentis arcem euertit, aliquanto tamen maiore uirtutis indole desiderio cinnum satisfecit, quàm postea dignitati patriæ atq; Matris consulerit.

# PAVLI IOVII NOVO-

COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI

*Historiarum sui temporis.*

## LIBER XIII



ANNVS qui fuit à partu Virgini-  
 nis millesimus quingentesimus  
 quartusdecimus, uniuersam in  
 primis Italiam ceterasq; prouin-  
 cias quæ proximè bello exarse-  
 rant, quietissimas habuit: nulla  
 tamen spe futuræ pacis: quan-  
 doquidè diuturnitate bellorum  
 fessi principes, quum haud dubiè attrita omnium uires facile  
 reparari non possent, ueluti consensu quodam arma posue-  
 rant, quæ mox infensoribus animis resumerent. Adeo acer-  
 ba inter se odia uicti uictoresq; exercebāt, ut ueteres contro-  
 uersias, quibus nouas etiā belli causas in tanta uarietate ca-  
 suum addiderant, finituri minimè uiderentur, nisi alterutris  
 nihil reliquū Fortuna faceret, uel utriq; per mutuas clades  
 ad internitionem bellando conciderent. Sed quantū pacata  
 Italia Occidentisq; prouinciæ leuata bello uidebantur, tan-  
 tum Septentrio, & magna pars Orientis, eo belli incendio  
 deflagrarunt, quod cōtinenti ueluti flamma, à uiginti annis  
 uniuersum terrarum orbem peruagatum, & magna impe-  
 ria, & nobilissimas gentes, cladibus terroreq; concusserat.  
 Ortum primò bellum in Pannonia atrocitate sceleris potius  
 nouitateq; periculi, quàm rei gestæ successu memorabile.  
 Imperabat tunc Pannonijs Vladiskaus Sigismundi Sarma-  
 tarum

earum regis frater, Matthiæ Coruino Hunniadis filio, cui  
 successerat, omnino dissimilis. Namq; Matthias rei militaris  
 peritia, magnitudine animi, & felicitate rerum gestarum  
 ueterem Imperatorum gloriam æquauerat: hic uerò dis-  
 cordia atq; ambitione procerum, & uiduæ reginæ libidine,  
 quæ formosi & maxime illustris noui regis nuptias appetē-  
 bat, potius quam insigni uirtute à Bohemico ad Pannoni-  
 cum Imperium euectus cum singulari prouinciæ detrimento  
 & fortissimæ gentis ignominia, sæpe pudendam pacem atq;  
 otium necessario bello prætulit. Siquidem Turcarum incur-  
 sionibus sæpe lacesitus, qui finitimos agros exurere, & ma-  
 gnam captiuorum multitudinem quotannis abducere con-  
 sueuerunt, semel aut bis iustum exercitum instruxit: quo ter-  
 rorē represit hostibus, præsentī metu potius finitimos soluit,  
 quam quod exemplo Hunniadis, hostile solum infestis armis  
 ingressus populando urendoq; eos quoq; similes clades ti-  
 mere docuerit. Sed quum Selymus Turcarum imperator Per-  
 sico bello implicitus (ut mox ex ordine rerum memorabimus)  
 omnes Europæ copias per Hellepontum in Asiam traiectu-  
 rus esset, uigeretq; etiam tunc bellum in Croatia, pleriq; re-  
 gni proceres, & in primis Thomas cardinalis Strigonien-  
 sis, excitato rege, propulsandi atq; inferendi belli consilium  
 cœperunt, quasi nutu Deorum bene gerendæ rei facultas of-  
 ferretur: quod nudata præsidio Moesia, & Illyrii Triballiq;  
 insensissimi Pannonis hostes, abducto à Selymo flore militum,  
 inualidi ad resistendum nidebantur. Verum ea tempestate  
 adeo affectus Pannonicarum rerum status erat, ut opulen-  
 tissimum paulo antè imperium, commutata cum rege fortu-  
 na, intestinis malis corruptum, ignobile exhaustumq; iace-  
 ret. Namq; Vladislaus cum senio, tum multa obesi corpo-



## PAULI IOVII HISTOR.

ris aruina oppressus, & solis confisus Dei Diuorumq; auxilijs, quos summa pietate pro salute sua atque incolumitate imperij iam pridem accuratis precibus fatigabat, omnem regni administrationem omiserat, ab una tantum innocentia, facilitate, indulgentia, & quod plerunq; sui ac imperij obliuisceretur, à proceribus commendatus. Quam occasiorem nacti complures reguli, & quisq; in prouincia potentissimus, qui Matthia uita functo, atq; extincta cum eo militia, otio atq; auaritie se corrumpendos dederant, fraude & malis artibus regnum præde loco habere cœperunt, oppugnare oppida & urbes, plebem & miseros agricolas impotentis dominatu & intolerandis exactionibus exagitare, non armis, non equis, aut deniq; militari gloria (uti mos gentis erat) sed uni tantum rapinæ atq; auaritiæ studere. Quibus de causis quum regni opes fœdissime dilaberentur, neq; re-ditibus imminutis atq; euersis uectigalibus pecuniæ bellorum nerui pacisq; subsidia ulla iam apud regem essent, neq; propositi belli rationem, neq; modum cogendi exercitus facile reperiabant. In ea difficultate negotij, quum res ad consilium deferretur, aliqui suadebant nihil temere audendum contra eum hostem, qui si Asiatico bello se explicet, aut diuisis uiribus retrospiciat, aduersus Tyronem & collectitium exercitum robustissimas Ianizarorum legiones, & exercitatum atq; innumerabilem equitatum tanquam ad certam paratamq; uictoriã ducturus sit. Proinde ea maturius consideratiusq; tractarent, pertinere eandem belli causam ad Cæsarem & Sigismundum Sarmatarum regem, qui in Carinthia atq; Polonia hisdem quoq; periculis misceretur. Itaq; explorarent eorum animos, uoluntatesq; perspicerent: quum nihil recte aut ordine fieri possit, nisi communi consilio & uiribus bellum

bellum geratur. Erant uera hæc: sed uanum aut difficile uidebatur sera ab his expectare auxilia, qui proprijs bellis distinerentur. Nam Casarem Italiae rebus intentum Venetus multo pertinacius quam unquam antea, amissas urbes bello repetens exercebat. Sigismundum uero in finibus Lithuanie Moscorum & Scytharum arma, qui superiore estate incursum fecerant, & Smolenchum oppidum occupauerant, suarum rerum sollicitum alienos casus respicere minime patiebantur. At cum Tinninum Illyricæ Croatiae oppidum propter maximam loci opportunitatem totius regionis propugnaculum, interca Turcarum impetum egregie sustineret, appareretque Turcas qui è proximis praesidijs uni huic curæ animos intendant ut loco potirentur, nullo postea negotio ad ulteriores gentes peruasuros, in consilio decernitur euocandos esse milites qui Christianæ religionis auspicijs militent, & gratuita opera regni fines tueantur, maximeque Tinninum atque omnem Croatiam ab iniuria defendant. Ea regio ad Illyricum pertinet, ab Aquilone latos habet campos, ab Austro ad Iulias alpes usque ad Lyburnicæ oram se extendit. Introrsus Savius flumen ex Carnicis alpibus per Illyricos placido cursu effusus, simul Cetina & Hunna minores amnes provinciam claudunt. Igitur Thomas, qui nuper à Leone Pontifice legatione suscepta ad Vladislaum uenerat, aduocata frequenti concione, & recitatis sacris diplomatibus, pollicetur eis qui arma induerint, & pro Christo deo aduersus Turcas in acie steterint eorum criminum ueniam, quæ humana fragilitate præter instituta legis impie commississent: et denique egregiam mortem occumbentibus æternam cum diuisi felicitatem. Ad huius edicti famam multi mortales coiuere, quibus Cardinalis purpurea cruce obsignari pectus iubet, eosque

PAULI IOVII HISTOR.

cruciferos milites appellat. Sed mox quum latius per regni  
 fines ea fama uagaretur, innumerabilis agrestium multitu-  
 do relictis pagis arma sumpsit, etenim durū laborem asper-  
 nati, & tunc maxime nobilium odio desflagrantes, pars mul-  
 tō maxima tedio uitæ potius quàm pietate religionis addu-  
 cti, ad urbem Pestum confluebant. Ea urbs in ulteriore ripa  
 Danubij sita, interlabente fluuio Budam contrā respicit. Nec  
 Pesti solum, sed in uicis atq; oppidis, ubi primi hisdem per-  
 suasionibus domo exciti ex itinere alios atq; alios sibi asso-  
 ciauerant, non contemnendæ manus armabantur. Igitur Bar-  
 bara atq; incondita multarum gentium colluuiæ, quæ sicuti  
 non una causa arma ceperat, ita nullo salubri consilio gere-  
 batur, primò inolescere aduersus nobiles, ac iactare uenisse  
 tempus quo serui cum dominis uitæ conditionem commuta-  
 rent. Postremò summa procacitate poscere commeatum, rap-  
 to passim uiuere, et comminari nobilibus excidiū, nisi con-  
 tinuò eorum facultatibus iuuarentur. Thomas qui ab initio  
 ad duo milia equitum & peditum agrè se conscripturum  
 putauerat, ubi renunciatum est passim manus cogi, exciti  
 sedibus remotas etiam gentes, & breui demum si sparse  
 uires in unum conserantur, supra quadraginta milia bella-  
 torum in armis fore, tanta territus multitudine, publico edi-  
 cto uetat superuenientes cruce signari, si qui priuato consi-  
 lio sibi cruces affixerint, his aqua & igni interdicit, atq; ead-  
 dem cæteras comminatur, si his tanquam impijs & sceleratis  
 non decesserint. Primi ex uoluntarijs in queis erāt pleriq; ui-  
 ri honesti, qui pietate & promerendis cœlestis uitæ premijs  
 nomina dederant, & à Cardinale cruces sumpserāt, Ambro-  
 sio duce continuò secesserunt, atq; arma posuerunt. Cete-  
 rum alia multitudo quum neq; ulla denunciatione supplicij  
 permo-

permoueretur, nequaquam à tam foedo incepto abſistere, populari uicos, expugnare uillas, capere & per omnes cru-  
 ciatus interficere nobiles, atq; eorū agros omni belli clade  
 uastare. Nec mora feroces & turbidi neglecta religione, et  
 ſp̄reta auctoritate regis atq; legati, ne ſine imperatore, ſine  
 auſpicijs exercitus eſſet, regem deligunt Georgiū quendam  
 Sechelum, uirum fortem, intrepidum, omnis ſceleris auden-  
 tem, nec ignarum militiæ: & ſuper hæc, nobilitatis hoſtem  
 accerrimum. Is bipartito exercitu quo latius terrorem ſpar-  
 geret, & quàm effuſe graſſaretur minoribus copijs Luca-  
 tium fratrem præſſe iubet, ipſe cum robore exercitus ſub-  
 lato crucis uexillo ad urbem Varadinum hoſtiliter ducit, in  
 itinere cuncta in prædam uertit, nobiles quos capit, adacta  
 per ſedē præacuta ſude, miſerabili ſupplicio enecat: matro-  
 nas, ingenuas uirgines uniuerso exercitui prostituuit. Vara-  
 dinenſes cognita agreſtiū immanitate equitatū omnē urba-  
 num emittunt, ut agrum ab iniuria defendant: cum his agre-  
 ſtes incunt pugnam, ac primo impetu temerè inuectos equi-  
 tes fundunt, magna ex parte trucidant. In ea rerū perturba-  
 tione Vladislaus & Tomas conſilij propè inopes, quòd ex  
 inſperato omnia foeda aduerſaq; obuenerant, trepidare, ar-  
 mare prætorianos, præſidia ab ſinibus Turcarū reuocare,  
 quod Peſti, quod Bude equitum erat colligere, atq; auxilia  
 demum à Caſare, à Sigifmundo, à Bohemis poſtulare. Inte-  
 rea Georgius ad Cinadium contendit, eam urbem, quòd  
 ut pleraq; regionis ædificia ex cratibus materiaq; conſta-  
 bat, cumulo fermentorum & ſtramenti ſtruibus circumual-  
 lare inſtituit, ut nec tentata quidem oppugnatione ſubitis  
 flammis incluſos, atq; ædificia ſimul abſumeret. Urbis  
 Epifcopus, qui ex apparatu hoſtium futuram calamitatem

PAULI IOVII HISTOR.

praesenserat clam ex oppido in proximas sylvas effugit. Ceteri serè omnes pars fumo, pars igne aut telis circumfusa stationis, quæ, ne ullum miseris pateret effugium, loca flammis intacta atq; omnes exitus obseruabat, cum oppido miserabiliter perierunt. Postridie uerò Georgius Cianadiensem Episcopum quem repertum in syluis agrestes uinctum in castra perduxerant, coràm multis affectum probris & contumelijs, ferrea claua percussit, & semianimè palo infixum spectandū exercitui præbuit. Simili quoq; rabie quosq; clarissimos genere & opibus, aut sacerdotis, insignes confectatus, ut in manus uenerant, exquisitissimis tormentis dilaniauit. His acceptis incommodis & maioris etiam claudis metu percussa nobilitas, passim per urbes habitis consilijs, quibus tanto discrimini atq; imminentibus malis obuiam iretur, arma, tela, equos, tormenta, quanta fieri potuit celeritate aduersus hostes comparauit. Primus omnium Iouanes Bornemissa, uir inter eas gentes ut barbarum nomen sonat, maxime sobrius, delectus à rege cum Budano exercitu Danubium traiecit, & in patentibus campis contra agrestes quibus Lucatius præerat, aciem instruxit. Sed non prius solerti uir ingenio pugnandum sibi cum efferis hostibus iudicauit, quàm eorū animos pertentaret, experireturq; an ullis persuasionibus sanari possent. Igitur circummissis præcones, qui proposita uenia & ostentatis præmijs liberam transeundi ad se potestatem pronunciaret, eos uerò qui apud Lucatium mansissent, nullam spem postea salutis habituros, breui non contemnendam eorum manum in deditionem acceptam in castra recepit. Mox Lucatium & ceteros crebris suorum transfugijs territos, eminens tormentis oppugnare adortus, quum inter munimenta carrorum quos  
illi

illi pro uallo Budanis obiecerant, pilariū procella magnam stragem edidisset, & mox collatis signis & circumfuso equitatu fusos & disiectos late occidisset, magnam eorum partem deleuit. Lucatius ab initio pugnae, quum haud dubie fortuna hostium esset, cum paucis celeri fuga ad Georgium fratrem se contulit. Bornemissa ea parata uictoria, Budam triumphanti similis inuectus, deditios magistratibus tradidit, ut ij ex iure & aequo quam maturè decernerent impijs ne data fides seruanda, an ab his qui tot calamitates intulissent, nobilium sanguis paribus supplicijs repetendus. Medicum quoddam censuere patres, ut in defectionis authores, atq; aliquos maleficijs insignes animaduertetur, ne fallendo publicam fidem, ius gentium uiolare uiderentur: paucorum tamen exemplo terrerent ceteros, pluresq; seruatos uelle, ne sublata spe ueniae, efferatos iam multis inmanibus factis aliorum animos, ad maiora scelera in ea desperatione salutis accenderent. Itaq; octo ferme securi percussi, quinq; sudibus infixi, gratissimum nobilium oculis spectaculum praeberunt. Nec multo post nobiles successu Bornemissae aucti animis: quum uagi & in plures exercitus diuisi agrestes eadem sauitia igne ferroq; omnia popularentur, prope ad internitionem gentis aliquod secunda praelia fecerunt. Dimicauere primo ad Nagelacum uicum foeliciter, mox apud Agriam urbem aliquanto maioribus uiribus & pleniore uictoria. Varadinensis quoq; dolore interfectorum ciuium, ac uindictae cupiditate accensi, prospero pugnae euentu recentē iniuriam expiarunt. At Georgius tametsi tot claudibus acceptis, et uires & ex aduersa fortuna omnē suam estimationē, quae maxima saepe rerum momenta in ipsis negotijs afferre consueuit, fratris uitio atq; imperitia legatorum

## PAULI IOVII HISTOR.

amiserant, nihilominus ipse animo non deficit, contractis reliquis ac accitis nouis auxilijs bellum reparat, & ad Tybiscum annum progreditur. Oritur is in finibus Sarmatarum delatusq; per ulteriorem Pannoniam, recepta prius Temesa, haud ignobili flumine apud Furtarchum Danubio miscetur. Ea erat natura rapidissimi fluminis, ut propter aquarum multitudinem uado transiri non posset. Itaq; Georgius ex proximis edificij dolia lignea, cathenas ferreas, tigna, trabesq; conquirat, ex his repente pontem fabricat, tabulisq; consternit tanta operis firmitudine, ut tormēta aeneos onustos com meatibus currus, atq; omnia impedimenta exercitus facile pateretur, atq; ita omnes copias traducit, eo consilio, ut in pacatiora loca abscedendo, nouas uires acquireret, occuparetq; aliquod oppidum in finibus Turcarum, quo se recipere, frustrari hostiū impetus, atq; inde tanquam ex munita tutaq; arce bellum in hyemem extrahere posset. Namq; ex Bohemia omni bellico apparatu instructas copias ad se opprimendum aduentare, praeterea omnes nobiles & Episcopos qui ex sacris redditibus turmas equitum alere consueuerūt, cum regio equitatu conferre in unū uires audierat. Erat Temesuar oppidum ab flumine Temesa praeterlabēte nomen accipiens, arte naturaq; munitum, quod maximo Pannoniorū studio propter finitimos Turcas ualido presidio tenebatur, id Georgius sibi animo proposuerat expugnandum, ratus si eo potiretur uenia & pacis magnam mercedem habiturum, uel si Rex pacem abnueret, ipse demum tradito oppido cum insigni munere ad Turcas desiceret. Igitur prolatis tormentis quae uel bello ceperat, uel ipse in castris conflauerat, moenia quatit. Mox ubi parum proficere uisus est propter loci iniquitatem, suorum imperiti-

am, propugnatorumq; uirtutē, consilium cepit inuadendi ab ea parte oppidi, qua flumine munitur, quod ibi nec altitudine muri, nec omnino arduo ascensu tutam, facilem et expeditam uictoriam ostendebat. Ergo in idoneum locum magna suorum multitudine ad opus ducta, fossas plures facere instituit, quibus Temesam paulò supra oppidum defixis in uado sublicis atq; aggestis cratibus obstructum magna ex parte auerteret. Nec successus deerat, nisi industria obsessorum, & provincialium perfidia ea res in irritum cessisset: siquidem magnis pollicitationibus atq; pecunijs empti aliquot eius regionis agricolæ qui in castris officij causa uersabantur, noctu transgressi in aggerem, quū nulla ibi militum statio excubaret, effractis obicibus quibus ab priore uado repellatur amnis, omnem illā aquarū molem ueteri alueo reddiderunt. Georgius spe potiundi oppidi sua etiam confesione deiectus, quū huc atq; illuc raptando exercitum animo uariis & conscientia scelerū exæstuans, nullum salubrem exitum male sanis consilijs suis inueniret, per exploratores fit certior appropinquare cum magnis copijs Ioannē Transsylvaniæ præfectum, quem Pannonij Vayuodam uocant. Is nuncijs Georgium quanquam ad omnia impavidum maxime perculit, & uim omnem agrestium & spiritus fregit. Erat enim Vayuoda, qui sibi postea regis nomen parauit, tametsi adhuc imberbis, propria indole & uirtute paterna, multis fortibus factis apud Turcas æque atq; apud Pannonios clarus, magnaq; erat eius exercitus opinio, quo cum Turcis Zapoluis pater in sinibus Transsylvaniæ multos annos continenter bella gesserat. Transsylvania ultra Danubium longè lateq; patens regio, ueteres Dacos & inferioris Mysiæ partem, extinctis Priscis nominibus, occupat,



PAULI IOVII HISTOR.

eius solum uarijs in locis auriferos surculos & glebulas au-  
 reas passim gignit. Ceterum pauca urbes, multa uerò op-  
 pida, nec rara passim aedificia uisuntur. In uniuersum, ar-  
 mentorum diues est, & militarium equorum ferax. Vladis-  
 laus regionem obtinet maiore gloria quàm prouentu. Siqui-  
 dem ueteribus prouinciæ terminis ab Aquilone Sarmatas,  
 ab ortu Valachos, Getas, & Turcarum fines attingit. Igitur  
 Georgius ut uidit instare fatale prælium, quo haud dubie su-  
 premis conatibus sibi agendum pro salute, aut egregie ca-  
 dendū iudicabat, circumueundo exercitum, capere arma mi-  
 lites iubet, & in æquū locum deducit. Inde aduocata conci-  
 one breuissimè docet quæ supplicia & cruciatus eos mane-  
 ant, qui ab suo rege defecerint, & nobilibus tot calamitates  
 intulerint, nisi unum omnes sentiant: & desperata salutis  
 conditione, forti animo prælij fortunam pericliuētur. Nihil  
 iam cōmeatus, nihil spei, nihil deniq; consilij in castris super  
 esse præter unam uirtutem & audaciam: qua freti si obsti-  
 nate in animum inducant, aut uincendum egregie, aut in ue-  
 stigio moriendum, cōmeatus abunde, tutos receptas, amicas  
 gentes, & ex usu uictoriæ salutem, opes, gloriam, inueni-  
 rent. Ex aduerso Vayuoda nulla magis admilites cohortati-  
 one usus quàm ut inermes sceleratosq; latrones despicerent,  
 neq; alicuius negotij futuram uictoriam arbitrarentur, qui  
 multos annos bellado pugnandoq; cum Turcis et Valachis,  
 fortissimarum gentium uictores discessissent, proprius ex-  
 ercitus admouit, immixsisq; leuis armaturæ equitibus,  
 qui expediētes arma hostes iniecta trepidatione turbarent,  
 aciem direxit, extensis ab cornibus quantum maximè pote-  
 rat equitū alis: ut à fronte simul & à lateribus, imperitam  
 multitudinem adoriretur. Georgius, ut in trepida re infra-

Et animo quicquid roboris in exercitu erat, in fronte collocat: ceteros quibus parum fidebat in subsidijs et in postremo agmine agere iubet, & citato equo ad primos aduehitur. Ibi continuo, & propositum pugnae signum et acriter utrinque procursum, stetero aliquantulum utraq; acies incerta uictoria: sed quum Vayuodani uirtute, armorum usu, et belli causa longe superiores essent, circumfuso equitatu, primos qui peruicaci audacia aliquandiu conseruatis ordinibus resisterant protriuerunt: mox alios primorum cade terribitos, acri impetu loco pulsos, in fugam uerterunt. Georgius cum Lucatio fratre, quibus ut parceretur Vayuoda iusserat, uiuus capitur, alij foedissima fuga toto campo sparsi ab equitatu passim interficiuntur. Magna tamen pars eorum quum proiectis ad terram armis flentes salutem peterent, conseruati fuerunt. Vayuoda ad internitionem Cruciferae nominis confecto praelio, Georgium tortoribus excruciantem tradit. Illi nudum & cathenis uinctum in equuleo constituant, & corona cadenti ex uomere conflata ut Regem mos est, coronant: uenisque dissectis, profluentem sanguinem potandum Lucatio praebent. Deinde ad uiginti agrestes qui in exercitu ordines duxerant, tridui inedia maceratos ad id crudelitatis cogunt, ut dentibus spirantis ducis artus dilacerent, atque diglutiant. Ille mira constantia, neque gemitum edere neque in miserabili mortis genere quicquam horrescere, unum tantum deprecari, ne infontem Lucatium quem ipse renitentem ad id bellum perduxisset, his cruciatibus dignum existimarent. Postremo laniatis omnibus membris, quum diutius grauissimos dolores uel immani spiritu sustinere non posset, extractis uisceribus exenterant, in frustra secant, atque alienis & ueribus coctum, comedendum militibus

PAULI IOVII HISTOR.

suis apponunt. Eos uerò talibus epulis satiatis cum Lucæ-  
 tio omnibus supplicijs dilaceratos interficiunt, horrendum  
 sanè spectaculum, et ante memoriam nostram inauditū Bar-  
 barici supplicij genus, à quo tamen, & si Georgius extrema  
 quaq; meruerat, uiri Christiani animum atq; oculos auer-  
 tere debuissent. Ea miserabili carnificina deletis agrestibus  
 qui duorum fratrum signa secuti fuerant, ceteri earum par-  
 tium per Pannoniam in plures manus sparsi, cognita suo-  
 rum fortuna, suas quisq; domos detractis crucibus abierunt.  
 Enimuerò & duces sibi fecerant, & coalituri crescente eti-  
 am tum perditorum multitudine, bellumq; priore atrocius  
 iunctis uiribus tracturi uidebantur, nisi ab incepto deterri-  
 tos quàm maturè Vayuodanus exercitus oppressisset. Tot  
 uerò tantisq; successibus eleta nobilitas, quum adhuc arma  
 retineret, in Cardinalem penè bellum conuertit, authorem  
 enim eum tantorū malorum calamitatumq; fuisse dictita-  
 bant. Nec abstinebant à probris & contumelijs, quòd in  
 summa auaritia, intoleranda superbia atq; ambitione regni  
 opes afflictasset, & Regē uix mente integra, et senectæ ui-  
 tijs affectū, peruersis cōsultationibus in ea pericula conijce-  
 ret, unde sibi cum excidio prouincialium ingentia auri ar-  
 gentiq; pōdera, et quàm latissimos fines paret: cessisse auari-  
 tiæ atq; libidini eius Strigonii nobilissimā urbem profano  
 iure abolito, et breui quoq; cessuram Budā atq; uniuersam  
 Pannoniā, nisi semel temeritati atq; auaritiæ suspectissimi  
 hominis occurratur. Thomas consensum atq; iudiciū id to-  
 tius nobilitatis existimans, ne autoritatē suam atq; salutem  
 temerè Fortunæ casibus obiectaret, plures dies Strigonij  
 mœnibus se continuit. Inde per literas atq; legationes apud  
 Regem his diluēdis quæ nobiles obijcerent, docuit nihil mi-

nus sibi seni ditissimo, & maioribus sacerdotijs insigni conuenire, quàm dolum auaritiam aut libidinem proferenda potentie, quæ tãta esset, quantam ipse ex humili fortuna ad summos honores euectus, nunquã desiderasset. Extare fidei atq; uirtutis suæ monumenta, nec sibi pro beneficijs contumeliam ignominiamq; reddendam, quòd pro dignitate Pannonici Imperij, & commodo Reipub. Christiane, id summa fide, & sincera piãq; uoluntate tentandum agendumq; existimaauerit, quod postea (satis ita iubentibus) corruptissimi omnium mortalium, summa impietate atq; perfidia perturbassent. Dum hæc utrinq; iactarentur, Bohemi iam pridem in auxilium aduersus agrestes Cruciferos ab Vladislao acciti superuenere, uirtute & genere armorum Germanis atq; Hungaris pares. Ii duce Bartholomæo professi se tutaturos regiam dignitatem, & uindicaturos armis quæ Rex fraude et furto procerum amississet, quum omnium animos in se conuertissent, intestini belli initia sustulerunt, maxime quòd Vladislaum cum Strigoniensi consentire et fauere illius cause, neq; passurum ut ille procerum armis oppugnaretur, apparerat. Nobis autem persuasum est Bohemos postquàm Cruciferos nomen interierat, domo iam excitos pecunia Cardinalis, in Pannoniam peruenisse, ea de causa, ut nobilium ferociam qui insolentiores spiritus sumpserant reprimeret, & dignitatem suam certissimis præsidijs aduersus eorum inuidiã tueretur. At dum Vladislaus egregia de Cruciferis parta uictoria, atq; intestini belli compressis initijs, Pannoniam pristinae paci quietiq; restituit, Sigismundus frater aduersus Moscouitas maiore fama ac uiribus bellum gerebat. Exarserat id multis antea annis tradita per manus à maioribus controuersa, quam de finibus Casimirus pater, ac mox fra-

PAVLI IOVII HISTORIÆ

res Albertus et Alexāder uario euentu atq; interpositis nonnunquam inducijs, cum eius gentis regibus exercuerant. Moscouitæ inter Sarmatas & Scythas positi ad Riphæos montes pertinent, ultimosq; Europæ atque Asia terminos ad Septentrionem incolunt, extendunturq; supra Tanais fontes usque ad Hyperboreos & glaciale Oceanum. Vastæ sunt eius regionis solitudines, attamen solum multis in locis frumenti atque ordeï ferax: ac passim herbidum, unde illis ceræ ac mellis magna copia, & ex armentis præcipuæ facultates. Cæterum quum introrsus processeris, uitium pomorumq; & melioris frugis impatiens, quòd terra omnis, Aquilonis flatibus exposita & perpetuis inculta frigoribus, non multum agricultura subleuatur. Metallorum uariæ sunt apud eos secturæ, quibus æs, plumbum, ferrumq; educuntur, nulla auri uel argenti fecunditate. Pro his tamen raro ac diuerso munere smaragdos & margaritas natura tribuit, & tenuissimas quoq; pelles, cebellinas uocant: Eæ sunt tergora paruorum felium colore subfuluo et mirabili leuore conspicua, adeò apud nos insigni raritate ac pretio, ut in sulctura uestium à solis principibus usurpentur. Mosca urbs Regia, atque eam alluens Moscus amnis uniuersæ genti nomen indiderunt. Influit Moscus in Volgam amnem qui prisco uocabulo Rha fuit. Oritur is in Hyperboreis, ac directò in occasum cursu, cæpos Tanai proximòs alluit. Inde curuatur, & retrò deflectit in Orientem ingenti sinu effictò: ac mox in Hircanum præceps euoluitur. Ab eo mari emporioq; Citracham, & aduerso flumine Volga Persarum merces panni serico & auro intexti, quibus Moscouitæ sumptuosius uestiuntur, in Moscouiam perueniunt. Circa Volgam longè lateq; solitudines patent quas Tartari Scythæ incolunt,

lunt, gens inhumana feritate, & incertis semper sedibus errans, ignara diuitiarum, atque inscia uoluptatum, quippe qui in curribus degant: & solis tecti centonibus, frigora & perpetuas niues tollent: quin & equina carne, eaq; sepius cruda uescantur. Ceterum equitandi peritissima gens, quum arcum tenet, aut acinacem stringit, ceteros mortales in prelio contemnere consuevit. Ante Tamerlanem eorum Imperatorem, qui Balaxetem Othomanum ingenti prelio superatum cepit, atq; Asiam Syriamq; uictore exercitu populatus est, quum nullis religionibus addicti, nec Christianos nec Turcicos ritus aut uix fama nouissent, maiora sidera pro Dijs, & conspicuas stellas uenerabantur, quarum obseruatione in ea uastitate camporum recta itinera tenere didicerant. Ultra Volgam constat plures esse Scytharum imperatores, qui ad Imaum usq; immensa terrarum spatia diuisis imperijs obtineant. Vnus ex eis cognomento Mingaresius paulò ante patrum nostrorum memoriam, cum amplius octuaginta milibus equitum Tanaim traiecit: uictorq; oram Mæotidis usq; ad Borysthenem fluuium populatus, Tauricam Chersonesum occupauit, in qua est Theodosia nobilissima Genuensium colonia, quæ Capha dicitur. Sed hæc aliquanto postea Turcarum armis cecidit. Porro Mingaresius quo tutius in Europa consisteret, aduersus Sarmatarum Roxolanorumq; impetum, in Isthmo à Mæotida in Pontum fossam perduxit, atq; perpetuo aggere communiuit. Id angustæ terræ spatium antiqui Dromon Achillis uocabant, ab eaq; intercisâ peninsule ceruice, Tartaros Tauricæ incolas, Roxolani hodie Præcopitas appellant. Igitur Moscouitæ ad Orientem Tartaros habent: ab Aquilone autem ultimi mortaliū perhibentur: ab Occasu mare Sarmaticum attingunt:

PAULI IOVII HISTOR.

habentq; in ora supra Liuonicum littus, Nogardiam urbem totius Aquilonis emporium. Ab continenti Moscouiæ, terra ingens enormi ac flexuoso littore ad peninsulae formam, in Occiduas partes excurrit, adeò oblongis littorum spatij ut extremo promontorio quod Nodrosium uocant, Orcadas atq; ipsam Thulem attingere uideatur. In eo terrarum tractu sunt Nouergia atq; Suetia, late nec omnino incultæ prouinciæ, & ignotæ priscis authoribus. Ea gentes maxime piscibus uiuunt, quorum magna captura est, dum piger Oceanus gelu cogitur, uel æstiuis caloribus resoluta glacie colliquescit. Brumalibus diebus uix horarum trium lucem habent. Internum mare uadosum est, & certis anni temporibus irremigabile. In eo quoq; sinu innumerabiles insule conspiciuntur, inter quas Gothia origine Gothorum clara. Ea ab riga Liuoniæ insigni urbe modico freto dirimitur. Secundum Gothiam Selandia est in Venedico sinu contra Vistule ostium, antiqui Scandauiam uocauere, unde nonnulli Longobardos profectos existimant, qui postea sedes in Gallia Cisalpina tenuerint. In hac Insula Cobena est Regia Christierni Dacorum regis omnium disciplinarum gymnasio insignis. Distat paribus interuallis atq; unius diei nauigatione à Nouergia, à Prutenico littore, & ab Cimbrica Chersoneso. Ad austrum uerò Moscouia Rusiæ & Lithuanie finibus terminatur. Rusiæ autem duæ sunt, altera ad Hercynium saltum, & ad utramq; Axiacis fluminis ripam uergit, Poloniæ & Transyluanie proxima. Tenuere quondam regionem Getæ, Daci, & Bastarnæ, triumphis atq; uictorijs Romanorum celebrati. Altera quam Barbari Albam uocant, ultra Borysthenem iuxta eandem Hercyniam ad Tanaim usq; porrigitur, à Roxolanis populis nomen accipiens, qui

qui in eo tractu maximè bellicosi, ab Othonianis ducibus clade accepta, clarum apud Romanos gentis nomen fecerunt. Hæc quam Albam ulterioremq; uocamus, Basilij Moscovitarum regis imperio paret. Illa uerò Polonici regni pars est. At Lithuania Poloniæ iungitur, adiacetq; Liuoniæ, quæ tota fermè littoralis est. Namq; ab intimo sinu Cimbricæ (quæ hodie Dacia est) ubi Lubeca celeberrima ciuitas, usq; ad Noruegiæ Isthmum & Suetiæ initio, Pomerani, inde Pruteni ac Liuones, tanti ambitus maris perpetuam oram tenent. Sic Poloni nouo uocabulo, quòd patentes incolant campos, pro Sarmatis appellati à Prutenis & à Liuonibus, Lithuani introrsus à Sarmatico mari summouëtur. Lithuaniæ caput Vilna antiquorum ducum sedes. Vniuersa regio nemorosa est & palustris, æstate uix peruia, glacie & niuibus in lacunas abeuntibus: hyeme autem sæuo Borea duratæ niues, expeditis etiam curribus iter præbent. Vltimi in Europa qui Gentilium ritus exuerint, fuere Lithuani, tempestate Vitoldi ducis tunc primùm Christianorum sacris initiati. Ea gens equitatu maximè ualet, unde magna Polono auxilia. Sed ij leuis armaturæ omnes egregium tamen subsidij genus cataphractis equitibus, quibus Poloni Germanico more utuntur. Polonia uerò ea est quæ olim Sarmatia, tota fermè circa Vistulam patens, eam etiam complexa Germanicam partem, quæ ab Odera ad Vistulam uergit. Hic amnis ueteris Germaniæ & Sarmatiæ terminus erat, nunc prouinciam medius secat, ac receptis amplius quatuordecim fluminibus, in Venedicum sinum apud Dantiscum celeberrimam urbem effunditur. Sarmatarum regia Cracouia est, quam idem Vistula amnis interfuit. Ibi Mathematicarum studia maximè florent. Publicè enim literarum studiosi bonas ar-



PAVLI IOVII HISTOR.

tes docentur, & in primis supputare syderum cursus atq; inde temporum uices, incerta bellorum, & in utranq; hominum fortunam arcana fatorum aperire consueverunt. Regnum diuitijs, ubertate agri atq; uirorum ingenijs, Pannonicum uix cedit. Adepta quoq; gens est magnam bellicæ uirtutis opinionem pluribus ac difficillimis expeditionibus. Prutenos quondam auxiliaresq; Germanos ingenti prælio uictos, interfecto Prutenicæ militiæ magistro, occisione deleuerunt. Amurathen Turcarum imperatorem ad Euxinum usque promotis castris, ad cogitationem inferendæ sibi mortis quandoq; compulerunt. Nostra uerò memoria uicere Valachos, à quibus paulò antè infœlici prælio insignem cladem acceperant, quum eis Albertus rex diro consilio Sarmatiæ nobilitatem trucidandam obiecisset, nec multis inde annis magnam Tartarorum multitudinem, qui ab Taurica populabundi Sarmatiæ fines inuaserant, quum onusti præda redire trans fossam pararent: circumuentos ad interitionem deleuerunt. De Mosconitis uerò cum quibus continenter bella gerunt, frequentiores uictorias enumerant, nam semper de ea gente triumphus acti, quoties iusto prælio dimicatum. Cæterum Polloni, Moscouitæ Lithuani & Roxolani non multum culto corporis, genere armorum, lingua ac moribus inter se differunt. Vestes omnibus longæ more Turcarum, sagittas, uelitarem hastam, & curuatos enses armorum potiora existimant: equitatuq; confidunt, pedatus inutilis æstimatur. Poloni tamen in aciem cataphracti prodeunt, & maiores equos ad statariam pugnam magis quàm ad excursiones idoneos habent: quorum anteriora ferreis laminis tegunt. Ipsi duobus cinguntur gladijs, altero oblongo & quadrato, quo punctim, altero autem lato ac breui

Breui quo casum feriant. Quin & legionem, in qua magna pars peditum schlopettarij sunt, Germanicè instructam ad longinquum etiam bellum ducere consueuerunt. Lingua Illyrica utuntur omnes, corrupta tamen, utpote quàm diuersi inter se populi, diuersis uocum inflexionibus inuenterint. Christum Deum omnes colunt. Verùm Moscouite, et utriq; Roxolani Græcorum ritus sequuntur. Moscouitæ uerò equorum atq; hominum multitudine ceteros antecedunt, etenim eos posse conficere centum & quinquaginta milia equitum constat, quod fortè supra ueri fidem positum uidebitur. Nobis sane retulerunt Petrus Aretinus architectus, & Paulinus Insaber tormentorum & bellicarum machinarum egregius artifex, centum milia equitum in castris uidisse, quum Ioannes, Basilij pater, apud quem plures annos stipendia meruerunt, aduersus Tartaros bellum gereret. Id quoq; prolixè confirmauit Demetrius Basilij regis legatus ad Clementem missus, quo docente, iubentq; Pontifice Moscorum mores & eorum regionis situm, peculiari libello descripsimus. Sed ut ad institutum operis reuertamur, erat in finibus Moscouitarum Smolenchum oppidum, quod propter crebras eius gentis incursiones, Sigismundi præsidij tenebatur. Adiacet opportuno in loco ulteriori Borysthenis ripæ, non autem Ruboni amni, sicuti perperam collocauerunt qui Ptolemæi libri nouas incogniti orbis tabulas inseruerunt. Namq; Smolenchum neq; Liuonio mari proximum est, neq; Moschæ urbi comparatum ad Septentriones uergit, ut ab expertissimis prouincialibus qui huic quoq; bello interfuerunt, didicimus. Id oppidum Basilius sicuti pleraq; alia Rusiæ & Lithuanie loca, ueteri quodam iure pertinere ad Moscouitarum imperium ratus, superiore

PAULI IOVII HISTOR.

anno oppugnauerat, obsederatq; per aliquot menses tanta  
 pertinacia, ut munitissimam arcem cessuram acerrimo hosti  
 appareret, nisi summa uirtute praesidij defensa fuisset, & in  
 tempore à Sigismundo Lithuanorum auxilia superuenis-  
 sent. Quorum aduentu Moscouita irrita incepto abscedere  
 coactus, quòd uiribus inferior erat & brumales dies sub-  
 erant in ipsa profectiois festinatione, relictis pluribus tor-  
 mentis, & multò maxima impedimentorum parte amissa, in  
 regionis ulteriora concessit. Eam uerò quæ secuta est hye-  
 mem in apparatu noui belli totam absumpsit, animo agitan-  
 s quibus consilijs ac uiribus Smolencho potiri posset, ratus ea  
 arce semel capta, propter maximam loci opportunitatem se  
 libere Lithuaniam omnem, atq; Poloniam infesto agmine  
 peruagaturum. Itaq; quum iam uernum tempus appeteret,  
 coactis supra quadraginta milibus equitum ad oppugnan-  
 dum Smolenchum descendit. Nec multo post nactus quos-  
 dam summæ perfidiæ praesidiarios, quorum animos per oc-  
 culta colloquia maximis pollicitationibus diu antè tentaue-  
 rat, per proditionem oppidum cepit. Occupato Smolencho,  
 Basilius tres equitum manus circum emisit, populatusq; pro-  
 ximos hostium fines Lithuaniam irrupit, cuncta simili belli  
 clade uastaturus. At Sigismundus qui tum sub ipsam aduen-  
 tus hostium famam è Cracouia Vilnam uenerat, ut ex pro-  
 pinquo intentus in omnes rerum casus facilius bellum admi-  
 nistraret, cum ualido exercitu Constantinum Rutenum ad  
 hostes progredi iubet. Erat Constantinus inter eas gentes ce-  
 leberrimi nominis Imperator, multum consilio & uirtute  
 animi, sed maximè corporis uiribus pollens, qui bello  
 quondam captus uulneratusq; apud Moscouitas in cathe-  
 nis atq; compedibus septem annos fuerat. Vnde illi ex do-  
 lore

lore uinculorum & uulnerum, uindictæ cupidine summus ardor & singularis industria in eo bello incomparabilè gloriam pepererunt. Sexcentis milibus passuum à Vilna Smolenchum distat, tantundè ferme itineris est è Smolenchob Moscam, pariterq; à Cracouia Vilnam, si recta inter Ortum & Septentrionem processeris. Sed à Vilna Smolenchum usq; itinera palustria, inculta, solitudine uasta, ducendo exercitui maximas afferunt difficultates, nisi in multos dies protuso comeatu, & longitudini itineris, & locorum sterilitati, quàm maturè consulant qui copijs præsent. Vsu enim apud eos compertum est, nulla re magis quàm commeatus inopia exercitus uinci, propterea ingentem quadrigarum numerum, quibus homini iumentoq; uictus feratur, ducere consueuerunt, in queis & salus exercitus & uincendi spes omnis collocatur. Constantinus his omnibus summa diligentia comparatis, ad Borysthenem decimis quartis castris peruenit. Ibi Moscouita ulteriorem ripam perpetua militum acie communiuerat, & idoneis in locis tormenta collocauerat, sperans Polonos pugnae auidos, ingressuros temere annem, & iniquissimo etiam loco prælium commissuros. Ceterum Constantinus quum biduo antè citra annem cum antecursoribus hostium, qui ad explorandum quales quantæq; Polonorum copie essent, superiore uado transierant, secundum prælium fecisset, ædito in loco subsistit, iudicans non temerè incertis rapidi fluminis uadis exercitum committendū, ne sibi cum parato hoste, cum tormentis, ad sinul cum ipso uorticosi annis impetu uno tempore res foret. Siquidem Borysthenes recepto Neprio anne ingentem aquarum molem trahens, cæca uada et abruptas passim ripas limeso inæqualiq; alueo transeuntibus præbet. Quibus de-

PAULI IOVII HISTOR.

causis Constantinus paulò supra castrorū locum missis exploratoribus qui altitudinem fluminis percontarentur, uadum repperit, & ab equicliore fluminis cursu non omnino difficilem locū, quo equitatū transduceret. Ergo contractis quàm occultè lintribus ac lembis, atq; ex his subitario ponte effecto, peditatum & tormenta traducit, equitatū uerò omnem conferta acie, uno impetu ingredi annem iubet, progressusq; ante alios uniuersum agmen ne uno quidem milite anisso in aduersam ripam ducit. Moscouitæ qui satis in tempore cognito per explorates hostium consilio ducere eò instructas acies, interscindere pontem, atq; equitatum transitu prohibere poterant, nec loco nec uestigio semouerunt, neq; unum quidem telum in hostes emiserunt, tanta hostium contentione, ut præ insita Barbarorū animis arrogantia (sicuti ab captiuis postea cognitum est) tertiam suorum partem satis esse ad delendum Polonorum exercitum existimarent. Enimuerò exploratores retulerant dimidio minores esse hostiū copias, in queis etiam pedites essent, neq; tam paruanam manū, tanti equitatus impetum esse toleraturam. Habebat Constantinus duo milia Polonorum equitum grauis armaturæ, ad duodecim uerò milia Lithuanorum qui hippotoxotæ ferme omnes erant. Præterea peditum tria milia, in quorum uirtute dum aciem instrueret, eius diei uictoriâ constare admonuit. Erant ij partim hastati, partim sclopettarij. At Moscouitæ qui supra quadraginta milia equitum erant, quum numero longe superiores essent, neq; sibi Polonos aut Lithuanos uirtute bellica pares existimarent, nihil de euentu imminētis prælij dubitabāt, quin quo maior ea uictoria atq; præclarior pararetur, præmissis præconibus ad trāsēuntes Polonos, tota acie pronounciari iusserunt,

ne

ne dolum, ne occultas insidiarum fraudes suspensis animis  
 timerent, pararent arma, atq; aciem quieti instruerent. Basili-  
 lium ea die ut progenitores consueuissent, uera uirtute di-  
 micaturum. Poloni tametsi magnam spem atq; fiduciam in  
 armis atq; uirtute posuerant, stupentibus tamen, simile ab  
 eo hoste qui sepius rupto foedere & uiolatis inducijs fidem  
 sefellisset, dolos & insidias suspectabant. Etenim quisq; sa-  
 ne mentis, aut magno consilio, aut certe stolida ac barba-  
 ra ratione tantam occasionem prætermittam ab hostibus in-  
 dicabat, quum impeditos flumine ac ripis inuadere, & pri-  
 mos saltè tantæ multitudinis impetu proterere potuissent.  
 Sed adeò ferocibus elati animis erant, ut in præcipiti tempo-  
 ris articulo, omnem æquioris loci conditionem despicerent,  
 quasi non ea plena uerâq; uictoria existimanda, quæ ducis  
 ingenio atq; artibus magis, quàm quæ aperta uirtute atq;  
 audacia militum comparetur. Sic Romani quondam omni-  
 um gentium uictores, ferocia atq; immania eius cœli corpo-  
 ra solis confisa uiribus, atq; lacertis, sæpe prælio supera-  
 runt, quum illi disciplinam atq; astus imperatorios, ante  
 capere locum castris, circumuallere exercitus, non ordine,  
 non acie iniussu ducis excedere, ex iniquo loco nunquam  
 dimicare, nihil ex prouocatione commoueri, plures ex insti-  
 dijs paucos circumuenire, dolum, timorem, ignauia, proditi-  
 onem appellare cõsueuissent. Igitur Basilius uana spe ui-  
 ctorie instatus, quum transisse Polonos omneis ab exploratori-  
 bus referretur, cõuersus ad duces, præfectosq; transuere  
 (inquit) hostes annè, nõ redituri si uiri eritis. Quare fortis-  
 simi cõmilitones accepto signo statim irrumpite quàm ma-  
 xime conferti, et quum hostiũ agmini sagittarũ nubem super-  
 fuderitis, singulos bini circumstite: atq; ex hodierna uicto-

PAULI IOVII HISTOR.

via opulentas urbes Vilnã atq; Cracouiam diripiendas uobis proponite. Hæc ubi dixit, ex uniuerso exercitu ad septem milia fortissimorum equitum delegit: quibus imperat ut hostes à tergo circumueniant: atq; illinc quũ in fronte præliũ ardere cognouerint, auersos ac nihil tale timentes totis uiribus adoriantur. Erat enim ab læua modica uallis ad occultã das similes insidias nata, quàm perpetui colles uestiti densissimis uepribus cõtegebant. Ii molli ac demisso sensim iugo ad ripam Borysthenis extendebantur: nec ab equitatu superari poterãt dumetis ac fruticibus continenti uepriũ serie cuncta tenentibus. Eo itinere equites proficisci iubet, ex alijs uerò copijs tres acies facit. Primã, in qua suere ad duodecim milia equitũ, in dextro cornu collocat, eiq; Michaëlem Golijzã uirum strenuum præficit. Secundam pro sinistro cornu constituit iuxta colles tanquã subsidiariam, apud sarcinas atq; alia impedimenta exercitus. Ipse cum robore uirorum median tenuit. Er aduerso Constantinus non ignarus incermem hostem sibi nulla ex parte parem futurum, si ad primum eius procursum sagittarum multitudinem sustineret, & res ipsa collato pede & cominus confertis equis geri posset, omnes cataphractos in fronte constituit, qui primã uim sagittarum exciperent. Vtrumq; autẽ cornu Lithuanis, terga uerò pedite firmauit. Inde prouectos equo singulis ordinibus adequitans, non iam, inquit, aut pro gloria, aut quomodo Smolenchũ fraude amissum armis recuperetis, sed ne perfidi et scẽdissimi Moscouitæ Lithuanis atq; Polonis imperitent, uobis hodie dimicandum. Neq; ego uos mei commilitones ulla magis adhortatione ad uirtutẽ atq; uictoriam accendam, quã ut memineritis esse in tergo Borysthenem amnem, quem, si cecedendo, aut turpiter fugiendo ab armato hoste pulsũ ignauiq;

uicq; transiri iterum posse putaueritis, cum maxima gentis ignominia atq; insigni uestra clade nobilitabitis. Sed ne tantum dedecus atq; flagitium admitti meis auspicijs patiamini, oro obtestorq; te Deus optime maxime, uoxq; Polonici imperij uindices tutoresq; certissimi diue Ladislæ ac Casimire, uoueoq; ambobus aram ac templū, si uobis cordi erit Polonum uincere, ac mihi fas fuerit suis fugatisq; perduellibus, maturam plenamq; uictoriā reportare. Dicēte adhuc Constantino à Moscouitis signa cecinerunt: ac simul ab dextro cornu Michaël equitatum suum procurrere, & dirigere sagittas iussit. Nec Constantinus ut in ordinanda acie præfatos docuerat) cataphractos cotinuit: Sed continuū incliuatis hastis impetum facere, & rem ad gladios celeriter adducere iussit. Tanta fuit eorum celeritas, ut spatia cadentium sagittarum præterfecti, magna ex parte ingruentem illum imbrem effugerint, ac mox equorum pectoribus armisq; uergentes hostē hippotoxotis usum arcus & secundas sagittas, in quibus summopere confidebant, ademerint. Contrā Lithuani quā maximē expansis alis in latus hostium inuecti, in confertissimam eorum aciem innumerabiles sagittas emisērūt, quo casu oppressi Moscouitæ, quū nec à fronte per rumpere instantibus cataphractis, nec cedere prementibus extremis possent, soluta acie in utrunq; Lithuanorum cornu sese præcipites effuderunt. Ibiq; duo simul prælia diuersis in locis inierunt. Eodem quoq; tempore equites quos per occultam uallem in terga Polonorum à Basilio missos docuimus, cum ingente clamore & maximis tubarū clangoribus, quo maioris multitudinis speciē facerent adorti, nouissimos in tergo pugnare cœperunt: quod ubi animaduersum fuit, præfecti quidam uiri fortes inter quos fuit Polosbha re



PAULI IOVII HISTOR.

gulus, tametsi Constantinus ne se loco mouerent, ne pugnantiniussu capefferent, edixerat, rati tamen in subitis & difficillimis pugnae casibus, non ad praescriptum agenda omnia sed occurrendū presenti rerū occasione, quōd imperatorem alia in parte pugnantem consulere, aut omnino certiores facere in ea temporis exiguitate non poterant, phalangem peditum in hostem conuerterunt. Phalanx suo ordine immobilis & firma, tametsi ab sagittis aliquod detrimentum acceperat, attamen displosis omnibus sclopettis, stratisq; ea pilarum procella primis hostium ordinibus, ad contos alabardasq; deuenit: atq; equitatum impulsu ac uirtute repulit. Equites quum sua impediti multitudine explicare se persultareq; non possent, cum magna caede in angustijs praelium sustinebāt. Ibi ardente certamine, uidere erat uiros equosq; singulis ictibus transfodi, proturbari, ingentes cadauerum tumulos passim accumulari, cruore & morientium gemitu cuncta compleri. At in altera parte Constantinus perruptis hostium ordinibus, & Michaëlis equitatu prope deleta, iam ad medium agmen peruenerat: contractoq; acri certamine primos impetu ac caede turbauerat, quum Basilius terciae aciei ac uiribus suis diffidens retrocessit: nec tamen terga uertit, summæ rei euentum expectans. Namq; equitatum, quem in terga hostium premiserat ab ea parte improuidis subitam ex insperato, atq; eo maiorem trepidationem incitatum putabat. Sed pedites qui eos pepulerant, conuersis ordinibus in subsidiariam aciem, pleno gradu illati, omnem eius reliquam spem atq; animum fregerunt. Ita Basilius cum globo nobiliū equitū praelio excedens, citatis equis effugit. Fugientē secuta est ea acies, quam in subsidijs ad colles fuisse collocatā demonstrauimus, quū nec aspectū quidem cruen-

ti atq; uictoris peditis sustinere potuisset. Inde foeda fuga  
 toto campo facta, media tamen acies acriter irruentes sum-  
 ma constantia excepit. Nam Basilius armatum quemq; &  
 pugnacissimos totius exercitus circa signa, et in eius agminis  
 fronte posuerat. Diu itaq; pugnatum est incerto euentu ac  
 summa omnium contentione, periereq; nonnulli clari equi-  
 tes Poloni, & duo reguli adolescentes, dū ardentius in con-  
 fertam hostium aciem equos cōcitassent. Tandem quum Li-  
 thuanii & pedites profligatis cum quibus pugnauerant ab  
 diuerso loco infestis cuspidibus superuenirent, Moscouitæ  
 antequam in tergo pugnare cogerentur, sibi celerrima fu-  
 ga consuluerunt. Poloni uictores, potiti hostium castris, ma-  
 gnam prædam ex regio apparatu, & quinq; milia equorū  
 coeperunt. Supra septem hominum milia interfecerunt. Mi-  
 chael quoq;, & cum eo illustres aliquot duces capti, quos  
 postea Sigismundus uinctos cum signis militaribus trium-  
 phans Vilnam inuexit. Confecto prælio, ad oppugnandum  
 Smolenchum exercitus ductus. Sed non eadem fortuna bel-  
 lum à Constantino administratum est: namq; Basilius ex fu-  
 ga intronissis delectis equitibus, oppidū nouo præsidio fir-  
 mauerat: existimans si primos oppugnationis impetus præ-  
 fidiarij sustinerent, Polonos postea quod anni tempore ex-  
 cluderentur, de obsidione minimè cogitatuos: enimuero  
 sexto idus Septembris pugnatum est. Quamobrem Constan-  
 tinus quum sua spe difficiliore oppugnationem inuenisset,  
 neq; natura gelidæ regionis sub pellibus atq; tentorijs con-  
 tineri milites pateretur, desperata obsidione citra Borysthe-  
 nem in hyberna reduxit exercitum. Paucis antè diebus  
 quàm ad Borysthenem pugnatum esset, Selymus Turcarum  
 imperator cum Persis in Armenia ad Calderanos cam-

PAULI IOVII HISTOR.

pos secunda praelio dimicauit. Exarsitq; subindo uniuersa Asia duobus maximis bellis, quorū motus, causas, euentusq; tamen si nullo consinio rem Christianā attingerint, breuiter recensere non alienum ab instituto opere existimaui, cum propter uarietatem atq; amplitudinem rerum gestarū, tum ut principes Christiani, si diutius inter se ferro seuerint, cum eo hoste quandoq; sibi rem futuram intelligant, qui duos longe potentissimos terrarum orbis reges in aliena prouincia, iusta acie superarit. Consulto quoq; hæc in unum locum contulimus, ne confusa rerum serie, perpetuus historie cursus abrumperetur, & externa suo digesta ordine, cognosci facilius possent. Post bellum Peloponnesiacum quo ( ut supra memorauimus ) Naupaetus, Coron, Pylus, Crysseum, Methoneq; Turcarum armis cesserunt, quum Veneti reddita Nericho, quam ad Leucadem ui ceperant, authore Andrea Grito, cum hoste pacem pepigissent, Baiazetes in posterum Europa abstinuit, toto animo in Asiam uersus, ut illinc nouis bellorum motibus occurreret, quibus sub aduentum Techellis noui Prophetæ, uiri apud eas gentes admirabilis, iam tum Lycaoniæ & Cappadociæ urbes agitabantur, magno quidem cōmodo Venetorum & Hungarorum, quibus Baiazetes nisi Asiatico tumultu reuocatus, pacem nequaquam daturus esse credebatur. Erat aut Techellis origine Persa, regiæ gentis cognatione antea clarus, sed longe illi maiorem famam & claritudinem addiderant studia literarum, uite integritas, & summa religio, ob quæ postea diuini uatis nomen promeruit. Fuerat Aidaris cognomento Harduellis discipulus, uiri doctrina & probitate insignis, quem Iacuppus Chiorzeynal ( id est, Persica lingua, strabo ) magni Vssumcassanis filius crudeliter interfecit. De quo

quo Harduelle breuiter aliquid memorandum existimauimus, ut quibus procellis iactatum sit Persarum imperium, quantoq; periculo Turcæ Techellis fama ac uiribus, tumultuantem minorem Asiam retinuerint, prodita rerum origine cognoscatur. Fuit Harduelles inter Persas regulus haud ignobilis, cæterum ingenio ac moribus propè diuinus. Qui quum honores, diuitias, uoluptates, & cultioris uitæ cōmoda (quæ uulgo munera humanæ felicitatis appellantur) ueras erumnas, foriunæq; ludibria existimaret, eaq; palam ageret miramini fortitudine, quæ populus continentię & doloris impatiens miraretur, magis quàm imitari posse cōsideret: tantam excellentis uirtutis opinionē adeptus est, ut cum, quanquam imparem regiæ stirpi Assimbeius Vssumcassanes in generum sibi ascuerit, tradita ei Marta quam ex Despina Caloiannis Trapezontiorum & Ponti regis filia susceperat. Eius autem connubij lex fuit, ut Vssumcassanes Despinam paterno more Christum Deū colere pateretur, atq; ita facillè euenit, ut Marta Despina matris auctoritatem secuta, legis nostræ ritus perdisceret, unde postea obortam in Europa opinionem uideamus, Hismaëlem Sophum tanquam auia matrisq; disciplina imbutum, Christianos homines nusquam improbatos eorum sacris, in honore semper habuisse. Cur autem Caloiannes Rex Christianus, Vssumcassani, uiro Mahometano filiam nuptui dederit, & ille conditionem acceperit, præclare intelligi potest, utriusq; rebus suis timentem, ex ea cognatione mutua præsidia cōparare uoluisse aduersus impotentem uim Othomani Mahometis, qui deleto Græcorum Imperio in orientē uires extēderat. Sed Mahometes nouo, ideoq; Persis terribili tormentorum fretus apparatu, quum Vssumcassanem ad Tabendam quæ Toccata hodie dicitur, in Anserinis campis

PÄVLI IOVII HISTOR.

profligasset, facile postea Caloianem oppressit, Trapezontisq; & totius Ponti Imperio usq; ad Colchos in prouinciam redacto, eum Constantinopolim perductum in carcere necauit. Ceterum ut ad Iacuppum Harduellemq; reuertamur, existimauere plerique regem metu potius rerum nouarum, quam optimi eius uiri obseruantia eas filie nuptias quasiuisse, quoniam Harduelles uulgata noua religione, immutatisq; priscae legis mysterijs apud Tauristum, quum e tota Perside Armeniq; uisendi hominis studio innumeri mortales confluerent, tantum sibi nominis ac uirium comparauerat, ut si sectatores suos cogere atq; armare uellet, magnas eum copias breui collecturum appareret. Illud in primis ueluti diuino spiritu afflatus persuaserat, neminem ex his post mortem caelestia regna petiturum qui Mahometem colerent, nisi eos legis ritus sequerentur, quos Haly Mahometis interpres & socios, scribendo ac docendo posteris tradidisset. Ea erant magna ex parte diuersa atq; aliena penitus ab persuasionibus atq; mysterijs quibus Asia omnis & Africa ea tempestate tenebantur. Nam Homarem alterum ex Mahometis discipulis, tanquam grauius & certius leges interpretantem, Halis doctrinae praeserebant. Nec multum postea temporis intercessit, quum Iacuppus, Vssumcassane uita functo, in paternum regnum assumptus, Harduellis potentiam atq; eius religionis coetus hominum suspectos habere, ac uereri coepit, ne Persae qui antiquorum regum stirpi occultae fauebant, sub specie religionis atq; sacrorum coirent, & excitatis factionibus nouas res nondum firmato imperio molirentur. Namq; Asimbeius Vssumcassanes quondam Armeniae procurator & dux, ualida equitum manus, interfecto Molaonchre legitimo rege, ui fraudeq; re-

gnum

gnum adeptus fuerat: putabatur enim Molaonchre ex stirpe Gemple, maximi Parthorum Sultani, qui in oriente latum imperium usq; ad Bactrianos & Aracosos tenuerat. Vnde postea orta duæ hominum factiones, nam alij nouis regibus, alij autem prisco & regio sanguini fauere uidebantur. Quibus de causis Iacuppus, ut erat suspicaci turbidoq; ingenio, quum regnandi causa neq; necessitudine neq; optimi uiri innocentia permoueretur, Harduellem nihil tale timentem submissis percursoribus interfecit, sectatoribusq; eius aut cæsis aut pulsis, in posterum uano metu, atq; inani sollicitudine crudelem animum liberauit. Hismaël Herduellis filius, qui nunc cognomento Sophus maximo terrarum orbis imperio potitur, eo tempore puer adhuc, per tumultum fato quodam seruatus auunculi seuitiam uitauit, confugitq; in Hircaniam ad Pyrchalim amicum patrum, qui supra Caspium mare, paucis oppidis imperitabat. Ex Harduellis uerò discipulis unus ante alios Techellis, qui postea Cuselbas, hoc est, Rubrum caput, cognominatus est, uirtute doctrinaq; notitia magistro comparandus, eam quoq; tempestatem aufugiens, superato Euphrate in minorem Armeniam peruenit: posuitq; sedem in Antitauri monte, ubi ad radices perfossæ rupes natura atq; arte hominum, opacos specus habent, qui rubra saxa ab incolis muncupantur. Ea est salubris & per amena loci facies propter frequentiam uatietatemq; pomiferarum arborum ac perennes aquarum fontes, quibus & plana rigantur, & colles toto anni tempore uestiuntur. Ibi Techellis procul à commercio hominum in altitudinem contemplationis conditus, dum diuina coelestiaq; rimatur, per aliquot annos durissimam uitam egit, contentus his quæ sponte

terræ

## PAULI IOVII HISTOR.

terræ atq; ipsius naturæ benignitate nascebantur. Is primò  
 à pastoribus uisus & agnitus, deinde ab agricolis qui ui-  
 ctus duritiem pietatemq; hominis admirabantur, necessarijs  
 ad uitam rebus donatus est, ac demum quum responsa da-  
 ret, & iam maior homine uideretur, gliscente in immen-  
 sum diuinitatis opinione à curiosis in pagos tractus, ac mox  
 inuito similis in proximas deductus urbes, omnem prouin-  
 ciam sui fama admirationeq; compleuit. Nec publicatis semel  
 nouæ legis interpretationibus mortales defuerunt, qui  
 (uti apud Persas Harduelli acciderat) hominem adorarent,  
 arbitrarenturq; nisi ea iussa præceptaq; capefferent, animas  
 post interitum corporis, æternos ignis cruciatus subituras.  
 Talia frequentissimis concionibus atq; responsis quum om-  
 nibus facile persuasisset, mobilem gentem ac superstitionibus  
 deditam, breui ad sui studium pertraxit, iussitq; ut sectato-  
 res turbinatum capitis tegumentum linthea in spiras cir-  
 cundante fascia pro insigni nouæ religionis rubro colore di-  
 stingerent, ita ut nouæ huius hæreseos studiosi à rubro co-  
 lore pileorum, Cuselbasæ toto oriente uocitentur. Simile  
 quoq; sed meliore fortuna Hismaël eosdem ritus quos pa-  
 ter in Perside tradidisset, ingenuo animo complexus est:  
 namq; ipse poscentibus factis, ut primum adoleuit admirabili  
 uirtutis indole patris uestigia secutus, quum iam eloquio,  
 decore uultus, sapientia, atq; animi magnitudine Diuis ip-  
 sis quàm mortalibus propior haberetur, & maximum no-  
 men & ingentes uires apud eas gentes compararat. Nec igno-  
 bile tantum uulgus, sed pleriq; natalibus ac diuitijs clari se-  
 mel capti nauitate religionis, ut præclarior eorum studium  
 uideretur, postquam ab uetere disciplina discessissent, cum in  
 summam uirtutis & dignitatis existimationem euexerant.

Ipse quoq; nondum pubescens supra ueras uirtutes, inani etiam morum specie in sui admirationem compositus, opes, gloriam, imperium, quæ cupere uideri nollet, ut simulator egregius abnienti persimilis adsequebatur. Non desuere etiam qui iurarent Harduellem patrem (ut erat syderalis scientiæ periculosissimus) inspecta filij genitura Hysnaelem, & prophetam summum, & ueræ legis conditorem futurum, subacta; maxima parte Orientis, Mahometis gloriam pietate & rebus bellicis æquaturum, quæ haud temerè iactata in unguis altio rem materiam sermonibus præbuerunt. Nec multo post Hysnaeli cognomentū Sophus, quod ab admiratione assentioneq; familiarium multum antea iam cœperat, omnium consensu inditum est, ut credi par sit petitum ab ueteri Magorum memoria, qui quondam apud Persas ipsis etiam regibus imperabant. Nam sophus apud eas gētes Deorum interpretem sapientemq; significat. His auspicijs haud dubiè in magnam spem gerendarum rerum erectus, auunculo Iacuppo ueneficæ uxoris fraude sublato, paternos agros et modicum illud imperium, quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit, armatisq; suæ sectæ promptioribus, & à Pyrchale regulo sumptis auxilijs, ingressus Armeniam, sana magis atq; hominum beniuolentia quàm uiribus, breui paternam ditionem uendicauit. Mox eo successu firmior factus, quum multi qui Harduellis dogmata alieno periculo soq; tempore metu mortis deseruerant, tunc oblato duce fiducia pleni, eandem hèresim sequerentur, ad auctis copijs ad urbem Sumachiam quæ est in finibus Mediæ duxit: atq; eam uicaptam hostiliter diripuit. Capta Sumachia maximam consecutus est nominis existimationem, quæ fortia & præ alta facinora nauiter audētes, ex primis rerum motibus ad summam



PAVLI IOVII HISTOR.

victoriae sepe numero perducere consuevit: & quod postea plurimum contulisse iudicatum est inermem magnam ex parte exercitum ditatum præda, militariter instruxit. Inde non iam urbes, sed Persarum imperium animo uoluens, quum iam Fortuna quæ cuncta detulerat uiam quoque melioribus satis aperiret, ad Tauristum nobilissimam maioris Armeniæ urbem contēdit. Ea urbs Persarum regia est, numero hominum atque opibus totius Orientis celeberrima, quæ antiquitus Terua uocabatur, distans à proximo littore Cassij maris itinere expediti equitis quatuor dierum, non longè ab Emporio Derbento: ubi portæ ferreæ inter montes & mare angustias atcendens eo aditu Scythis præcludunt. Inuasit autem Sophus Hysmaël Persarum imperium, nouaque Maomethanae superstitionis opinio, quam à patre ceptam aliquandiu supplicij metus oppresserat, promulgata & latè disseminata est, anno Christianæ salutis supra, millesimum & quadringentesimum nonagesimo nono, quo Italia Gallorum aduentu maximas adiit clades, & Veneti cum Turcarum classe ad Proximum insulam congressi, foedissime rem gesserunt. Nec multo post exarsit in Germania auctore Luthero dira hæresis, quæ populis, ut in Perside acciderat, ad insaniam uersis, Christiani dogmatis placita, & ueteres sacrorum ritus uehementissime conturbauit. Ita ut facile crediderim ab occulta cœli potestate, malignoque syderum concursu prouenisse, ut religiones toto terrarum orbe enatis factionibus, uno tempore scinderentur, quando non Mahometani modo Christianique, sed & remotissimæ gentes idolatræ, aut sydera aut portenta pro Dijs uenerantes, cum in India quæ ad Orientem uergit, tum in Nouo orbe ad Occiduam plagam reperto, nouas sacrorum opiniones induerint. Sed ut ad rerum seriem reuertamur,

Tamur, aduentante Hysmaële, Taurisij erat Aluantes Iacupi filius, qui paulò antè de regni possessione cum Moratchamo fratre armis contenderat eumq; prælio uictum Armenia Persidèq; pepulerat. Is, ut ciuilibus discordijs pleurumq; accidit, quum primores ciuium qui in Moratchami partibus fuerant armis persecutus occidendo aut proscribendo, in ipsa uictoria totam urbem mœrare atq; funeribus compleuisset, magnam sibi inuidiam confluxerat. Quam occasionem nactus Hysmaël, quòd ciuium animos odio scuisimi regis (si propius accessisset) res nouas in urbe molituros intelligebat, instructo exercitu protinus ad urbis portas perrexit. Nec Aluanti, qui repentino bello oppressus, aut milites comparare, aut ullo satis opportuno præsidio mœnia firmare nequiuerat, tantum animi ac uirium fuit, ut aduersus eam belli molem persistendum: aut de uita cum imperio demicandum esse censeret. Quamobrem diffusus rebus suis, dum tumultum atq; arma iratorum ciuium ex merito pertimescit, trepidanti atq; attonito similis, urbe excedit: portæq; Hysmaëli statim aperiuntur. Namq; ciues, qui luctuosis temporibus quibus inter se de imperio reges decertarunt, maxima ex mutuis cladibus damna pertulerant, tutam in eo periculo atq; utilem pacem habere malebant ab uictore tanti nominis, quàm pro cruento rege ad internitionem iterum dissentire, maxime quòd una omnibus incolumitas proponebatur, patebatq; amplissimus gratiæ locus apud nouum regem, his qui eius religionis disciplinam profiterentur. Hysmaël ingressus urbem aliquot prætorianis per tumultum interfectis, qui fugientem regem sequi nequierant, sepulcrum eximij operis, quo auunculus more Persarum conditus fuerat, euertit, ossibusq; disiectis, & abrasis tota urbe eius

PAULI IOVII HISTOR.

titulis, quò dolorem paternæ cædis expiaret, ac iusta persolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Interea dum Sophus Hysmaël Aluante incolumi minime debellatum esse existimans maiores etiam copias parat, easq; aperto ueteri armamentario militariter instruit, crebris rumoribus ac nuncijs afferebatur aduētare Aluantem, quem ex fuga petisse Scyras urbem, atq; in ultimas regni partes ad mare penitus concessisse fama cognouerat: trabereq; illum præter innumerabiles pedites, sex milia cataphractorum equitum, & magnum numerum sagittariorum, qui partim equis, partim camelis insideant, & Moratchanum quoq; fratrem in Assyria, ad urbem Bagadad (Semiramidis Babylon hæc olim fuit) exercitum cõparasse, positisque in communi periculo priuatis contentionibus, uniuersas mox uires cum fratre iuncturum. Hæc tanetsi omnium sermonibus celebrabantur, nihil tamen eo apparatu territus Hysmaël, quo Deorum auspicijs & maiore aliquanto fiducia quàm proprijs uiribus posset, bellum gerere uideretur, ad hostem ire constituit, prouisaq; re frumentaria, ac lustrato exercitu urbe egreditur, nulla magis oratione usus, quam militũ animos alacri spe completeret, quàm ut maturarent, & se ducem quem Diij dedissent, ad certam uictoriam sequerentur. Aberat Aluantes à Taurisio itinere decem dierum, quum Hysmaël sui famam incredibili celeritate prætergressus, ad Niphates mōtes peruenit, qui Armeniam ab Assyria disterminant. Eos Aluantes magnam molem exercitus & plurima impedimenta more Persarum trahens, præmissis exploratoribus, qui ubi transitus difficiles forent, munirent uias, & saltum non uno in loco caesis arboribus aperirēt, breui superare decreuerat, quod ubi cognouit Hysmaël iudicans secum imparato

imparato hoste ex æquissimo loco dimicaturum si prior ipse  
 transcenderet, hostemq; apud quem, ut in nullo metu negle-  
 eta solutaq; omnia futura essent inuaderet, continuò in ad-  
 uersos montes primũ agmen erexit, ac deiectis è summo uer-  
 tice hostiũ præsidijs, eo ipso die uixdũ refectis ex labore mili-  
 tibus, Aluantis castra quæ ad ultiores montium radices  
 erant, adortus est. Tanta è conspectu appropinquantium ho-  
 stium in castris perturbatio exorta, ut præ tumultu ac trepi-  
 datione militum arma poscentium, quibus foeminarum gre-  
 ges, lixæ, colonesq; pauidum genus immiscebantur, uix Al-  
 uantes quid fieri uellet præfectos docere, aut milites cohortari,  
 aut deniq; aciem explicare potuerit. Ita irruentibus  
 recta fronte Armenis, magnum atq; atrox præliũ coeptum.  
 Neq; Hismaeli cui nunquam animus uirtusq; defuerant, eo  
 die etiam Fortuna defuit. Namq; per cuneos tribus simul lo-  
 cis aggressus hostem, antequam cataphracti equites, quo-  
 rum magna pars non stratos, non frenatos equos habebant,  
 arma induerent, in aciemq; prodirent, prostrata prima acie,  
 peditatũ in fugam uertit. Aluantes qui nihil earum rerum  
 ante prouiderat, quòd ad sanam tanti comparati exercitus,  
 nec Taurisij quidem, nec in Armenia omnino se inuenturũ  
 hostem putasset, concursare, appellare milites, retentare  
 conuersam aciem, ac multum ipse pugnare. Sed quum subi-  
 ta eius consilia quæ in ipso periculo capere cogebatur, nec  
 duces nec milites exequerentur, pudore ac desperatione ui-  
 ctus, dum in primo agmine acrius pugnat, obruncatur.  
 Interfecto Aluante caesisq; Persarum promptissimis cataphra-  
 cti, qua parte uirium Aluantes superior erat, quum iam  
 non esset pro quo depugnarent, effugere non dubitarunt.  
 Idem fecere sagittarij, & ceteri postremi agminis milites,

PAULI IOVII HISTOR.

qui audito statim tumultu, fugæ magis quàm prælio arma atq; animos præpararant. Hysmaël cum minore aliquanto hostium cæde quàm pro tanta uictoria quis crederet, castris potitus, quòd antequam fugatum hostem sectaretur, exanimatos milites defatigatione itineris ac labore prælij reficiendos esse existimabat, eo in loco per aliquot dies statua habuit. inde quum ab finitimis populis legati ad dedendas urbes superuenirent, & quòd uictoria, eò etiam gentium fauor inclinaret, ad urbem Scyras exercitum duxit. Nec ciues multum antè ad famam ingentis uictoriæ parati ea facere quæ diuinus uictorq; Hysmaël imperasset, eum urbe recipere commeatu, pecuniâq; iuuare in ea rerum commutatione recusarunt. Sophus ab supplici ciuitate omnibus diuinis atq; humanis honoribus affectus, sæpe ad populum de ueritate atq; præstantia nouæ religionis concionatus est, edixitq; se pro hostibus habiturû, qui intra trigesimum diem antiquos ritus minimè reliquissent. Quamobrem quãdo illinc ex successu uictoriæ certissima præmia, hinc uerò si pertinacius abnuerent, exilia aut cruciatus proponebantur, breui omnem propè multitudinem in partes deduxit. Mox ex opulentissimæ urbis diuitijs persoluto militi stipendio, ueteres nouosq; milites quibus arma, equi, tela, uestisue deerant, omnibus rebus instructos exornauit. Namq; in urbe quæ inter cæteras Orientis summam obtinet claritatem, frequentes erant officinæ omnis generis armorum plenissimæ, ea mirabili ingenio artifices ex ferro calybeq; recoctis, & ex herbarum succis addita insigni temperatura, longè elegantius, quàm apud nos id fiat fabricare consueuerunt: nec galeas tantum, thoraces, & ocreas, sed equorum etiam perpetua extenuissimis laminis tegumenta. Post receptam urbem Scyras, Sapham

pham quoq; quæ Susa antiquitus fuisse existimatur, & Sulthaniam, quam propter admirabiles ingentium edificiorum reliquias, Tigranocertam fuisse arbitramur, in fidem accipit. His rebus celeriter confectis, constitutisq; per singulas urbes suæ sectæ magistratibus, Hysmaël superato Tigri in Mesopotamiam profectus est, ut Moratchanium Babyloniæ possessione depelleret, arma adhuc exercitumq; tenentem, quo ( ut supra memorauimus ) iunctis cum Aluante uiribus in Armeniam transire statuerat. Sed is fraternæ calamitatis exemplo territus, quando Aluantes & Persarum exercitus cum amplissimis regni facultatibus, è tanto fastigio unius diei negotio corruissent, iudicauit minimè sibi armis Fortunam periclitandam: sed in ulteriora regni ad meliores casus expectandos, continuo fugiendū, quòd uictori hosti ac tuam ingentes trahenti copias, qui numerosum exercitum parua manu cecidisset, minimè se parem futurum intelligebat. Igitur Sophus Hysmaël tantæ uirtutis fama, magnitudine copiarum, & ipso deniq; Deorum immortalium fauore terribilis, Mesopotamiam ingressus cedente Moratchamo, & certantibus inter se populis, qui nam primi uictoris gratiam deditiois celeritate mereretur, omnem prouinciam in deditioem accepit. Porro Moratchamus nec copijs suis, terrore percussus, satis fidens, nec ullis se urbium mœnibus credere tutum existimans, collecta suppellectile cum uxoribus ac liberis in Arabiam profugit. At Hysmaël maximam Orientis partem uictoricis armis peruagatus, ab Assyria in Mediam transcendit. Vrbes, castellaq; aliquot in Zagro monte, quæ Aluantis præsidijs tenebantur, expugnauit, regressusq; in Armeniam Albanis, Hiberis, & Scythis, qui ulteriorem Caspij maris orã tenent, bellum intulit: quòd es-

PAULI IOVII HISTOR.

gentes tributariæ quondam Persarum regum ex occasione  
 ciuilibus belli, quo Persis totusq; Oriens cum excidio regis  
 domos proximè conflagrarent, neq; tributa quartum iam  
 annum persoluissent, neq; solitas omnino legationes in tan-  
 ta præsertim uictoria misissent. Dum hæc ab Hysmaële ge-  
 runtur, Techellis Cuselbas, quem ex heremo in urbes ductū  
 Armeniam, minorisq; Asiæ magnam partem noua religione  
 compleße paulò antè memorauimus, conflato exercitu ex  
 fœderatis eius disciplinæ hominibus, Turcarum fines inua-  
 sit. Enimuerò quum Techellis in cœtu mortalium futura  
 sæpius mira scelicitate prædixisset, Sophusq; Hysmaël du-  
 dum exul & profugus non sorte, non humano subsidio, sed  
 pietate ac certissimæ religionis auspicijs, in eam rerum am-  
 plitudinè creuisse uideretur, tanta suscipiendæ eius super-  
 stitionis omnium animos cupido incesserat, ut circumiectæ  
 urbes atq; oppida iam plena essent his hominibus, qui pro-  
 tesseræ uouæ professionis rubris pileis uterentur. Conuenere  
 primo apud Tasciam urbem, quæ ad Antitauri radices sita  
 est, supra sex milia hominum, ubi à Techelli persuasi ut ar-  
 ma capefferent, quibus si quid durius ab impijs Turcis acci-  
 deret, sese & ueram religionem tuerentur, omnes iureiuran-  
 do affirmauerunt se neq; ducem in ulla fortunæ acerbitate  
 deserturos, neq; pro sanctissimæ hereseos dignitate, cui iam  
 pridem corpora atq; animos deuouissent, laborem ullum  
 aut ulla uitæ pericula recusaturos. Techellis postquam ui-  
 det suorum animos singulari omnium consensu summaq;  
 uirtutis fiducia confirmatos, quum pecuniæ quæ liberaliter  
 à prouincialibus pietatis studio erogabantur, ad alendam  
 tantam multitudinè non sufficerent, edixit, ut frumentatum  
 quaq; uersum irent, & eorum maximè facultatibus atq;  
 diuitijs

diuitijs uterentur, qui nouis sacris initiari nollent. Itaq; in  
 plures manus diducti, è proximis agris magnam uim com-  
 meatus & pecoris in castra conuexerunt, ac mox crescente  
 multitudine, è finibus Cappadociae in Lycaoniae ubertate  
 agri & accolarum frequentia pernobilem regionem profe-  
 cti sunt, ubi multis diebus eo terrore belli per agros impune  
 circumducto, seipsos aluerunt, tantumq; formidinis omni-  
 bus intulerunt, ut qui oppida & uicos incolebant instante  
 metu, omnes fortunas suas cum uxoribus ac liberis in urbem  
 Iconium comportare cogerentur. Namq; edictum Techellis  
 nomine pluribus locis propositum erat, quo diuina huma-  
 naq; premia his omnibus ostendebatur, qui continuo in par-  
 tes transirent, & uulgatam multum antea Persarum religio-  
 nem sequerentur. Quod si qui pertinacius in errore per-  
 sisterent, eos quum gladium semel eduxerit, facesq; succen-  
 derit, nullum postea ueniae aut saluti locum inuenturos. Om-  
 nibus tam atroci denunciatione perterritis, alij mortis me-  
 tu, alij mobilitate animi, alij res suas agrosq; omni religio-  
 ne potiora existimantes, alij uero obrati, insames, capitalia  
 ausi, praeterea serui complures, fuga facta quotidie ad Te-  
 chellim transibant. Nec multo post Turcis contra arma pa-  
 rantibus, auxilia quoq; equitum ab Hysmaele missa oppor-  
 tunissimo tempore superuenerunt. Nam quae Hysmael ex  
 foedere communis disciplinae iam tum antea per legatos Te-  
 chellim fuerat adhortatus, ut sacrosanctis coeptis insisteret,  
 introductaq; religioni uim armaq; adderet, ac magno ani-  
 mo progredere. Se enim negotio minimè defuturum, &  
 peritos rei militaris qui ordines ducerent, & pecuniam qua  
 castrensis apparatus comparari posset, continèe subministra-  
 turum. Haec haud occultè Sophus Hysmael contra Baiaze-



PAULI IOVII HISTOR.

tem moliebatur, ut paruis initijs, maioris belli causas feceretur. Namq; & ueteribus odijs quæ propter bella continua cum Turcis intercedebant, & ex priuata quoq; religionis dissensione Baiazeti infensus, nihil magis in maxima uirium amplitudine, & in secundissimo rerum cursu, iuuentæ etiam calore præferuidus, quam Othomanicum bellum animo uoluitabat. Quin & legatos ad Senatum Venetias misit, qui fœdus atq; amicitiam peterent, in eam maxime formulam, qua Catarinus Zenus, Iosaphates Barbarus, & Ambrosius Contarenus legati in Armenia cum Vsumcassane materno auo quondam pepigissent. Ii enim diuersa uia totum Orientem peruagati, officiorum suorum ac itinerum commentarios posteris reliquerunt. Id in primis Hysmaël postulabat, ut artifices qui ænea tormenta conflarent ab Italia sibi per Syriam mitterentur, & decreta in Græciam atq; Asiam ualida classe, Baiazetem maritimo bello distinerent, se uerò terrestribus copijs minorem Asiam completurum præbiturumq; pulcherrimam occasionem Venetæ classi ad ea recipienda, quæ in ora Græciæ superiore & recenti bello amisissent. Senatus legatis perhumanè ac liberaliter habitis respondit, neq; ueteris amicitia, neq; fœderis quæ sibi cum Persarum regibus fuissent obliuisci, gratamq; semper futuram aquæ Senatui eius rei memoriam, sed eo summopere letari, quò nouus Rex Sophus Turcarum hostis esset: quòd curæ haberet communicare belli causam, atq; ea polliceri, quæ si Vsumcassanes Iacopusq; filius præstitissent, nequaquam sibi bellum cum Othomannis gerendum foret. Cæterum eas esse rerum uices, ut sicuti Persarum reges domi ea tempestate ociosi occupato in Europa Baiazete, nihil sibi mouendum existimauerint,

ita

ita Senatum in deterriore & periniqua temporum conditio-  
 ne, quod uelit ac maximè optet præstare non posse, quòd  
 pacem quinquennio ante cum Baiazete factam sibi mini-  
 mè uiolandam existimet: occupari enim se grauissimo bello,  
 quod præferoces Europæ gentes coniuratione facta, & ma-  
 ximi reges nullis lacesiti iniurijs, sed sola concitati Venetæ  
 fœlicitatis inuidia nuper intulerint, sperare tamen staturos  
 à iustiori causa Deos immortales, & Rempublicam quam  
 ulla uis per septingentos amplius annos non fregisset, ab im-  
 manitate tot hostium seruaturos. Proinde suo regi referrent  
 Senatum, quum per occasionem posset, daturum operam,  
 ut Sophus intelligeret nihil sibi Persarum amicitia anti-  
 quius esse, aut speciosius quicquam futurum, quàm Turcas  
 Christiani nominis hostes, quibus ipse insensus esset, mutuis  
 consilijs ac paribus armis oppugnare. Legati paulò post  
 cum spe magis ineundi fœderis, quàm quod re ipsa quic-  
 quam impetrassent, donati muneribus in Cyprum triremi-  
 bus reuecti, in Syriam traiecerunt, habuereq; occultacollo-  
 quia cum Petro Zeno ( is Catarini legatione Persica clari  
 filius fuit ) qui tunc Damasci negotiatoribus Venetis præ-  
 erat. Quæ de causa Baiazetes cognita legatorum profectio-  
 ne, per oratores & literas questus est apud Campsonem  
 Gaurum Aegypti regem, eum minus amice facere, quòd Per-  
 sarum legatos per mediam Syriam ad communes hostes ad  
 concitanda externa arma transire permetteret. Vnde mox ira-  
 to Aegyptio omnes Veneti mercatores, & ante alios ipse Ze-  
 nus, qui Tripoli, Alepi, Beryti atq; Alexandriae agebant per-  
 ducti Memphim coram Campsone sæpius causam ex cathe-  
 nis dicere coacti sunt, uixq; post annū quo omnes cõtumeli-  
 as ab immanibus Mamaluchis pertulerant, uitam & liber-

PAULI IOVII HISTOR.

tatem impetrarunt. At Techellis Persarum auxilij firmato exercitū, ad Iconium celeberrimam Lycaoniæ urbem iam peruenerat, populatusq; uniuersum agrum, magnam hominum multitudinem ad cultum nouæ religionis perduxerat. Quibus de rebus Orcanes & Mahometes Baiazetis nepotes, qui Alemsaco & Sciaensciao patribus morbo extinctis, his regionibus imperabāt, coactis copijs ne tantam ignominiam in conspectu nobilissimæ urbis à latronibus paterentur, in aciem descenderunt. Sed illi adolescentiæ ardore præproperi, quum iniquo in loco prælium cōmisissent, ab hoste fusi fugatiq; sunt. Neq; in ea uictoria Techellis ab oppugnatione Iconij temperasset, nisi tormenta apparatusq; expugnandarum urbium tumultuario exercitui defuissent. Inde conuerso agmine per mediam latitudinem minoris Asiæ ad Ancyram, quam hodie Angorim dicunt, profectus est. Nec Corcuthus Baiazetis filius qui Thyatiræ, Sypili, Magnesiæ, Phoeceæq; exercitum comparauerat, quum latè effusus hostis in proximo esset, aut procedendū, aut de prælio sibi omnino cogitandū existimauit. Techellis per Galatiā infesto exercitu in Bithyniam contendens, non longè à Sangario flumine Caragius Bassam, qui Bellerbechus tunc erat ( hoc est totius Asiatici equitatus magister ) cum instructis copijs obuium habuit. Parauerat is paulò antè haud mediocrem exercitum ad samam imminentis belli, iusseratq; Achomatem natu maximum Baiazetis filium, Cappadociæ Pontiq; præfectum conscribere nouos milites, & in tergo moliri bellum, ut Techellis si semel pelleretur, neq; se in tutum recipere, neq; in prouincia, obstante in tergo exercitu conuiescere, aut morari omnino posset. Sed hæc consilia Techellis sua celeritate præuertit, namq; maioribus itineribus

bus ad hostem progressus, cum delectibus habendis intentum, aliasq; tanquam ad iustum bellum copias expectantem, ad Horminium montem adeptus est. Nec Bellerbechus pugnam detrectauit, tametsi non prius quam maioribus copijs exercitum suppleisset, praelio decertare decreuerat. Erat enim in eius exercitu incondita peditum multitudo, homines ex Paphlagonia, Galatia, Bithynia & Ponto ignari militiae, et magna ex parte inermes, ut ferme sunt qui imperati urbibus atq; oppidis inuiti militant, atq; uno nomine Asappi à Turcis nuncupantur. Virtuti autem ueteranorum equitum summo opere confidebat, quarum opera si aduersi quicquam accideret, cessurum se praelio & signa seruaturum arbitratur. Ex aduerso Techellis cui robur totum in peditate erat, nihil spei in fuga habere: sed in suorum uirtute uictoriam collocare, adhortari suos, ut reminiscerentur quam in regionem uenissent: quæ, inquit, sociæ urbes, qui noui exercitus, qui alij Diuitelares, si pro his hodie male pugnaueritis, uos excipient, aut iuuabunt? Agite uiri fortissimi atq; acriter irrumppite, ut uincendo et religionis dignitatem pro qua corpora atq; animos deuouistis, & salutem uestram tueamini. Hæc quum diceret, tota acie horrendus clamor sublatus est, statimq; concursum Bellerbechus peditatum in medio, equites in cornibus collocauit, quibus hostilem aciem circumueniret. Techellis autem uno corpore atq; uno impetu quadratam suorum aciem induxit, equites quos Hysmaël paucis ante diebus miserat, in subsidijs reliquit. Non tulere Asappi impetum neq; aspectum quidem Techellini exercitus, namq; in fronte quiq; optimè armati constiterant, & pileata acies uno colore rubro conspicua, quòd tota cruore conspersa uidebatur, tyronibus & imperitis hominibus formidinem in-

## PAULI IOVII HISTOR.

tenderat. Ita quum uix horæ dimidio prælium Asappi sustinere potuissent, tota media acies caesa fugatq; est. Equites Turcæ qui in latera hostium utrinq; magno impetu incurrerant, tametsi multos sagittis lanceisq; confixerant, atq; ordines aliquantum turbarant, quod pedites loco excedere & procurrere cogebantur, nihilominus quum de uictis Asappis, Techellini in cohortes atq; manipulos sese diduxissent, & cominus prælongis hastis equos petere cœpissent, & ipsi continuò in fugam conuersi sunt. Persæ equites qui spectatores pugnae fuerant, è subsidijs in fugientes turbatosq; inuecti, multos protriuerunt, longiusq; progressi, Bellerbechum fissentem fugam, nec ueri quicquam in densissimo puluere discernentem, circumuenerunt, cepissentq; eum, ni à fortissimis stipatoribus periculo exemptus fuisset. Equites paucis amissis fuga sibi cōsuluere. Asappi supra septem milia interfecti, præterea omnia peditum signa & uis ingens commeatu capta, Techellis quiete unius diei militibus data, ad urbem Cutheia quæ ad Horminiũ est, exercitũ admouit. Ea urbs totius minoris Asiæ umbilicũ tenet, Anatoliæq; Magistri equitũ sedes est, sicuti in Europa quæ Romania dicitur apud Sophiam Mœsiæ urbem, alterum Bellerbechum considerare uideamus. Fama enim erat magnas opes propter munitionis opinionem eò à finitimis urbibus in ipso terrore belli fuisse comportatas, & cognouerant, Bellerbechum se ex fuga in eam urbem cum nobilissimis equitum contulisse. Nec dubium erat ditari posse exercitum, si aduerso prælij successu consternatis metu hostibus, omnes uires uno tempore admouerentur. Igitur Techellis dignam eam urbem ratus, quæ aliquo periculo peteretur, tormenta minora quæ bello ceperat, & sagittarios idoneis locis imponit, ut propugnatores è mu-

vo destinatis ictibus deijcerentur. Demum comportari scalam, & tota acie pronunciari iubet, omnem prædam militum fore, his uerò qui primi conscenderent, maiora præmia tributurum. Ea spe murum subeunt, nulla uel hostium, nulla telorum multitudine, nullo mortis metu deterrentur, quin certatim scalam aut conscendant, aut per confracta muri alij aliorum innixi humeris conitantur. Superne uerò ingentia saxa, ardentes faces, & toto passim muro feruentis aquæ, calcis, ac harenæ uis ingens in subiectos continuè peruoluebantur. Nec in tanta certaminis iniquitate, quum multi ipso molarium pondere comminutis scalam, laceri, exanimis, atque omnibus denique incommodis conflictati è muro precipitarentur, quisquam tamen in eo periculo tot ingruentibus telis pedem referebat. Ignauie enim uirtutisq; militum testes spectatoresq; aderant Bellerbechus atq; Techellis, hic ne irritò incæpto abscederet, ira & pudore accensus: ille ut dignitatem, salutem, ac omnes deniq; fortunas suas in eo discrimine tueretur, pari animo ducis atq; optimi militis officia implebat. Tandem fessis & magna ex parte saucijs propugnatoribus, quum Techellis integros milites qui prælium exciperent, ac uulneratos reuocarèt, continuè summitteret, facto impetu duobus simul locis per acruos caesorum in urbem peruasertunt, obruncatisq; propugnatoribus, ac refracta porta omnem exercitum introduxerunt. Inde per omnes domos miserabilis Turcarum cades edita, expugnatumq; eodem impetu prætorium, quo se cum familia Bellerbechus receperat. Dux ipse cum uxoribus captus, & prætorium secto marmore & nobili structura insigne crematum. Cutheia capta & Turcarum spolijs ornato exercitu. Techellis in animum induxit expugnari

PAULI IOVII HISTOR.

posse Prusiam Bithyniæ caput, si priusquam hostium uires  
 coalescerent, aut ciues perterritis omnibus, aliquid consilij  
 pro tuenda patria capere possent, ipse confestim eo conten-  
 deret: & in ea fortuna, studio atq; ardore militum uteretur.  
 Quano brẽ indicta profectio die, militibus imperauit, ut  
 corpora curarent, schalas, arma, telaq; pararent, quibus  
 opulentissimam urbem, nec moenibus tutam, nec ullo firma-  
 tam presidio, hostium opinione celerius aggredereñt. Hæc  
 parantem nouus Turcarum exercitus, qui nuper ab Galli-  
 poli per Hellespontum in Asiam traiecerat, à proposito op-  
 pugnanæ urbis auertit. Namq; Baiazetes multum antea, ad  
 Techellis nomen, et ad Persicæ religionis famã exercitatus, si-  
 lijs, nepotibus ac Bellerbecho Asiæ præfecto scripserat, ut pa-  
 rarent arma, nouæ superstitionis initia opprimerent: da-  
 rentq; operam, ne quid detrimenti in ea prouincia capere-  
 tur. Postquam uerò Techellim ex hæremita Imperatorem fa-  
 ctum, innitiq; eum haud obscure Persarum uiribus, et arde-  
 re bello Asiam uidit, Halybassam cum Europeis copijs eò emi-  
 sit. Erat Halybassa genere Macedo, tametsi eunuchus, uirtute  
 tamen fortissimis hominibus comparandus, qui sub Maho-  
 mete multis fortibus factis militare gloriã, atq; optimi ducis  
 nomen adeptus fuerat. Is deducto flore equitũ ex Epiro, Ma-  
 cedonia, Mœsia, Illirico, Traciaq; ac adiunctis sibi prætoriaz  
 norum septem milibus (Ianzari ij Trucica lingua uocatur)  
 in queis ob confirmatam bellicæ laudis opinionem in omni  
 Turcarum expeditione, & summa uirium, & uincendi cer-  
 tissima ratio semper fuit, ex Chersoneso in Phrigiam profec-  
 ctus est, scripsitq; ex itinere Corchuto, & Acomati Baiaze-  
 tis filijs, omnibusq; equitum præfectis (quos Sanzacos uo-  
 cant) ut quàm maxima possent celeritate copias compara-  
 rent,

rent, & in Galatiam progredierentur. At Techellis de aduentu hostium certior factus, excedendum Ponto, ac sibi omnino multis de causis in pacatam regionem redeundum existimauit, ne coeuntibus undiq; Turcarum copijs, circumueniretur, neue cogeretur iniquissima belli conditione dimicare. Namq; nec tutum iter nec pacatū quicquam si uel paruam aliquam moram traheret, se habiturum arbitrabatur, quum tantum terrarum in tergo relinqueret, tot hostiles urbes, tot flumina, tot infensos populos, quæ omnia paulò ante primus hominum fauor, uictoriq; celeritas apperuisent. Igitur re ad consilium delata, quòd præfecti omnes tantulis copijs sine iusto equitatu, cum eo hoste qui & locorū notitia, et genere ac numero militum longè superior erat, prælio decertare summæ dementiæ, aut extremæ necessitatis consilium esse censebant, collecta prætiosiore præda, ab Horminio per Galatiam citatiore itinere regredi cœpit. At Halybassa, cui, ut statim in Asiam uentum singulis propè horis à prouincialibus de abscessu itinereq; hostium literæ, pernicibus tabellarijs afferebantur, cognita eorum profectio, Sangarium flumen superat: ac transuersis itineribus reuoluit iter Cuthianum & Ancyræ, qua transituros hostes coniectura iudicabat, pergit. Inde quum minimum tempus, aut naturæ desiderio, aut lassitudini militum tribueret, quintis castris ad Caraassar in plana Galatiæ peruenit, & nouissimos agminis hostium fessos, uulneribus debilitatos adeptus, interficit. Ibi Techellis, ut hostes atroci spectaculo edito, aut demoraretur, aut à persequendo deterreret, Bellerbechum quem uinctum traherat, media in uia sequentibus spectandum palo infixit. Hac Halybassa horrendo clarissimi uiri interitu permotus, quicquam tamen de celeritate sibi remittendum existimauit.

Quin



PAULI IOVII HISTOR.

Quin milites consolatus ut æquo animo itineris laborem ferrent, ac paululum admitterentur, ut supplicium sumerent de inmanissimis latronibus, qui, euastata prouincia, nec impuberibus quidem, aut Deorum templis pepercissent, sequente die in Ancyreorum agrum descendit. Achomates quoq; cum decem milibus armatorum, ut uires iungeret, eo ipso die superuenit. Quamobrem Halybassa qui nec continuò quidem cursu, magnis itineribus antecedentem toto exercitu cõsequi poterat, iniquo animo ferens seuisimum hostem impunè elatibi è manibus, insistere hisdem fugientium uestigijs, cum expe-dito equitatu constituit. Itaq; relictis pedestribus copijs & Achomati commissa exercitus cura, cum octo milibus equitatum abeuntes citatissimo cursu persecutus, extremum eorum agmen ad Olygam montem, qui ab Ancyra parum distat la-cessere, & inuito acri prælio perturbare cœpit. Techellis, qui in edito idoneum locum castris paulò antè ceperat, tametsi lassitudine atq; aestu torrentis solis exanimatos esse milites intelligebat, nihilominus, quum æquissimo in loco, cum solis equitibus sibi rem futuram sciret, cõuerso agmine, ac constitutis pro natura loci & temporis exiguitate suorum ordi-nibus, Turcarum impetum egregiè excepit, inuectosq; equi-tes prælongis hastis sagittisq; summonit, apparebatq; hastata tum peditum phalange facta, insultante equitatu, nec cessu-rum loco, neq; indignum quicquam superiore uictoria com-missurū, nisi Halybassa mille amplius sclopettarios equites induxisset, qui per uices alij alijs turmatim miro ordine suc-cedentes, plumbeas glandes in confertissimam hostium aciem spargerent. Qua procella, quum magnus eorū numerus ster-neretur, necesse fuit phalāgem solui. inde hastati equites, quæ dissipatis caesisq; militibus densa & stabilis ea acies laxa-batur,

Battur, uehementiore illati impetu cedendo sternendoq; totum propè primum agmen deleuerunt. Techellis in media suorum strage ubiq; conspicuus, quod unum in tantis malis remedium relinquebatur, ex promptissimis atq; optime armatis nouã acie facit, eãq; à nouissimo agmine in frontẽ ductam, equitatuui opponit, iubetq; pronunciari, ut milites pleno gradu pugnando in colles sese recipiant, eo consilio, ut milites timore adducti, non metu ipso, sed iussu imperatoris id facere uiderentur. Ita existimare naturæ loci diffisos hostes, urgendi insequendiq; finem esse facturos. Halybassa primo prælij successu serox, haud dubiè iã inclinata uictoria equites cohortatus, ne spatium euadendi in montem fugientibus relinquerent, premendo urgendoq; instarent: ac breuissimi laboris operam, qua bellum uel uno eo prælio finiretur, sibi ac Baiæzeti Imperatori præstarent. Hæc proclamans cum globo equitum per median hostium aciem perequitauit, ut ceteros accenderet, ac sibi non deesse uirilẽ animum, insigni uirtutis facinore edito testaretur. Quod quã speciosus quã pro disciplina iterum eodem ardore fieri posse consideret, interclusus & in medio circumuentus interficitur. Cæso Halybassa, puncto temporis prælij fortuna commutata est: namq; Turcæ, qui dudum pulsus stratisq; hostibus accerrimè præliabantur, ducis morte perterriti remittere pugnandi ardorem, sensim cedere, ac demum conuersis equis pugne loco excedere cœperunt. Ex aduerso Techellini qui plus spei in loci munitione, ac montibus, quã in armis atq; uirtute posuerant, auctis noua spe animis, & in segni iam pugna collectis uiribus procurrere, truci ululatu uictoriam conclamare, atq; hostem in fugam uertere. Ita fortissimi equites pugne atq; itineris labore confecti, quum fessis ac fluentibus

## PAULI IOVII HISTOR.

sudore equis persistere non possent, insignem certamq; uictoria-  
 riam quam dux ipse uirtute partam, morte postea temerita-  
 teq; corruperat, reliquerunt. Techellis, tametsi nec refici  
 equos, nec in patentibus campis tuto consistere hostem posse  
 si uestigijs insisteret, sperabat, orbatu tamen suorum prom-  
 tijsimis, atq; uniuerso exercitu, inedia, uigilijs, et uulneribus  
 affecto, in Olyga monte cōquiescere statuit. Inde paucos post  
 dies trans Halym flumen ductis copijs ad Tasciam, & in Ru-  
 bra demū saxa se recepit, non procul ab urbe Celenis, quam  
 Marsya annis Poëtarum carminibus inclutus mediam in-  
 terluit, hodieq; Maras Aladoli principis regia uocatur. Tur-  
 cæ ultimi magis iniurias, quam plenam adepti uictoriam, ad  
 Achomatem, ubi signa & prætoriani milites erant, redie-  
 runt. Nec multo post Iunusbassa summæ uirtutis Epirota,  
 qui magnum in militia usum habere dicebatur, à Baiazete  
 delectus, cum imperio ad exercitum uenit. Is statim quum sibi  
 copias omnes Achomates tradidisset, in Capadociam pro-  
 fectus, dextrorsum ad Antitaurum iter flectens, paucis die-  
 bus ad Tasciam peruenit, urendoq; ac uastando passim uni-  
 uersum agrum, sub radicibus montis posuit castra. Habebat  
 Iunusbassa supra quadraginta milia equitum ac peditū: præ-  
 terea magnum numerum currulium tormentorum, ingen-  
 temq; uim omnis generis commeatus. Quo apparatu terri-  
 tus Techellis, quod nulla auxilia ab Hysmæle mittebantur,  
 quod nullam tormentorum copiam habebat, quod clade ad  
 Olygam accepta saucios consternatosq; metu milites, tantæ  
 multitudini hostium obijcere miserrimum putabat, monti-  
 bus ac syluis se tenere cōstituit, sperans si munito in loco cum  
 claretur, aut uētura interim Persarum auxilia, aut temerita-  
 te hostium non omnino iniquam pugnandi occasionem ali-  
 quando

quando haud sibi defuturam. Interea singulis diebus haud  
 satis digna memoratu praelia uarijs in locis conferebantur.  
 Namq; Turcæ explorando queritandoq; faciles aditus cir-  
 cumuecti montes, sepius accliujs collibus ad hostes peruenie-  
 bant. Techellini contra syluis euolabant, & è prae-ruptis  
 locis, quæ ipsi in castellorum speciem communiuerant, acer-  
 rimè depugnabant. Tandem, quum diu quotidiana consue-  
 tudine ueluti per lusum leuibus praelijs utrinq; utres tenta-  
 rentur, animaduertere nonnulli milites itinera duo non om-  
 nino difficilia, per quæ haud angustis callibus exercitus sub  
 signis duci posset. Iunusbassa loci natura contemplatus eo-  
 dem tempore, hinc Asappos, illinc prætorianos milites co-  
 hortatus, errigere aciem in colles non dubitauit, qui per ar-  
 dua leni gradu præfæctis scutis aduersus hostium missilia sub-  
 euntes magno animo ingentem telorū multitudinem susti-  
 nuerunt. Namq; hostes occupatis editioribus locis, ueluti è  
 propugnaculis, & tela omnis generis conijciebant, & ma-  
 iores lapides prouoluebant. Sed directis in eum locū minori-  
 bus tormentis, ab ea munitione deturbati, celerrimè locum  
 reliquerunt, quum signa scutatosq; ualida sclopettariorum  
 manus sequeretur, & ueluti gradine effusa tota acies obrue-  
 retur: moxq; Techelle receptui canente, in interiores ac mu-  
 nitiores syluas se condiderūt. Sequenti nocte Techellis haud  
 ignarus quantum sibi autoritatis ac uirium ex aduerso cer-  
 tamine decepsisset, extinctis ignibus cū maximo silentio sal-  
 tu excessit, & per aduersos montes in minorem Armeniam  
 descendit. Nec prius illorum fugam Turcæ senserunt, quàm  
 albescente iam coelo, exploratores qui saltum ingressi, impe-  
 dimenta, & paucos semianimes inuenerant, renunciauere  
 euasisse hostes, eosq; præcipiti fuga petere minorem Arme-

## PAULI IOVII HISTOR.

niam. Quod quum Iunusbassa ex captiuis etiam cognouisset, impotenti ira gemens, frendensq; quod non statim ab uictoria saltum omnem indagine clausisset, equitatum qui abeuntes sectaretur plurimis itineribus emisit: nequicquam tamen persecuti hostes, quod Techellis notis tramitibus recta in Armeniam properabat, paucis in itinere captis ad ducent redierunt: Pulso Techelle, Iunusbassa per omnes minoris Asiae urbes intentissima conquisitione habita, quos Persice religionis cultores inuenit, omnibus tormentis excruciatos interfecit: his uero qui bello minime interfuissent, neq; arma tractassent, inuissit frontem, ut stigmate defectionis titulum praeferrent, quos protinus cum affinibus, atq; propinquis eorum, qui secuti Techellim fuerat in Europam tradidit: sparsitq; per Macedoniam, Epirum, & Peloponnesioram, ne si Techellis, qui ad Hysmaelem in finibus Scytharum bellum gerentem confugerat, copias comparare alias, & bellum renouare uellet, coirent rursus, & nouas res, noua defectione molirentur. Vix dum pulso Techelli bellum aliud statim ortum atrox cruentumq; intestinis cadibus, quo clarissima terrarum orbis Othomannorum domus, unius ambitione atq; sauitia ab stirpe prope interijt. Praecessere imminentes calamitates prodigij loco habitae, ingens atq; terribilis, si unquam antea, terrae motus, ac subinde repentina & maxime grauis pestilentia, quae Bizantium imperij caput ruinis atq; funeribus compleuerunt. Quibus periculis terribitus Baiazetes, ab pestilenti maris ora, in saluberrima Thraciae loca secessit, egitq; complures menses sub Rhodope monte apud Hadrianopolim: ubi quum minime prospera ualitudine uteretur, nec dolore pedum, & senecta inualidus munia imperij obiret, de successore deligendo cum purpuratis

& familiaribus agitare cœpit, diffusus maxime filiorum ingenijs, quos prepotentes ferocesq; de imperio dimicatu-  
 arbitrabatur: nisi sese superstiti in principatum unus ascisceretur, qui conciliato favore militum, opportunas regni ar-  
 ces, pecuniam publicam, classes atq; exercitus obtineret.  
 Supererant Baiazeti filij tres, Scianscio, Mahumeto, & Alemsciaco iam pridem morbo absumptis, Achomates Cor-  
 chutus atq; Selymus, florenti ætate omnes, sed diuersis in-  
 ter se uitijs, atq; uirtutibus insignes, Achomates consilio,  
 æquitate, belli & pacis artibus pollens, clarusq; quod duo-  
 bus iam regie indolis adolescentibus filij stiparetur, secunda  
 nominis fama ipsos presertim Asiæ populos & principes  
 aule, paternumq; animum occuparat. At Corchutus ob ni-  
 te ingenium, tranquillio-remq; naturam sapientiæ studijs de-  
 ditus, t. metssi cognitione humanarum rerum, ac ætatis præ-  
 rogatiua ab Achomate superabatur, nihilominus quæ apud  
 patrem ueteris pietatis, & summi beneficij memoriam non  
 omnino obliteratam esse confideret, imperium triginta ante  
 annis apud eum depositum, reposcebat. Namq; Mahomete  
 uita functo & Baiazete eius filio in Cappadocia procul  
 agente, prætoriani milites, & nonnulli equestris militiæ  
 principes, qui tunc Bizantij aderant, Isacho & Mesithe pur-  
 puratis attollentibus Corchutum adolescentulum imperato-  
 rem delegerunt, & traditis arcibus, atque thesauris auito  
 in folio constituerunt: ut ipsi tutelæ nomine, ex arbitrio cun-  
 ctâ imperij munia administrarent. Nec Baiazetes ab Am-  
 sia Cappadociæ rediens, quanquam se fraudatum iure impe-  
 rij pleneq; proditum ab omnibus quereretur, quicquam ta-  
 men precibus & lachrymis impetrasset, nisi in ipso egregie  
 pio, modestissimo q; adolescenti primis statim imperij diebus

## PAULI IOVII HISTOR.

ingenuus pudor, & parentis reuerentia, omnem regnandi  
 libidinem superassent. Siquidē Corchutus nolentibus etiam  
 his qui detulerant, sceptrum patri restituit, unde illi mox  
 liberalitate patris Lycia, Caria atq; Ionia, cum nobilissima  
 Asia ora ab Attalico sinu Phoeam usq; cesserunt. Porro Se-  
 lymus maiores spiritus gerens quum priuatam fortunam  
 minime pateretur, uti rei bellicæ magnopere deditus, una  
 maxime liberalitate, astu, comitate, bonis malisq; artibus  
 ad imperiū contendebat. Nec maximum bellū & paternum  
 regnum affectanti, studia prætorianorū deerant, qui misce-  
 re cuncta bellico tumultu malebant, unde honores, atq; diui-  
 tiæ certa laboris atq; audaciæ præmia peterentur, quàm sub  
 æquo sedatoq; principe, qui esset damnosæ pacis cultor in-  
 glorius otiosam inutilemq; militiam perferre. Is habitus ani-  
 morum erat in prætoriano equite, & Ianizarorum pedi-  
 tum consensus, quū Baiazetes qui haud dubiè Achomatem  
 successorem sibi destinabat, sparsis in aula super ea re non  
 omnino uanis rumoribus, filios pari ambitione ad imperiū  
 properantes suis sedibus exciuit. Primus omnium Selymus  
 classe in Ponto comparata ab Trapezunte urbe Theodosiam  
 adnauigauit: Adijtq; in eadem Chersonesso Mahometem  
 Præcopitarum & Tartarorum regem, cuius filiam iam ante  
 inuito Baiazete uxorem duxerat. Eum detectis consilijs  
 suis obsecrat, obtestaturq; per foedera sanctissimæ cognatio-  
 nis, ne sibi genero in summa rerum occasione deesse uelit,  
 docetq; quanta sibi spes adipiscendi imperij ab amicis præ-  
 torianisq; militibus proponatur, si propius accedat, pa-  
 tremq; de transferendo imperio cogitantem, aut arte con-  
 ciliet, aut ab instituto consilio eligendi constituendiq; succes-  
 soris, ducto in Græciam exercitu armis deterreat. Tartarus  
 colz

collaudatis eius consilijs, ut focerum decuit, alias confestim  
 naues ex Ponto atq; Maotide, uicinisq; præsertim Coppæ  
 Tanæq; emporijs, quæ sunt ad Tanaim amnem, cogi iubet.  
 Quindecim milia equitum armat, atq; hæc omnia Selymo  
 attribuit, ac maiores copias si bello contendat, se continuo  
 missurâ pollicetur. His properè confectis Selymus Borysthe  
 ne superato per Valachiam profectus, Danubium apud Che  
 liam urbem equitatum omnem traducit. Classem uerò ad  
 Varnæ portum, quæ Dionysiopolis olim fuit, in sinibus  
 Bulgariae & Thraciæ conuenire iubet. Ipse alias ex itinere  
 copias conscribens simulando aliud, quo suum consilium te  
 geretur, expeditionem in Pannoniam edicit. At Baiazetes,  
 qui Selymum ab Trapezunte in Europam multo antè tran  
 sisse cognouerat, admiratus quòd non planè sedato Techel  
 lis & Persarum bello, ex Asia discessisset, quòd priuato  
 consilio contractis externis auxilijs aduersus pugnacissimam  
 Hungarorum gentem difficile bellum pararet, quòd loca  
 Thraciæ proxima terrestri exercitu, Euxinum uerò ualidis  
 classibus obtineret, timere coepit ne hæc omnia contra se pa  
 rerentur. Enimuero iniqui turbidique hominis ingenium  
 callidus pater perspectum habebat, uel ex eo maxime, quòd  
 se inscio superbe admodum ac insolenter, ducendam sibi uxo  
 rem à Tartaris iudicasset, ac summa demum arrogantia ex  
 ercitus terra mariq; parasset: intelligebatq; modico eum im  
 perio non contentum fore, qui amplissimum audacia ac sce  
 lere parare posse confideret. Attamen eius uim atq; feroci  
 am dissimulatione leniendam magis, quàm eo tempore con  
 tumelijs exagitandam existimans, oratores ad eum mittit:  
 qui doceant quanto cum periculo Turcæ superioribus tem  
 poribus ea bella tractauerint, exemplo debere esse auum



## PAULI IOVII HISTOR.

Mahometem, qui infœliciter Pannoniorũ arma sæpe excu-  
 cuerit, proinde commodiorem rerum occasionem opperire  
 tur, ut maturiore ideoq; tutiore consilio, & maioribus uiri-  
 bus id bellum suscipere, & cum certa propè spe uictoria ge-  
 rere posset. Ad hæc Selymus respondit, se Achomatis inu-  
 rijs exstimulatũ, Asiam reliquissẽ, transissẽq; propterea in  
 Europam, ut amplioris ditionis præfecturam pro angusta  
 scilicet steriliq; & tũ ex inducijs pacata, quàm spectantem  
 ad Hiberos & Colchos, inter saxa montium degentes pater  
 attribuisset, sibi armis ex hostili prouincia uindicaret.  
 Quod uerò Hungaros tanquam insuperabiles bello minimẽ  
 laceffendos dicerent, se non esse eius animi, ut ullis periculis,  
 ullisue difficultatibus terreretur, quando antiqua illa iam  
 mutata essent, mutatis scilicet regibus, & nõ labante modò,  
 sed ferẽ euersa gentis uetere disciplina, Vladislaus dispar in-  
 genio uirtuteq; Matthiæ fortissimo successisset: nec ipse mor-  
 te aut belli communes casus ab incunte ætate timere didice-  
 rit, forti enim animo & honesta quidem petenti audentiq;  
 neq; Deos neque homines defuturos. Decreuissẽ se pro sua  
 dignitate, quam pater nimia fratrum potentia confregisset,  
 aut in acie non indecoram mortem, aut propagare imperij  
 fines, ne omnino postremo loco natus, in Othomanica domo  
 postremus quoq; uirtute, et gloria uideretur. Legati tametsi  
 Selymus omnibus sermonibus nihil pacatum ostenderat, mu-  
 nera tamen patris nomine, quibus ferox atq; immitis ani-  
 mus molliretur, addiderunt. Nam Samandriam, quam Scen-  
 derouium Belgrado oppositum Hungari uocant, ualidam  
 Mysorum urbem in Pannoniæ finibus, & complura oppi-  
 da regionis ueteri eius imperio adiiciunt, itemq; sexagim-  
 ta aureorum nummum milia dinumerant. Præterea lanceas  
 addunt,

addunt, & sericas uestes mille numero, magnamq; uim com-  
 meatus, quibus rebus contractos milites donaret atq; aleret,  
 ne spe prædæ domo exciti grauius ferrent, si absq; munere  
 dimitterentur. Selymus oblatis oppurtune muneribus ac-  
 ceptis, ambiguo magis responso atq; incerta spe suspensos  
 legatos ad patrem remisit, quam quòd ex antiquis consilijs  
 suis quicquam remiserit. Exacuebant animum imperij cu-  
 piditate accensum occulti ab amicis nuncijs, ac literæ monen-  
 tes uti approperearet, atq; omnem spem in celeritate pone-  
 ret, quòd sub eius profectiōe Achomatem à patre accer-  
 situm ex Cappadocia mouisse arma cognouerant. Interea  
 Baiazetes his etiam de causis permotus, ad id quod animo  
 multum antè proposuerat descendit, ac regem successoremq;  
 dicturum profiteretur, qui se annis ualitudineq; confecto,  
 parem tanto imperio regendo uigorem integræ ætatis affer-  
 ret. Ea quum per quatuor Bassas qui bello pacq; proxi-  
 mum regi locum obtinent, prætorianis militibus deferren-  
 tur, extemplo ab omnibus ordinibus reclamatum est, se nul-  
 lum alium quàm Baiazetem, cuius auspicijs amplius trigin-  
 ta annos meruissent, imperatorem uelle: non passuros pri-  
 uatum eum in obscuro uitam agere, qui tot uictorijs, tot ur-  
 bibus bello captis, Othomannicum imperium in summam  
 amplitudinem perduxisset. Satis in eo uirium superesse si  
 uegetæ adhuc ætatis honore, dignitatem diuturnitate impe-  
 rij, & gloria rerum gestarum partam retinere uellet. Eum  
 enim ex liberis ad imperij sedem suo tempore peruenturum,  
 qui patri legitimè successurus esset, uiueret modò ipse inco-  
 lunis ac multos regnaret annos. Nullã quidem post fata pa-  
 tris futuram apud filios de regno controuersiam, quum id  
 Othomannorum proles, uetere patrum instituto, iure tan-

## PAULI IOVII HISTOR.

tum atq; ordine, nullo ambitu, & nullis adiuta suffragijs adipisci consueuerit. Quòd si forte priuato iudicio & noua tanquam inducta adoptione, eum non deligat, quem per leges nunquam antea uiolatus populi militumq; consensus imperio destinariint, fore, ut humana diuinaq; omnia miscantur. Cæteros enim fratres, tam insignem contumeliã non laturos, nec quieturos unquam, donec impotenti patris libidine amissam dignitatem, tanquam abdicati spretiq; cum omnium rerum conturbatione armis recuperent. Hæc milites edocti ab amicis fautoribusq; Selymi, qui centuriones et uexilliferos pecunia & pollicitationibus subornarant, palam eloquebantur, ut Baiazetem à proposito deterrent. Cæterum ille eorum animos ab Achomate minimè alienos esse existimans, quòd illius dignitatem ad quem spectaret imperium, aduersus omnium iniurias tutaturos, elato animo profiterentur. Achomatem electurum se dixit, si is ab omnibus ordinibus probaretur. Sed prætoriani qui corrupti muneribus fidem libertatemq; uendiderant, probare quidem ac laudare Achomatẽ, sed principem creari superstitute altero, neq; ex uetere Othomannorum consuetudine, neq; ex commodo militum, neq; ex usu imperij esse dicere, quando nec fratres Corchutus, atq; Selymus, nec ipsi prætoriani ullam ex infidelitatis suspitione calumniam æquo animo toleraturi sint: si de uoluntate atq; modestia optimorum filiorum suspiciosus pater, aut de fide constantiaq; fidelissimi exercitus, cum se penumero expertus imperator addubitaret. Intolerandum quoq; cunctis uideri quòd præmijs per interregnum dari solitis, ex ipsa eterna religionis hominum præda, odio suo eius insoliti facti præiudicio, milites fraudulentur. Namq; mos est, ut defuncto statim principe, Iudæi & Christiani

expositi Turcarum iniurijs, qui Bizantijs, Peræ, Hadria-  
 nopoli, Tesselonica, Prusææ mercaturæ causa degunt,  
 à prætorianis per tumultum mercimonijs omniq; substan-  
 tia spolientur, prædæq; habeantur. Neq; prius milites sacra-  
 mento rogati in uerba noui principis iurant, quàm is om-  
 nem prædam donatiui nomine concesserit, & per caput  
 suum quod maximum apud Turcas iussurandum existima-  
 tur, affirmarit se nullam ex fontibus petiturum pœnam, atq;  
 omnem eius maleficij memoriam aboliturum. Baiazetes  
 postquàm omnibus consilijs suis aduersari milites uidit, ut  
 corruptæ eorum mentes ampliore pecunia caperentur,  
 quingenta aureorum milia prætorianis se diuisurum polli-  
 citus est, si Achomati fauerent, neq; ius, aut potestatem dicendi  
 noui regis intercessionibus impedirent. Nec publicani re-  
 demptoresq; deerant, qui magna ex parte ab hisdem pere-  
 grinis mercatoribus, eam summam se exacturos & in gra-  
 tiam Baiazetis representaturos profiterentur. Vicit tamen  
 Fortunam Achomatis improbitas & pernicacia prætoriani  
 militis, quanquam magna erant quæ proponebantur: Si-  
 quidem uberiora præmia destinauerant animis, si pro tem-  
 perato proboq; principe, prodigijs ferox, & pacis impa-  
 tiens, studio atq; opera militum ad imperium eueheretur.  
 Per hunc modum sua spe depulsus Baiazetes, dissimulandum  
 sibi in præsens, & compresso animi dolore ignominiam,  
 quàm occultè ferendam existimauit, dum sese occasio confici-  
 endæ rei aptior & tutior aperiret. Interea Selymus ab ami-  
 cis certior factus quanto studio, quantaq; partium conten-  
 tione prætoriani patris conatibus obstitissent, ne diutius ho-  
 minum uoluntates mora & tarditate frustraretur, neu pro-  
 pensissimis in se militum animis diffidere uideretur, relictis

## PAULI IOVII HISTOR.

Pannoniæ finibus exercituq; in Thraciam ducto, non longè ab Hadrianopoli loco edito confedit, unde castrorum fremitus exaudiri, & tentoria e summis urbis tectis conspici poterant. Mittitur inde ab Selymo in urbem nūcius, qui mandata patri ferret. Eorum summa fuit desiderare se plurimum, qui per multos annos absens patrem non uidisset in eius complexus deuenire, antequàm Trapezontem petiturus mare traiceret, quando eum exacta & præcipiti ætate nunquam forte esset interuisurus. Pertinere quoq; ad quietè Asiæ, liberorumq; concordiam, si apud patrem, comunem arbitrum et disceptatorem controuersie proponeremur, quæ sibi cum Achomate intercederent, nec tuto seruorum fidei committi possent: statueret colloquio diem, locumq; deligeret, nec graualetur exosculandæ manus facere potestatem, quod obscuris & tenuibus amicis, nedum liberis, maiores tribuere consueuissent. Baiazetes qui paucis antè diebus cognito Selymi aduentu, planeq; perspectis eius cõsilijs, aliquot Sazaccos cũ delecto equitatu e proxima Græcia prestidio acciuerat, & custodias in urbe disposuerat, timens ne specie colloquij milites à filio amicisq; eius deprauati, qui iam tum onerati promissis atq; muneribus occultè descuerant, ab se penitus alienarentur, atq; ipse demum uel aperta ui, uel insidijs circumuentus opprimeretur, spem omnem colloquij tollendam iudicauit: grauius incusato Selymo, quòd alienam prouinciam introductis copijs occupasset, quòd armatus colloquium postularet, quòd deniq; sua humanitate ac patientia, tam insolenter abuteretur: Non esse ab eo quicquam expectandum, quod ad concordiam pacemq; pertineat, qui externo equitatu circumdatus, iniussu patris bellum pararet, et de lissimas Othomannico nomini gentes, per quas iter face-

ret,

ret, effusè popularetur. Proinde eum rectè facturum si Thracia, Europaq; excederet, et dimisso exercitu in Pontum provinciam suam reuenteretur. Hoc si faceret, maiorem sibi quàm unquam antea apud patrem gratiam beniuolentiãq; pariturum: sin in incepto persisteret, se eum non pro filio, sed pro hoste habiturum, nec defuturos qui tantã audaciam, summã proximam perfidiã, statim ulciscerentur. Dimissis legatis, Baiazetes ea quæ secuta est nocte per speculatores cognoscit Selymum motis castris rectã Bizantium petiturum: quòd ab amicis accerseretur, qui existimarent si ipse cum exercitu propius accedere, in urbe intestinos motus orituros. His cognitis Bizantio timens, ne Hadrianopoli sedendo, imperij sedes amitteretur, prima luce proficisci constituit. Discedente autem Baiazete, Selymus trepidantibus Hadrianopolitanis, ne si resisterent intempestiua fides exitio ferret, urbem ingreditur: recreatoq; ex præsentis urbis copia uniuerso exercitu, quod antea sibi animo agendum proposuerat, ut patrem antecederet, maioribus itineribus Bizantium uersus contèdit. Vix dum Baiazetes ad uicũ cui nomen est Chiurus peruenerat (is medio fermè itinere à Bizantio uiam militarem amplectitur) quum ab coactoribus agminis cõclamatur adesse hostium antecursores, eos carpere nouissimos ordines, & iam lacescendo instandoq; uniuersum postremum agmen demorari. Baiazetes noua re perturbatus magis, quàm territus, ne quid fugæ simile profectio habere uideretur, statui signa omnemq; exercitum cõsistere iubet, eo proposito, ut si acrius instaret hostis, acie decertare. Duces & purpurati qui aderãt aut uetere amicitia, aut noua inclinatione animi, aut spe cognationis atq; potètiæ in Selymũ propensè, eiq; propterea obliquè callideq; fauètes, non probare

PAULI IOVII HISTOR.

consilium imperatoris, quòd leuitate atq; audacia filij usq; adeò permoueretur, ut praelio rem committendam existimaret: funestissimam fore uictoriam si inconsulte superbiente, ac nihil nociturum filium superaret. Contra, patrem si forte succumberet miserimam conditionem, cum uniuerso exercitu subiturum, cuius euentus tanto periculosius instare discrimen quanto ipse & rerum bellicarum apparatu, & numero copiarum esset inferior. Comprimeret iran, nec tot eximias laudes bello paceq; partas, in extrema etate, foedo exitu maculare properaret. Vnum omnino consilium salubri prudentia plenum uideri, si de profectioe celeritateq; nihil remitteret, & continuò Byzantium profisceretur. Selymum enim citò temeritatis poenas daturum si Bizantio excluderetur, nec dubium fore, quin in reditu ab his quorum agros esset populatus, honestius quàm paterno gladio cum latronibus suis caderetur. Huius sententiae princeps erat Mustaphas antiquior è tribus purpuratis, qui summe rerù consilio prepositi Bassensis appellatur. Is tum ingrato prauoq; animo Baiazetem, tanquam nimis diu regnantem fastidians, oderat etiam propter priuatas offensiones, ex collegarum amulatione conceptas. Selymum uerò spiritu atq; oris indole Mahometem auum referentem, à quo ipse fuerat educatus, tanquam imperio dignissimum occulta propensione animi prosequeretur. Erat Mustaphas ex oppido Seres, apud Amphipolim Græco sacerdote genitus, ingenio uastro, subdolo, semperq; uenali, quos animi morbos maligno obtutu distortisq; oculis præferebat. Secundum Mustapham erat Bostanges hortorum præfectus, ex Ducagina familia apud Aetholos clara & illustri, propterea Ducaginoglis appellatus, homo auaritia, ambitione, perfidia infamis, ut & postea

postea turpissimus uir & finis ostendit. Hinc Selymus filiã etate iam nubilem in premium corruptæ fide, occulta pactiome desponderat. Quibus etiam artibus Aiacem Ianzarorum prætorijq; præfectum perpulerat, ut sibi ad imperium, quo se satis uocari prædicabat, contendenti, studium suum operamq; præstaret: centurionesq; singulos opimi donatiui promissione in partes traduceret. Eodem ceteri minores duces, aut eadem præmiorum spe corrupti, aut potentioribus refragari non ausi, inclinabant. Vnus omnium Cherseoglis Bassa uir egregie probus, sine ullis fallacijs, constanti atque integra fide erga imperatorem eundemq; socerum, Selymi impotentiam, supra fas & æquum insolescentis, retundendam ui, armisq; censebat. Non laturos inermes Scythas, uel numero superiores, primum prætoriani equitis impetum. Ianzaros uerò quorum fides cognita, & multis periculis spectata uirtus esset, inuicti imperatoris deq; ipsis optimè meriti salutem & dignitatem utiq; defensores, atq; ab eo uindicturos, qui nec Deum scelerum ultorem timeret, nec paricidij nomen, apud homines uereretur. Prodiret modò ipse ad milites uultu fiducia pleno, hortareturq; ut acceptorum beneficiorum sacramentiq; meminissent. Admonet me locus postquàm in mentionem Cherseoglis incidimus, ut propter uiri claritatem, cum summa erga Christianos pietate coniunctam eius ad Turcas transfugij causam paucis enarrem. Non enim, ut ceteri ferè omnes à prima pueritia perdelectus Christianis parentibus erepti, sed iam planè uir, ita à morum religione discessit, ut nunquã ex arcano ueræ pietatis obliuisceretur. Is Chersechij reguli in Illyrico, ad montem Nigrum filius, quum adamatã ei sponsa quæ erat è Stirpe Seruie Despoti, ad paratas nuptias duceretur, concupiuit eam illico,



PAULI IOVII HISTOR.

quod esset egregiæ uenustatis, procaci oculo improbus pater, omnemq; pudorem superante libidine, sibi statim impotenter exclusso filio nuptias celebrauit, frustra reclamantibus propinquis: qui id facinus filio contumeliosum patriq; & domui infame detestabamur. Itaq; iuuenis tantæ iniuriæ indignitate commotus, præcipitiq; actus desperatione, ad proxima Turcarum præsidia, atq; inde Byzantium se contulit. Hinc mirari licet quantum in eo fortuna potuerit. Productum siquidem Baiazetes, quum læto ore, quod erat nobili claroque patre genitus, excepisset, et transfugij causam probasset, subridens, esto inquit, pacato animo generose, ab ista indole tua maiore multo quàm paterna domus ferat, sorte dignissime. Iam tibi pro erepta sponsa obscuri & exulis reguli propinqua maximi imperatoris filia, eaq; præcellentis formæ, matrimonio tradetur. Nec multo post abiurata Christi religione, Stephaniq; nomine deposito, Achomates & Cherseoglis uocatus, Baiazetis gener effectus est, indeq; locum summe dignitatis inter Bassa purpuratos promeruit: tanto tamen nostræ religionis studio, redeundiq; desiderio, ut quum in arcano animi nostræ religio conderetur, crucifixi seruatoris imaginem, in secretissima cubiculi parte armario inclusam, noctu exclusis arbitris, adoraret. Hoc nos à Ioanne Lascare, cui ipse tanquam amicissimo eam imaginem ostendit, accepimus. Hic Methone capta, patritios Venetos, quum reliqua captiuorum multitudo, crudelem in modum Baiazetis iussu in eius conspectu trucidaretur, exorato principe conseruauit, Andreamq; postea Gritum, quem aliquot post annos in clytæ uirtutis nomine Venati principem crearunt, captum Bizantij, teterrimoq; supplicio destinatum, non modo suis præcibus eripuit, sed impetrandæ pacis magno Reipublicæ

publicæ Venetæ commodo authorem fecit. Innumerabiles Christianos barbaris seruentes, cum authoritate, tum ære suo pie redemit. Nec illud quidem erga literarum studia eximia benignitatis officium prætermittendum uidetur, quòd Lascari, quem supra memorauimus Græcorum nobilissimo, pariter atque doctissimo antiquos codices iussu Leonis decimi conquirenti, cunctas Græciæ bibliothecas impetrato ad id regio diplomate, liberè excutiendas aperuit. Huius igitur uiri Baiæzetes, ea quam supra diximus adhortatione confirmatus, quum è prætorio inuadentium iam hostium, suorumq; trepidantium strepitum, clamoremq; audiret, et frequentes nunciarent Selymum direptis aliquot sarcinis, Tartaricum equitatum extremo agmini circumfudisse, fremens et præimpotenti ira lachrymas fundens, è tabernaculo prodiit uehiculo impositus quòd pedibus eger equo uti non poterat, conuersusq; ad prætorianos de more circumfusos, patimini, inquit, alumni milites, custodesq; corporis mei, qui triginta amplius annos mecum summa foelicitate militastis, et bello paceq; ea præmiatulistis, quæ et spe uestra, et æuarij facultate ampliora consensus uester actis cumulatè gratijs indicauit, patientini, inquam, à nequissimo filio nihil tale meritum patrem, à foedissimis latronibus uestrum imperatorem morbi senectæq; uirijs conflctatum, crudelissime trucidari? Deserar ego in hac mea tristi canitie, extremoq; atatis ætate, et per eos hostibus tradar? per eos, inquam, qui quondam summa fide eximiaq; uirtute, et dignitatem meam aduersus Gemem fratrem, atque hoc ipsum sæpe imperium aduersus bellicosissimas gentes tutati sunt, et fortiter defensum foeliciissime prolatarunt? Neque uerò ego, quæ de alienatione exercitus ad aures meas, cum maximo meo dolore per-

PAULI IOVII HISTOR.

feruntur tam facile crediderim, ne quæ si maximè credam, tanti timoris sim, ut aut animo deficiam, aut durius consulendum mihi existimem. Nam quid ego de fuga cogitem? uelut alibi fideliora quàm apud uos, & maiora præsidia paraturus. Quæ porro uestra spes est, quanquam infamis, & perditæ? Si qui uestrum (neque enim omnes ita insanire crediderim) nulla sacramenti reuerentia, nullo hominum pudore, nullo cœlitum metu, animum summi sceleris cogitatione maculastis maiora ne præmia ex defectione atq; perfidia, quàm ex fide constantiq; officio consecuturos uos esse confiditis? At etiam nonnulli impudentissimè suadent, ut egrum hoc & exangue corpusculum, melioribus casibus seruem, & me suge atque dedecori tradam, potiusq; salutem cum ignominia, quàm decorum honestumq; uitæ finem cum dignitate & gloria complectar. Quod tantum abest, ut ullo metu perterritus faciam, ut contra nullam prælio moram sim factururus. Periclitabor in meo hoc supremo discrimine fidem uirtutemq; uestram, & sigillatim omnium uoluntates, ut aut magna Deo auspice perditissimi hominis impetum frangam, aut certè cum alijs, qui in officio fideq; perstiterint, honesto uitæ exitu triginta annorum imperator à custodibus corporis fœdè scelesteq; proditus ac desertus occumbam. Hac oratione permoti ex Ianizarorum ordine gregarij milites, quibus propter eorum leuitatem & multitudinem, duces atq; centuriones ab Selymo pecunijs expugnati, consilia transferendi imperij minimè communicauerant, conclamare cœperunt, ne dubitaret prælium cõmittere, & suam fidem pristinamq; uirtutem experiri, tanta quidem alacritate ac studio omnium, ut uoce, manibus, et telorum crepitu se fortissimã operam præstatorios significarent: & magno cum dolore infidelitatis

fidelitatis suspicionem sustinere uiderentur. Hos ceteri eodem clamore secuti sunt, qui iam animo in Selynum inclinauerant, & illi in primis exercitus, atq; aulæ principes commutata uoluntate, siue pudore sceleris, siue eo metu, ne si in tempestiue contra multitudinis opinionem atq; iudicium aliquid tentaretur, exitabili incepto, & Selyni spem omnem abrumperent, & sese precipites darent. Igitur, ut est eorum hominum consuetudo, qui mobilitate atq; malitia animi dum conuinci, aut deprehendi maxime tinent, presenti perfidie secundum scelus nouamq; perfidiam addunt. Mustaphas atq; Bostanges ad cohortandos milites instruendamq; aciem, ut palam summum erga imperatorem studium simularent, è prætorio discedunt. Baiazetes curru uectus, monente atq; instructe Cherseogle acies hoc modo constituit. Vniuersum Sanzacorum equitatum (erant enim circiter sex milia) præcedere, prætorianas uerò nobilium alas, quas Spachio glanorum & Siliphitarorum uocant, ex instituta regij agminis ratione à dextra leuaq; prætorie phalangis ubi ipse erat, late-  
 ra stipare iubet, præsidio autem impedimentis ad quatuor milia seruorum equitum relinquit. (Hi cultu apparatusq; armorum auratis cristatisq; capitum tegumentis, etiam ipsos Sanzacos & purpuratos, dominos suos uirtute equantes cum præsidio, tum splendore & pompæ habentur) ac demum signa canere, rubrumq; uexillum explicari imperat. Ex aduerso Selymus Tartaris in utroq; cornu, Turcis autem in medio collocatis, lunata acie, quod multum equitatu ualebat, paternas copias serè undiq; circumplexus, impetum fecit. Tartari, quum ad hostem intra semistadij spatium peruenissent, agminatim more suo sese in gyros magnosq; orbes introrsus uacuos, coronæ modo decurrentes, ut aduersi auer-

PAULI IOVII HISTOR.

siq; pariter sagittarent, magnam uim sagittarum uniuersæ  
 propè aciei superfuderūt, cum insigni utiq; Turcarum equi-  
 tum equorumq; maxime detrimento, quum Tartari, qui in-  
 trorsus à prima ipsorum acie sunt non rectà in hostem, sed  
 in cœlum sagittent, ut sagittæ grauiore impetu ponderèq;  
 decedentes, inermia capita & nudos equorum clunes ar-  
 mosq; ex alto feriant. Sed ueterani equites Sanzacorum  
 usu edocti, elatis supra capita scutis, ueluti in coherentem  
 testudinem constipati, eum sagittarum imbrem constantis-  
 simè pertulerunt, concitatisq; equis, & intentis hastis, ad  
 congressum manumq; uenire properarunt. Neq; prætoria  
 nus eques occasione defuit, quin in mediam Selymi aciem ubi  
 Turcæ equites erant inucheretur, atq; ita repente factum  
 est, ut tria prælia tribus in locis uno tempore simul arde-  
 rent. Nam Ajax septingentos circiter sclopettarios è laniza-  
 rorum phalange detractos, Tartaris in extremo eorum cor-  
 nu opposuerat, & seruatorum ala, quam diximus impedi-  
 mentorum præsidio relicta, uti erat nauandæ operæ cupida,  
 altero cornu Tartaros sarcinis hærentes cum multa cæde re-  
 pulerat. Pugnatum est à meridie ad occasum Solis Selymo  
 multis in locis prælium restituyente, longèq; omnium acer-  
 rimè fortissimèq; pugnante. Sed quum fugæ initium iam or-  
 tum esset ab his Tartaris, qui sclopettariorum procellâ &  
 crepitum, pauentibus præsertim eorum equis, & retro uel  
 inuitos seffores asportantibus, sustinere nequiuierant, reliquæ  
 acies quin fugæ se darent, neq; imperio, neq; minis insuclis  
 etiam uulueribus contineri potuerunt, atq; ita pedites ferè  
 omnes, quos Selymus lanizarorū cultu armauerat, ab equi-  
 tatu uictore undiq; circumuenti trucidatiq; sunt. Selymus  
 ubi suas prostratasq; copias uidet, quòd uulnere accepto  
 tarda=

tardabatur, in recentem equū illatus, ereptusq; pericūlo à  
 turmis Turcarum suorum quæ super fuerant, Tartarorum  
 ante abeuntium uestigijs institit. Nec multo post uictores  
 scilicet subsequi & iam adesse ratus, cum paucis incitato  
 perniciosissimi equi cursu, sese utiq; fatis suis referuans, Var-  
 nam perfugit. Erat is equus unicolor absoluta nigricie, cui  
 Carabulo, id est, atræ nubi nomen fuit: huic postea Selymus  
 tanquam merito uacationem dedit, sic, ut in honore habi-  
 tus sine sessore, sola ex textilli auro stragula protectus, ad  
 Persas usq; & mox in Aegyptum deueheretur, eiq; demum  
 mortuo ad Memphim, Alexandri Magni exemplum secu-  
 tus sepulchrū condidit, regio quidem animo, nisi necati ab  
 eo fratres, sepulturæ honore caruissent. Baiazetes ea die ex  
 his, qui cum Selymo fuerant paulominus dimidia parte cæ-  
 sa aut capta, sexcentos tantum equites peditesq; desiderauit,  
 Scythicis autem sagittis amplius tria milia hominum uulne-  
 rata reperit: quod detrimentum summa crudelitate mox ex-  
 piatū est: producti enim captiui serè omnes in conspectum,  
 iubente eo, trucidantur. Ab hac memorabili pugna Chiur-  
 leus pagus, antea obscurus & ignobilis, claritatem accepit.  
 Sed multo quidem maiorem à fatali Selymi sorte, quum pau-  
 cos post annos eodē in loco Selymus, pestifero atrociq; ictus  
 morbo, immaturum acerbissimumq; uitæ finem inuenerit,  
 magno Deo (quod credi par est) primæ temeritatis scelus  
 uindicante, & patrati parricidij iustas exigente poenas.  
 Neq; enim superi eos in terris diu scelices esse uolunt, qui ab  
 immani crudelitate omnem humanitatem exuerint.

PAVLI IOVII NOVO-  
COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI  
Historiarum sui temporis.

LIBER XIII



**B**AIA ZETES secundum eam  
uictoriam Byzantium reuersus,  
primum omnium donatiuū mi-  
liti exoluit, coactisq; ad opus cir-  
citer quindecim seruorum mili-  
bus, mœnia terræ motu multis in  
locis hiantia aut collapsa restitu-  
it, deditq; operam mitescente iam  
pestilentia, ut reuocatis incolis, diu intermissus aule splen-  
dor, & pristina desertæ urbi frequentia redderetur. Interea  
Achomates, quem uix dum pacata Cappadocia propter fra-  
tris profectionem, & famam comparati exercitus ab Ama-  
sia mouisse demonstrauius, cum uiginti milibus armato-  
rum per Galatiam atq; Bithyniam, Scutarium uenit, id op-  
pidum Chalcedon olim fuit, pertinetq; ad Thracij freti an-  
gustias contra Byzantium, postitisq; iuxta littus tabernacu-  
lis, quid pater ab tanta uictoria consilij caperet, opperie-  
batur. Etenim eius animum summa obtinendi imperij spe  
impleuerant, præter iuris prærogatiuam, patrisq; iudicium  
& popularis fauor, & propria uirtus. Igitur frequentes  
nuncios Byzantium lembis diu noctuq; transmitters, Baia-  
zetem per literas summis precibus obtestari, & orare, ut  
mature quòd animo destinarat, in ea rerum occasione per-  
ficeret. Amicos uerò ac familiares suos sollicitare, ut pro-  
pen-

penfioſorem ſibi redderent patrem, conſilia creandi regis magis & magis laudarent: darentq; operam, ut poſtquam Selymi temeritatem atq; impetum Dij & Fortuna ex merito confregiſſent, ipſe amicorum beneficio ſubleuatus, & ſuo iure, & rerum imperio potiretur. Baiazetes qui uetere ſuo propoſito totus in Achomatem ſtrebatur, his quoq; ſermo nibus ad id, quod ſibi conſtituendum eſſe decreuerat, facile perductus eſt. At protinus patefacto conſilio triremes exor nari iubet, quibus Achomates ab Chalcedone Byzantiũ ad ucheretur. Sed milites præſectiq; quos Selymo ſauere ſupra docuimus, iterum refragari, eademq; illa memorare, quæ apud Hadrianopolim adduxerant: in ſumma, non eſſe paſ ſuros eum tanquam ætate inutilem eiurare imperium, qui modo forti conſtantiq; animo pro imperio ac dignitate ſœli citer dimicaſſet: ſe Baiazete incolumi neminem alium impe ratorem ſalutatuſ, neq; ſe tamen ſpem præcidere Acho mati, neq; uerò ipſum uoluntatibus militum debere diffide re, quin eorum ſauiore & ſtudio, uir cognita probataq; uir tutis & ius æquum, & imperium, quod ſine controuerſa ad ipſum tanquam natu maximum pertineret, ſuo tempore poſſet adipiſci: ſatis ſuperq; recenti prælio demonſtratũ eſſe, quantum ſpei ab imperatore in militum animis ſit reponen dum, qui pro fide atq; officio offerre ſe morti, & iniquiſſimo prælio non recuſarint. Hac militum conſternatione Baiaze tes ſpe ſua deiectus, ſiue ( ut aliqui crediderunt ) regnandi conſuetudine allectus, quòd ab recenti uictoria, neq; ſenẽ ſe, neq; inualidum ad regendam eam imperij molem, ueluti redi uiuo quodam animi uigore iudicabat, Achomatem monuit, ut ab Chalcedone abſcederet, atq; in prouinciam ſuam re uerteretur, ſe tunc cum Cappadocia accerſiturum, quum li



## PAULI IOVII HISTOR.

beralitate mollitis prætorianorum animis, & collecta sen-  
 sim principum gratia, melior conficiendæ rei occasio præbe-  
 retur. Achomates spe atq; opinione fraudatus, seq; & à pa-  
 tre deludi, & à prætorianis militibus despici questus, nouis  
 precibus minas addit, in patrē acerbè inuehitur, quòd se tot  
 terrarum spacia emensum, ipsiusq; præsertim literis euoca-  
 tum, despectui omnibus atq; ludibrio exponeret. Quòd si  
 Baiazes desipere perseveret, & tanti gratiam faciat præ-  
 torianorum, ut præ illa, nec equitatis, nec promissorū suo-  
 rum rationem habendam putet, se dignitatem suam, quàm  
 apud parum æquum patrem obtinere non possit, armis uin-  
 dicaturum. Ad ea Baiazes per Cadilescherum sacræ legis  
 interpretem summæ apud eos authoritatis uirū, respondit,  
 nec cautè satis, nec prudenter eum facere, qui insolentius ira  
 scatur, quum beneficiū, quod sola beneuolentia comparari  
 possit, ui & contumelijs extorquere contendat: omnia ei  
 integra reseruari: cessurumq; ei proculdubio imperiū, nisi  
 præpropere festinatione spes suas corrumpere, quas tole-  
 rantia atq; expectatione alere deberet. Disceret ex recenti  
 exemplo, fortunaq; Selymi fratris, quod ipsi quoq; usui sa-  
 lutiq; esse possit, longè periculosius esse uolentiæ audaciæq;  
 confidere, quàm peruersos animi impetus recta ratione mo-  
 derantè opportuna temporum & rerum momenta expecta-  
 re. Achomates quū mandata patris exponerentur ira atq;  
 dolore inflammatus, patris legatum obliquis uerborū con-  
 tumelijs dehonestatum, propè uiolauit, crebro dictitans, &  
 patrem cōmutatæ uoluntatis, & proditores perfidiæ prope  
 diem poenas daturus: motisq; propere castris Bithyniam,  
 per quam iter faciebat, hostiliter deprædatus Amasiam re-  
 diit. Ibi magis ac magis repulsæ dolore atq; ignominia ex-  
 titul-

*timulatus, consilium cepit inuadenda minoris Asiae, ut si de Bizantij imperio armis certandum foret, amplissimis eius prouinciæ opibus uteretur: uel si id minus consequi posset, dimidium saltem regnum, transmarinis regionibus in potestatem redactis, in omnes belli euentus occuparet. Itaq; uocatis ad se Amurathe atq; Aladino adolescentibus filiis multum de inimicorum accerbitate alienationeq; Baiazetis conquestus, docuit nihil sibi sperandum de successione imperij nisi protinus arma capessent, ac dignitatem suam aduersus inimicorum iniurias tuerentur: Possè facillè minorem Asiam occupari si celeriter audendū sibi existimarent, quādo Pisidia, Lycaonia, atq; omnis Pamphylie & Ionie ora, nullis exercitibus aut classibus tenerentur. Corchutū quoq; uel sua animi tranquillitate. atq; otio contentum fore, uel æquitatis atq; iustitiæ studio in partes transiturum, sin securas res suas dubijs permiscendas putaret, & pararet arma, eum protinus ad primum belli impetum possessione ditioris excessurum: Ceteros autem prouinciæ regulos illius auctoritatem uel fortunam secuturos. Proinde uirilem animam induerent, & in proximas regiones ad delectus habendos, & ad omnis generis præsidia comparanda proficiscerentur. Adolescentes, & propria indole & paternis adhortationibus excitati, imperata faciunt, statimq; ex amicis militibus, seruisq; præsertim egregiam armatorum manum cogunt. Ipse uerò præter ueterem exercitum quem aduersus Persas habuerat, nouos milites conscribit, ex finitimis urbibus strenuissimum quemq; euocat, percurritq; prouinciā, & se ipsum Asiae regem declarat. Eos porro qui non statim le dedere uelint, ipse & Amurathes & Aladinus diuersis in sociis bello persequuntur. Eo terrore circumducto multa*

PAULI IOVII HISTOR.

urbes aut debili, aut nullo penitus muro cinctæ, pars uoluntate, pars metu atq; armis expugnata, in potestatem Achomatis deuenierunt. Inde progressus in Lycaonia, interiorisq; Ciliciæ fines, Mahometem fratris filium, qui regionibus Caramanno proximis imperabat, per legatos & literas hortatur, ut sibi auxilio esse uelit ad recuperandam dignitatem atq; ulciscendas iniurias aduersus eos, qui Baiazetem dolis malignisq; persuasionibus ab se diductum deprauatumq; eò perduxerint, ut alium quàm primogenitum filium Imperij heredem constituendum existimaret. Dijs tamen bene iuuantibus se preoccupaturum eorum malitiam, ac uindicaturum armis, quod sibi iure deberetur, si Mahometes arma, milites, frumentumq; in castra transmitteret, faueretq; honestissimæ causæ, reperturū eum longè meliorem patrum, quàm ipse petrem inuenerit, qui si secum amice ac liberaliter ageret, cumulatisimas gratias in posterum esset relaturus. Mahometes aliquid earum rerum quas peteret se facturum negat, nisi aui Baiazetis literis id facere iubeatur, ad quem summa Imperij respiciat: non esse sui iudicij discernere an iure recteq; fecerit Baiazetes quod se sospite regnum filio tradere noluerit. Ceterum non ignorare nulli alteri parendum esse uiuente Imperatore, in cuius uerba & Scianscious pater, & ipse iurauerit, propterea debere eum iracundiæ modum imponere, ne quum inimicis nocere se speret, cum magna omnium inuidia patri noceat: & spem & dignitatem suam, quæ ex merito si patientia utatur paululumq; cunctetur, maxima futura sit, præpropere animi perturbatione corrumpat. Achomates qui præsto sibi affuturum Mahometem crediderat, quum postulatis suis grauius consideratusq; ab iuvene responderetur, exercitum in fines eius ducit,

eit, & regionem igne ferroq; deuastat. Nec multo post Ma-  
 hometem ipsum cum exiguo exercitu subsidio suis uenien-  
 tem, supra Larandam in itinere profligauit, compulsuq; in  
 oppidum per aliquot dies obsedit, ac demum accepto in de-  
 ditionem oppido, eum cum impubere fratre uiuum cepit:  
 consiliorios uerò atq; nutricium quorū consilio persuasum  
 Mahometem, atq; in id discrimen adductum fuisse putabat,  
 interficit. Quibus de causis Baiazetes ira ac dolore pertur-  
 batus, quòd in ea etate oppugnari ab duobus filijs calamito-  
 sum & plane miserum esse prouidebat, legatos ad Achoma-  
 tem mittit, qui furentem grauibus uerbis castigarent, &  
 Mahometem fratremq; eius, e custodia educi iuberent. Si id  
 impetrari, aut ea uis insanie leniri non posset, bellum indi-  
 cerent. Sed ille, qui quanto ambitiosus post repulsam ad im-  
 perium anhelabat, tanto acerbius atq; crudelius sibi agen-  
 dum arbitrabatur, principem legationis bellum atq; extre-  
 ma quæq; audacius comminantem in conspectu iugulari, &  
 cæteros ante uesperam castris excedere iussit. Ea res tunc ma-  
 ximè Baiazetis exulcerauit animum, & ab Achomate com-  
 plures mortales alienauit, quòd legatos ad componendam  
 controuersam missos, contra ius gentium inhumanè admo-  
 dum ac nulla patris reuerentia uiolasset. Conclamant prætò-  
 riani qui in statione erant, ita ut Baiazetes exaudiret, non se-  
 rendam esse temerarij hominis audaciam, sed protinus sceleri  
 armis obuiam eundum. Impunitate ac mora ualescere malo-  
 rum uires, si cunctetur imperator ac mitius agat, eum mox  
 auxilium atq; operam frustra à militibus imploraturum.  
 Mustaphas quoq; & Bostanges ac cæteri qui Selymi rebus oc-  
 cultè fauebant, atq; hæc per idoneos homines singulari calli-  
 ditate in uulgus militum spargi curauerant: Mussare primo,

PAULI IOVII HISTOR.

atrocitatem sceleris admirari, ueluti damnarent quidem cras  
dele factum, authorem uerò minimè criminarentur. Mox ubi  
Baiazetem proprio ardore & uocibus militum satis incita-  
tum, & ex fiducia superioris uictoriæ ad ulciscendum iniu-  
riam paratum uident, quàm acerbissimè & crudelissimè in  
Achomatem inuehuntur, eum, ut parricidam, ut imperij ho-  
stem, bello persequendum censent: tolluntq; subinde ad cœ-  
lum laudibus militum fidem atq; uirtutem, qui pro salute ac  
dignitate imperatoris nouos ultrò labores sibi expeterent.  
Ita Achomates astu atq; solertia ducum, patris iracundia atq;  
omnium deniq; militum iudicio hostis declaratur, decernun-  
tur prætoria cohortes, & magna pars Europæi equita-  
tus, quibus primo quoq; tempore aduersus eum in Asia bel-  
lum geratur. At quum belli dux uirtute armorumq; peritia  
insignis deligendus esset, atque ea maximè cura ad Bassas  
pertinere uideretur, cœpere omnes aspernari honorem il-  
lum, & pro se quisq; id munus abnuere, atque indignum esse  
testari, ut serui auspicijs imperatoris, filius oppugnaretur  
milites quoq; nihil se aduersus regiam prolem ausuros præ-  
dicabant, nisi unus ex ipsa Othomannorum domo copijs &  
summæ rerum præficeretur. Sic quondam Gemem eius fra-  
trem in Ciliciæ rex nouas molientem & proximè Selymum  
non alijs quàm Othomânis ducibus debellatos. Hæc illo per-  
spiciuè pertinebant, ut Selymum, quem occulta beniuolentia  
prosequebatur (tametsi illum nisi probri causa nominare non  
licebat) obliquis artibus patri reconciliarent, uiamq; ei redi-  
tus Bizantium hac ratione præstruerent, quoniam nec Ba-  
iazetem senecta & ualitudine conflictatum, nec Corchutum  
hominem philosophum, eius belli prouinciam petituros ar-  
bitrabantur, unum autem Selymum ex Othomânis superes-  
se,

se, ad quem nepotibus per etatem minus idoneis exercitus  
 imperium deferretur. Ad eas uoces Baiazetes perplexo  
 atque astuanti similis in prætorium se contulit, morbum &  
 inutiles annos incusans: querensq; quòd Corchutus dum  
 inanè sapientiæ nomen & umbratile uitæ genus sequere-  
 tur, digniores regia fortuna artes, & honoratiora uitæ sub-  
 sidia reliquisset. Hæc dicentem uoluntatemq; animo, Ma-  
 staphas lenire omnes eius curas assuetus, in uarios sermones  
 de summa belli consultatione pertractum, paratâ oratione  
 ita allocutus est. Noli existimare imperator, etiam si per pro-  
 speram ualeitudinem etatemq; liceret, aut transmittendum  
 exercitum, aut omnino tibi in Asiam traiciendum, ne dum  
 totâ Asia uagum Achomatem bello persequeris, longè acio-  
 rem hostem in Europa relinuas, qui Traciam, Græ-  
 ciam omnem, atque Bizantium nudatum præsidij inuadat.  
 An non audimus Selymum supra Varnam alias parare co-  
 pias, nouum ab socero equitatum expectare, atque immine-  
 re iterum ceruicibus nostris? An forte ille non maiores spiri-  
 tus gerit, quàm aut animo frangi possit, aut hac una atque  
 fortuita dimicatione superari? aut si ueteranos in Asiam  
 transmiseris, Corchutumq; cum suis superioris anni delecti-  
 bus, qui te egro Selymi conatibus obstet, in Europam euo-  
 caueris, timebit ille tyrones Asiaticos, aut philosophum du-  
 cem, qui prætorianos, robora uirorum toto orbe conqui-  
 sita, ac te ipsum ueterem & scelicissimum imperatorem ti-  
 mere noluerit? Falleris imperator, & ancipites rerum casus  
 non planè perspicis, qui cum duobus uno tempore in diuer-  
 sissimis Asiæ atque Europe partibus bellum gerendum esse  
 non cogitas. Etenim dum illum Cappadociæ finibus extur-  
 bare contendes, hic propior & occasioni imminens à ter-

PAULI IOVII HISTOR.

go, in media regni uiscera bellum molietur. Sin periculi magnitudine permotus, et Thraciam tueri, & praetorianos retinere uolueris, ardebit in conspectu Asia omnis, nec ille iniurijs aut bello finem faciet, donec sibi Asiae imperium uendicauerit. Ergo si non culpa, sed fato & fortuna tua datum est, ut duo ex te geniti omnium consensu patris & patriae hostes iudicentur, quorum alter temeritate praecipuus, alter superbia et furore actus, bellum intulerint, cur in tam impedito difficultiq; negotio, tuta consilia speciosis non anteponis? & quos uno tempore castigare ulcisciq; non potes, eos singulos atq; inter se dissidentes per occasionem aggredieris? Haec spes una salutis, haec una uia est, si clauum (ut dicitur) clauo trudendum, atq; hoste uincendum censueris. Comprime tantisper uindictae ardorem, & dissimulata in praesens aegritudine animi, alteri inducias simulatamq; pacem concede, alterum uero alterius ausu periculoq; in utrumq; casum prospero euentu bello persequere. Opprimes eum mox quum uoles, cui signa exercitumq; tradideris, erunt enim scelerum uindices militum dextra, & tu summa tua securitate bellum conficies, obiectando periculis quem & uincere uelis, & eundem interire desideres. Mustapham loquentem adhuc caeteri purpurati, ut inter se constituerant, exceperunt, compositisq; in eam sententiam orationibus, Baiazeti persuaderi coeperunt, ut Selymum belli ducem deligeret, illum satis poenarum suae temeritatis dedisse. Proindeq; ueluti castigata arrogantia in officio fidelissime permansurum, Achomatem uero non facturum quicquam pro sano, qui patris oratores uiolarit, nisi & ipse armis, ut Selymus nuper uictus fugatusq; fuerat, tota Asia pelleretur, Baiazetes quod in ea re admodum graui explicanda Cherseoglis solus frater omnium fidelis sub tristi

nultu mussaret, diu in incerto habuit quidnam consilij potissimum caperet. Obuersabantur animo grauissimæ offensiones, secumq; ipse reputabat Selymum ex Asia inuasisse Europam, occupatam ab eo Hadrianopolim, in acie se circumuentum, petiit se Scythicis sagittis, ac solo prope Deorum beneficio discesse uictorem. Illinc contempta imperia, nepotes bello capti, iura legatorum uiolata, subactæ urbes atque Asia omnis perturbata, ardensq; miserabili belli incendio, irracundiam & uindictæ desiderium acuebant. His anxium curis insignes Græco astu immaniq; perfidia consultores, uel reclamante Chersogle, perpulerunt, ut literas ad Selymum sua manu conscriberet, quibus priorem ei gratiam oblitterata præteritorum memoria polliceretur, deseretq; copiarum imperium si Bizantium quamprimum ueniret, & aduersus Achomatem in Asiam proficisceretur. Dum hæc Bizantij parantur, Corchutus ab amicis & familiaribus suis per literas edoctus quanta imbecillitate pater senex, quibusue consilijs post declaratum hostem Achomatem uocare ad se Selymum, atque eum ducem exercitus declarare contenderet, è Magnesta Phocæam descendit: conscensisq; triremibus Bizantium adnauigauit. Igitur magno comitatu amicorum progressus in intimum prætorium, postquam patrem dextra osculo petita salutauit, eum post uarios sermones in hunc modum allocutus est. Trigesimus agitur annus pie atque optime pater, ex quo prærogatiua militari consensu ciuium, totiusq; aulæ principum iudicio creatus atq; acclamatus imperator, hoc regnum possessionemq; huius imperij lubens ac uolens tibi de manu tradidi, quod quis tandem mortalium nisi, aut insanus, aut optimus unquam fecisset? Non enim ui, non metu impulsus, sed sola tui reuerentiæ



PAULI IOVII HISTOR.

id religiosi gratiꝫ animi specimen edidi. Neque postea me in tot annorum decursu eius singularis officij, & representatæ pietatis unquam poenituit, quando his quæ possidenda concesseras, & clarissimi facti laude contentus fortunam hanc tuam, & sublime mortalitatis fastigium cum tranquillitate atque otio studiorum meorum minimè comparanda esse censebam, quum alienum prorsus à decreto compositi animi, inaneꝫ esset ea appetere, quæ ambientis animi desiderium non finirent, et multo meliora cunctis imperijs contemplanti animo uirtus ardua, & prædulcis diuinarum rerum cognitio pollicerentur. Hac me uadentē uia, & hæc tua regna fastidientem, quum religionis ac sapientiæ causa in ultimam Arabiam ad aram Diui Mahometis, & ad Indos, tanquam exactioris disciplinæ professores contenderē, medio itinere per Memphiticum regem ex Aegypto in Phrygiam retraxisti, iussistiꝫ: ut euitatis (quæ necesse erat adire) periculis, consideratius uita salutiq; consulerem, & pietatis erga te meæ, & tuæ erga me beniuolentiæ fructus operirer: ceu uentura esset tempora quibus propter malorum ingenia, tibi atque Othomannorum familiæ usui, atq; subsidio esse posse uirum innocentem atq; philosophum existimares. Itaque ab eo tempore semper & parui imperijs tuis, & quanta maxime potui cura atq; iustitia prouinciæ meæ satisfeci, & proximo Persarum bello parauit eduxiꝫ exercitum, quo fines ab incursionibus Barbarorum tueremur. At quum illis minore Asia pulsus profligatisq; impij ac perditissimi fratres, alter in Europa nefario scelere te patrem atate confectum & neruorum dolore cruciatum, ut regno pelleret & interficeret, in acie circumuenisset, alter in Asia summa temeritate atque perfidia illic regnum occupa-

paturus

paturus fratris sui filios adolescentes optimos tibiq; maxime fideles obsedisset atq; coepisset, existimaui huc mihi omnino esse traiciendum: quod non sine Dei optimi maximi prouidentia fieri intelligebam, ut eo maxime tempore à te prudentissimo atq; humanissimo patre, principeq; omnis æquitatis atque iustitiæ cultore sanctissimo, meorum erga te meritum parem gratiam postularem: quo tu fratrum meorum scelera expertus id rectè & commodè præstare posses, quod etiam nullo meo simili officio prouocatus certissima ratione concedendum arbitrareris. Igitur te pater optime oro obtestorq; per fidem erga te meam, perpetuamq; pietatem, ut antequam Selymus adueniat, & dignitati meæ prospicere, & consulere imperio uelis. Tolle ille quum armatus irruerit iura omnia constituende pacis, & fauore militari cuncta miscebit. Audio enim prætorianos & duces exercitus conuersis in eum studijs occasionem circumspectare, ut quem inuiti acie profligarint, eum ultrò imperatorem atque Sulthanum saluent. Proinde imperium quod optimo iure meum est, et antiquæ meæ erga te pietatis insigni merito debetur, dum potes, dum in manu tua est, in hac eadem quàm præcipiti rerū occasione restitue. Frustra enim æquissime cause fauebis, quum recepto intra urbem nefario ambitiosoq; homine imperium & libertatem amiseris. Baiazetes Corchutum uix tenentem lachrymas, & ipse tenero confusus affectu miti oratione consolatus bono animo esse iussit, aperuitq; consiliorum suorum causas, paratum se reddere imperium: sed quominus id statim faceret, impedimento esse prætorianos, qui nuper consilijs suis obstiterint. Illos enim si uel minimam eius rei suspicionē iniiceret, etiam atq; etiā aduersaturos. Vno eo consilio sub specie honoris detra-

PAULI IOVII HISTOR.

hi tandem ex Europa Selymum, & ablegari in Asiam prætorianos: quorum absentia sibi merum ac liberum Imperium relinqueretur, traditurum se protinus sceptrum quum illi mare traiecissent. Nec credere præfectos & milites qui se nuper acie circumuentum fortiter egregieq; defenderint, aut insidias molituros, aut recentis facti gloriam turpi facinore maculatuos. Quin & sperare, superis ita uolentibus qui immanium scelerum uindices semper extitissent, Selymum et Achomatem si semel acie conflixerint, mutua crudelitate perituros: Corchutus, siue probata ratione paterni consilij, siue cognita eius uoluntate, uerbis minimè disceptandum existimans, non sine spe potiundi imperij ad amicos redijt, egitq; Bizantijs plures dies, nec tamen, aut militum, aut ducum sibi quenquam uel largitione uel præmiorum pollicitatione conciliauit, quod ambitione aut pretio petendum minimè iudicabat, id quod sibi iure optimo ex paternâ gratia deberetur. Interea Selymi familiares, eum de Corchuti aduentu certiores faciunt, admonentq; ut iter maturè capiat, & Bizantium appropere: imminere enim periculum ne Baiazetes, & senex & inconstans, maioris filij precibus delinitus, expeditam perficiendi negotij rationem interpellat atq; discutiat. Selymus qui in unam eam curâ excubabat, ut si unquam sibi occasio adeundi exercitus præberetur, ipse statim spe ingentium præmiorum corruptis omnibus ordinibus Imperium arriperet, nullam profectioni moram fecit, & modico equitum comitatu, cæteris subsequi iussis, Bizantium peruenit. Corchutus cum purpuratis primoribusq; aule, & magna parte prætorianorum ad portam usq; obuiam progressus, introeuntem osculo excepit, deduxitq; per mediam urbem, effuso passim omni populo ad spectaculum hominis

hominis inmani audaciæ scelere conspicui, crebrisq; subinde dispolis tormentis in læticiæ signum, inter faustas acclamationes puerorum atq; militum: ut facile appareret omnem recentis noxæ inuidiam decessisse, eumq; mox omnium iudicio rerum Imperio potiturum. Postero die Selymus in prætorium uenit, supplexq; & pedes patris exosculatus, temeritatis suæ ueniam postulauit. At quem Baiæzetes summa lenitate subridens, errata, inquit, tua Selyme fili eo minora sunt, quod celerem pœnitentiam inuenerunt, proinde lubentius ueniã do: sed in posterum age & enitere, ut qui tibi industriam fortitudinemq; tribuit Deus, & bonã quoq; mentem dedisse uideatur. Dignam quidem ausibus tuis bellimateriam paratam habes, quò uirtus tua enitescere possit. Nec multò post indicitur militare concilium de Imperatore aduersus Achomatem diligendo. Selymus statim multis imperatorum nomen sibi deferentibus summo astu reluctari cœpit, negare se Corchuto fratri, qui ætatis honore prudentiaq; præstaret anteponendum, illi deberi iure honorem, illum summa auctoritate sapientiãq; bellum administraturum: se postquam paternam gratiam recuperarit, minimo quoq; loco contentum fore. Corchuti uerò familiares, qui omnem spem suam atq; omnia consilia in discessu Selymi & prætorianorum collocauerant, eum rursus, quasi utrinq; modestia certaretur, hortari, orareq;, ut eas partes susciperet, quæ sibi strenuo ac rei militaris peritissimo absq; ulla fratris contumelia deferrentur. Ita Selymus Corchutum fratrem atque eius fautores miris artibus ludificatus, dum simulando aliud quàm quod struebat, uana spe imprudentium animos pascit, omnibus suffragijs Imperator exercitus declaratur. Extemplo nonnulli milites magnis acclama-

PAULI IOVII HISTOR.

tionibus non ducem eum modò, sed regem principemq; con-  
salutant, & properè arma corripuiunt, quibus flagitium  
suum atq; perfidiam tuerentur, si meliores obsistere uel dis-  
sentire uellèt, Selymus ipse deprecanti similis, quasi delatum  
imperium abnueret, & patris reuerentia promoueretur,  
modò se commèdare e militibus, donatiuumq; polliceri, modò  
duces orare, ut ad patrem pergerent, curarentq; ut post-  
quam ea mens exercitus foret, imperium sibi sine turba &  
tumultu libenti animo traderetur. Mustaphas siue propria  
perfidia, siue mortis metu, quòd ei Selymus nisi hæc patri re-  
nuociaret, mortis supplicium comminatus fuerat, ingressus  
ad Baiazetem, qui clamoribus militum excitatus e cubiculo  
in apertiore edium partè processerat, Imperator, inquit,  
milites tui Selymum & ducem & principem in concilio sa-  
lutarunt, postulantq; ut id ratum habeas, facturi mox impe-  
tum in regiam, ut te meq; trucident, nisi imperio cesseris.  
Petunt abs te illi summo consensu quod iam in alterius ma-  
num transtulerunt. Proinde longè periculosius est retinere  
quod amiseris, quàm iam ereptam ultro concedere, quum  
id nulla ui, nulla ingenii solertia recuperari possit: Arma te-  
nent, fremunt, & qui semel defecere, maiora etiam scelera  
meditantur, Baiazete metu atq; ira perturbatus, sicine in-  
quit, perfidissimi tandem me proditis? summaq; mea in uos  
beneficia, tanta perfidia compensatis? Quin & hanc quoq;  
animam eripitis, qui hoc corpusculum & instantem uitæ  
meæ finem expectare non potuistis, ut iusto legitimoq; prin-  
cipe cieccto, scelestissimum uobis imperatorem præficeretis?  
Sed habetote principem parricidam, daturi mox eo uindice  
perfidie poenas, atq; ipse ab irato Deo maximo non dubio  
ultore scelerum, à scelere auspicietur imperium. Mustaphas

phas cum Rostagne & Aiace statim reuersus ad prætoriam nos, nulla de dolore uel iracundia Baiazetis facta mentione, cedit, inquit, Baiazetes Imperio & Selymum cui superatq; homines imperium detulerunt, sibi successorem decernit. Ea uox excepta omnium auribus, his primum quos Selymus corruerat spiritus auxit, dehinc dubios desperato remedio in partes traduxit. Ergo quum libidine atq; impetu militum cuncta raptim agerentur, sublatus in equum Selymus, per celeberrimas urbis regiones deducitur, & rex & Imperator diuerso animorum habitu acclamantibus omnibus salutatur. Eo die milites sacramento adacti in uerba Selymi præeuntibus ducibus iurauerunt. Corchutus uero, uel dolore irritæ spei, uel mortis metu, quanquam ei Selymus Mitylenas ipsamq; insulam Lesbum dono dare se dixisset, solutis occulte triremibus Phocæam redijt. At Baiazetes modo terrarum orbis principum amplissimus, in tanta hominum perfidia, rerum omnium iniquitate, secedendi consilium capit, Byzantioq; excedit cum familiaribus suis collecta prætiosiore suppellectile, petiturus Dimetocam Thraciæ urbem amœnitate hortorum, cœliq; temperie & exilio & præsentis fortunæ opportunam. Sed quum acerbissimis curis agitated animus eum deficeret, & affectæ corporis uires collaberentur, medio itinere statui tabernaculum iussit, ut ualitudinē quiete curaret. Ibi septuagesimo sexto ætatis suæ anno ab Hamone Iudæo medico, qui iussu Selymi salutiferæ potioni uenenum miscuerat, necatur. Aliqui tamen senio & longa ualitudine & ad extremum prægrauantibus curis attenuatū interiisse contendunt. Sed Antonius Vtrius Ligur à cubiculo Baiazetis, qui de his rebus commentaria ad Leonem pontificem conscripsit, referebat nobis se in expirantis

PAULI IOVII HISTOR.

corpore non dubia ueneni indicia deprehendisse. Ferunt Selymū proximum paternæ uitæ exitum, urgente etiam senio, expectare noluisse, quoniam si eo sospite in Asiam aduersus Achomatem traiecisset, nihil tutum pacatumq; Byzantij se relicturum existimabat, ratus Baiazetem, se absente ad repetendum imperium nullam moram esse facturum. Perstrinxit quoq; crudelem animum auaritia supra imperij sollicitudinem: namq; uasa auro argentoq; celata, & præter signatam pecuniam plenos pretiosissimarū gemmarum & unionum loculos, quæ tot progenitores reges ex immensa illa opum amplitudine reliquerant, unus Baiazetes uniuersa asportabat, ingentia sanè atq; opportuna subsidia in proximum donatiuū, præsertim cuncta debenti militibus, qui pretio & spe futuræ liberalitatis unius horæ momento cuncta detulissent. Paterno autem funeri delato in urbem Byzantium summa in speciem pietate iusta persoluit, statuens illi æternos ignes, & sepulchrum celati operis, ne cui imperium & uitam inuiderat, supremos quoq; honores inuidisse uideretur. Inde pecuniam, quæ in ærario erat, recognouit, diuisitq; militibus pro donatiuo uicies centena milia aureorum, & quo magnitudinem animi perpetua liberalitate testaretur, ad ueterem stipendij summā in singulos dies equiti quatuor, pediti uerò duos argenteos addidit. Nec multò post cum exercitu in Asiam traiecit: progressusq; ad Ancyræ urbem, ut Achomatem persequeretur, ea asiaticæ memorabile gessit. Namq; Achomates haud ignarus non adesse sibi iustas uires quibus fraterni exercitus impetum sustineret, in Armeniæ minoris fines & montana Cappadociæ penitus concesserat, passim fidem populorū implorans, milites conscribens, arma, pecuniam, auxilia etiam ab insi-

mis

mis externisq; postulans : ut ea omnia in tempore parata  
 atq; expedita haberet, quæ ad gerendum bellum, atq; obti-  
 nendam Asiam necessaria uidebantur. At Selymus exacta  
 æstate, quum in locis Tauro proximis propter niues atque  
 acerbissima frigora hyemare non posset, neq; si progredere-  
 tur Achomate nusquam consistente posse conficere bellum  
 speraret, in Bithyniam rediit: dimissoq; ad loca maritima  
 Europe equitatu, & prætorianis Byzantium reuerti iussis,  
 ipse cum cæteris Prusiæ hyemare constituit. Quo tempo-  
 re, quum totus in Achomatem imperij anulum atroci ani-  
 mo deferretur, ne sibi in Asiam bellum gerenti, quicquam  
 hostile ab Europa timendum foret, pacem cum Venetis his-  
 dem legibus, quibus eam Baiazetes pater sanciuerat, con-  
 firmavit: & cum Vladislao Pannoniæ, Sigismundoq; Sar-  
 matiæ regibus, ueteres inducias ad aliquot annos extendit.  
 Nec multò post Selymus, quum nullam pro firmando impe-  
 perio suspicionem, etiam de pueris superfluum existimaret,  
 quinq; egregiæ indolis adolescentes fratrum filios necari ius-  
 sit, inter quos erat Mahometes, quem paulò ante ad Laran-  
 dam captum, Achomates audita morte Baiazetis dimiserat.  
 Erat is primi filij Baiazetis liberorum natu maximus, alte-  
 rerum & uigesimum natus annum, specie corporis & uigo-  
 re animi Othomannorum præstantissimus. Quæ omnia si-  
 cut ei militum ac populi fauorem conciliabant, ita uno inui-  
 dente Selymo exitum pepererunt. Ferunt Mahometem ingre-  
 sos ad se duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendū esse  
 denunciarent, ac mandata statim exequerentur, alterū ca-  
 lamario cultello confecisse, alterum iam uulneratum inter-  
 fecturum fuisse, nisi alij Satellites irrupissent, qui frustra re-  
 uertantē strangularūt. De Osarne Alësciaci & Zilibo Ma-



PAULI IOVII HISTOR.

humeti, duobusq; alijs tenellis adhuc pariter supplicium sum-  
 ptum, adeo consternatis eo scelere omnium animis, ut com-  
 plures milites tacita inuidia, per aliquot dies regis conspe-  
 ctum exhorruerint. Nec tot propinquis uno furore absum-  
 ptis imitis animus ab crudeli rabie conuicuit. Namq; ut cla-  
 rissima Othomannorū sobole extincta, uacuum seuitie sue  
 domum faceret, reliquos ex omnibus Baiazetis nepotibus  
 Amurathē & Aladinum per insidias interficere cogitauit.  
 Receperant illi nuper Amasiam, qua urbe ab Selymo, supe-  
 riore æstate pulsifuerant, quū Achomates pater in monta-  
 na Cappadociae persugisset. Ad eos opprimendos ualidam  
 equitum manum delegit, qui magnis itineribus Amasiam  
 contenderent, adolentesq; imperatos, ac nihil de præsentis  
 periculo cogitantes cōprehenderent. Neq; id erat factū diffi-  
 cilē, quum expeditus equitatus omnem ferē aduentus sui fa-  
 mam celeritate præuenturus esset, nec urbs ipsa aut munita  
 moenibus, aut tuta præsidio militum foret, quod eo tempore  
 Achomates in loca Caramanix proxima ad conducendos mi-  
 lites profectus erat. Sed Mustaphas consilij particeps, cuius  
 singulari studio atq; opera Selymum ad imperium euectum  
 docuimus, quum indigna morte Baiazetis & tot insontium  
 puerorum cade permotus, totum se animo ab amicitia cru-  
 delissimi hominis auertisset, imminentem miseris iuuenibus  
 calamitatem miseratus, per celeres tabellarios de aduentu  
 equitū eos certiores fecit. Quibus acceptis literis, illi statim  
 patre reuocato, occulta præsidia cōpararunt, quibus hostes  
 exciperentur. Ita quū paucos post dies Selymiani Amasiam  
 peruenissent, & forte eodem tempore reuertisset Achoma-  
 tes, præcipitati in insidias facile trucidati captiq; sunt. Acci-  
 dit aut ut serui Achomatis, quū Selymianis captiuis illude-

vent omnem insidiarum & regi gesta ordinem aperuerint,  
 usq; adeo male in aula principum consilia etiam de maximis  
 rebus occultantur, iactantes non deesse sibi amicos etiam ex  
 intimis Selymi familiaribus, qui meliori cause fauerent, &  
 grassari seuireq; belluam illam non paterentur. Illi autem  
 postquam redempti, Prusiam rediere, quæ ab hostibus co-  
 gnouerant, regi detulerunt. Nec mora Selymus neminem  
 præter unum Mustapham authorem detegendi arcani con-  
 silij existimans, siue quod iam ei tædio esse cœperat hominis  
 gloria, siue, ut insigne beneficium cui par gratia reddi non  
 poterat, exitio compensaret, eum inauditum interfici, &  
 cadauer nudum in tantæ modò foelicitatis ludibrium in pu-  
 blicum abijci iussit. Interfecto Mustapha, & imminente iam  
 uere, ne quid de instituta immanitate remitteret, ad tollen-  
 dum Corchutum fratrem crudelem animum adiecit. Agebat  
 ille Magnesia, nec aduersus Selymum abrupta spe imperij  
 quidquam hostile moliebatur, regressus ad philosophiæ stu-  
 dia à quibus ambitione corruptus intempestiue discesserat.  
 Igitur præfectis edicit ut sex milia fortissimorum equitum  
 deligant, qui in tertiam diem corpora, arma, equos, profecti-  
 onem parent, se in Cappadociam celere excursionem esse fa-  
 cturum. Satuto die Selymus Prusia mouit conuerso in dex-  
 tram suorū agmine, ita ut equites qui recta Amasiā petere  
 credebāt, tū demū in Lydiam se abduci perspicerent. Vnus  
 ex equitibus egregij animi, quicūq; ille fuerit coniectura iu-  
 dicans, ad opprimendū Corchutū iri, uelocissimo equo usus,  
 per cōpendia uiarum regem antecessit, Magnesianq; peruo-  
 net. Cuius monitu Corchutus de periculo certior factus, re-  
 licta familia cum duobus seruis ad mare cōtendit, ut aliquot  
 in littore nauigiū uactus, in Cretā adueheretur: aut certe ue-

PAULI IOVII HISTOR.

piscatoria nauicula Rhodum perfugeret. Ceterū Selymus  
 improuiso aduentu suo perterrefactis Magnesijs pratoriu  
 um fratris corona equitū septum, ut exitus præcluderentur,  
 nullo resistente cepit. Quum uerò unum omnes Corchutum  
 per singulas domus latebras frustra perquirerent, quæstio-  
 ne de suis habita, cognoscit eū monitu ignoti equitis intem-  
 pesta nocte discessisse. Quamobrem sua spe frustratus, equi-  
 tibus mille præsidio Magnesiæ relictis, qui summa celerita-  
 te atq; diligentia circumiectam regionem percurrerent,  
 cum thesauris atq; omni fratris familia Prusiam eadem ce-  
 leritate reuersus est. At Corchutus spe fugæ erepta, quòd Bo-  
 stanges Selymi gener eduçta classe omnia littora custodi-  
 ret, neq; ulla iam spes fallendi hostis relinqueretur, non lon-  
 ge à Smyrna in speluncam mari proximam se condidit, spe-  
 rans si interpositis aliquot diebus statione classis abscederet,  
 elabendi occasionem, uel fortune beneficio, uel Deorum be-  
 nignitate sibi minimè defuturam. Sed quū diu agrestibus po-  
 mis in ediam tolerasset, uictumq; à pastorali tugurio per ser-  
 uum quærere cogeretur, indicante agricola ab inquisitori-  
 bus cõprehenditur, Prusiamq; perducitur, ubi eum Selymus  
 necari iussit. Constat Corchutum, quum fidibus gutturi ad-  
 motis à carnifice strangularetur, impetrasse horā cuius spa-  
 tio amarulenta in Selymū carmina intrepido cõstantiq; ani-  
 mo conscripsit, quibus exprobatã seuitia, eius capiti omnes  
 diras imprecabatur. Selymus uerò quem uiuū uidere nolue-  
 rat, necatum spectare sustinuit, perlegitq; carmina de se con-  
 scripta, nec temperauit à lachrymis, ususq; est lugubri ue-  
 ste, ut immanis animi crudelitã in tanta omnium inuidia  
 falso dolore contegeret. Iam uer appetebat, quum Achoma-  
 tes comparato exercitu ab Amasia mouit, literis amicorum

euocatus qui Selymum solis suorū cadibus intentum, posse in hibernis opprimi confirmabant, si Prusiam cum expedito exercitu conuolaret: abesse enim pratorianos Europeumq; equitatum robora exercitus, neq; Selymum Dijs aduersis, infensisq; hominibus, in eo periculo quod minimè timeret, salubre consilium esse capturum. Maturaret, neq; mitiora ueris tempora cunctanter operiretur, ne uel minimo eo temporis spatio hostiles copiæ, ab diuersis hybernis ad signa uenire iuberentur: Solere Deos ipsos, & prestare occasionem, & præbere consilia gerendis rebus: ceterum neq; ea exequi, neque humanas mentes erepta libertate præuertere consueuisse. Proinde Fortunam quæ paulò ante paternum imperium abstulisset, celeritate atque audacia subleuandam esse censeret. Ingruente enim æstate, aut bello uincendum fore, aut omnino sibi Cappadocia & tota minore Asia descendendum. Achomates qui cuncta eo bello secundiora sibi pollicebatur, quòd magnas habebat copias, quòd ab Hysmaële Persarum equitum auxilia impetrauerat, quòd denique Selymum ob recentia scelera, omnibus inuisum esse, atque ob eam causam coepto statim bello militibus desertum iri putabat, amicis pulchra dictu, factu uerò aspera suadentibus obtemperauit. Igitur, quum in Galatiam peditatu minoribus itineribus subsequi iusso, cum amplius quindecim milibus equitum peruenisset, Selymus de eius aduentu certior factus, per celeres tabellarios equitatum omnem Prusie conuenire iubet. Interim dum Asappos cogit, atq; uniuersas expectat copias. Fortuna quæ semper omnibus in rebus Selymo fauit, tunc quoque periculum quod suorū fraude parabatur, discussit, & expeditam uictorie rationem ostendit. Namq; amici Achomatis, qui in castris Selymi erant, à supe-

riore in eum studio suo non recedentes, euocatum illum cum exercitu, & iam progressum in Paphlagoniam, etiam atque etiam literis admonebant, festinare antequam Selymi copiae conuenirent, acciri enim praetorianos, contrahi equitatum, atque omnia ab Selymo impigre parari, ei tamen sera omnia fore, si ipse inexpectata celeritate improuisus accessisset. Quibus forte literis interceptis, Selymus de fratris consilio eiusque aduentu, & de suorum perfidia certius cognouit. Itaque necatis qui literas conscripserant, gemma eorum ad obsignandas epistolas utitur, scribitque intersectorum nomine ad Achomatem, ut maturaret proficisci, peditatumque relinqueret: uel modica enim equitum manu opprimi posse Selymum, si se celeriter conspiciendum amicis & coniuatis daret. Fore enim, ut ad datum signum excitato in castris tumultu seditionem militarem inducerent, atque illum turbatis rebus, incaute ordines circumeuntem aggrederebantur. Achomates fide literis adhibita, ut qui plurimum uiribus suis fidebat, pedestres copias quae cum Amurathe tardius subsquebantur, relinquere non dubitauit, profectusque ad Horminum, in ripa Parthemij annis castra fecit. Selymus quoque Prusia egreditur, & receptis in castra praetorianis cohortibus, quae nuper mari transuecta fuerant, Sinambassam praefectum Asiatici equitatus, cum ualida equitum manu ad cognoscendas tentandasque hostium uires praemittit. Selymianum quum adhuc qua in parte constitisset Achomates, & quales quantaeque eius copiae forent, exploratum non haberent, matutina caligine decepti, in iniquum locum delati sunt, ubi Achomates prosperè cum eis confligit, occiditque ad mille equites, ceteros praecipites in fugam dedit. Neque tamè eo accepto detrimento Selymus, aut omnino perturbatur, aut summa rei uicto-

uictorie diffidit, sed protinus ad Elatam flumen promouet  
 castra. Labitur Elata ex Horminio monte & recta decurrit  
 in Pontum, irrigans à dextra latissimos campos: quæ ter-  
 ra nouæ plana ab incolis hodie nuncupantur. Idem quoque  
 facit Achomates, qui tametsi fratrem equitatu peditatûq;  
 præstare, atque omni ex parte superiorem esse intelligen-  
 bat, recenti tamen uictoriæ prouentu alacrior factus, quòd  
 amicos suos qui apud Selymum erant, aliquod insigne fa-  
 cinus in ipso negotio patratos arbitrabatur, quòd pro se  
 tanquam legitimo rege staturos superos iudicabat, neque  
 cedendum, neque reliquum exercitum expectandum existi-  
 mauit. Intererat flumen inter bina castra, & à speculatori-  
 bus utrinque certus hostium numerus referebatur, neque ta-  
 men Achomates, cui tutum ad suos receptum patentes cam-  
 pi præstare poterant, conspecta magnitudine periculi, ut sa-  
 luti suæ ac militum mature consuleret, fatali insania corre-  
 ptus adduci poterat, ita ut eum obicere periculis & destina-  
 to exitio Fortuna uideretur. Selymus inclinante iam Sole  
 exercitum Elatam traducit, milites curare corpora, & in  
 sequentem diem parare arma atque animos ad pugnam iu-  
 bet, cæterum in proximam syluam mille equites mittit qui-  
 bus præerat Canoglis uxoris frater eximia uirtutis iuuenis,  
 quem pater ab Taurica cum lectissima ala Tartarorum  
 equitum paulò ante ad generum miserat. His iungit ut  
 quum intenti omnes ad pugnam forent, à tergo se ostendant,  
 & auersos hostes adoriantur. Ita illi silenti agmine ad radi-  
 ces montis profecti, loco opportuno proceris arboribus te-  
 cto confidunt. Nam Horminius qua parte Pontum & Se-  
 ptentriones spectat, nemorosus est, et complures habet colles  
 interiectis uallibus, quibus magnus exercitus facile condere

PAVLI IOVII HISTOR.

tur. Prima luce Selymus aperto in loco aciem instruit, in cornibus equitatum omnem, ita ut in dextro hastati omnes, in leuo sagittarij & sclopettarij essent: in media uerò acie prætorianos pedites atque Asappos collocat. Ex aduerso Achomates duo tantum agmina constituit, & primos in dextrum hostium cornu procurrere iubet. Eorum primum impetum Selymiani magna constantia exceperunt, sed quum ad gladios uentum esset, quòd cum Persis ferro tectis, qui in ipsa fronte locum sibi depoposcerant, collatis equorum pectoribus res ageretur, diutius sustinere non potuerunt, ac mox pulsì turbatiq; cedere & in suos ruere cœperunt. Id Selymus statim conspicatus increpando adhortandoq; confirmatis suis, leuum cornu inducit, & sclopettarios in locum hastatorum succedere iubet, producitq; prætorias cohortes, quarum aspectu totum hostium agmen sagittarum ac sclopettorum multitudine iam territum, dare terga coactum est. Achomates & ipse periculo intentus, aliquanto maiore uirtute quàm fortuna, subsidio suis reliquos equites adducit, quorum ui atque impetu prælium exæquatur. Sed dum irrumpendo sternendoq; uictoriæ imminet, Canoglis aduersos adoritur: clamore edito hostes tum maxime pugnantes in se conuertit, ab fronte pedites conglobati gradum inferunt, equites uerò hastati, quos ab initio à Persis pulsos diximus, pudore adducti in prælium reuertuntur. Ita Achomatis acies circumuenta undiq; cœditur: et uexillis stratis omnia cæde fugaq; complentur. Achomates desperatis rebus aufugiens, dum saluti serò consulit in fossam quam pri-diani imbres aquis cœnoq; compleuerant, labente equo præcipitatur. Ibi agnitus à militibus atq; comprehensus, ut se statim interficerent impetrare non potuit. Quem Selymus iam

antea neci destinatum, sequenti nocte hisdem carnificibus, qui Corchutum ceterosq; necauerant traditum, chorda arcus elisis ceruicibus interfici iussit. Amurathes in itinere à Persis, qui cum magna parte equitum densata acie perruptis iterum Turcarum ordinibus euaserant, de fortuna patris, et prælij euentu edoctus Amasiã redijt, atq; inuito de fuga cõsilio cum Aladino fratre, ipse cum equitibus Persis traiecto Euphrate ad Hysmaëlem confugit. Aladinus uerò in Cilicia Amano monte superato, ut ad Campsonem Gaurum Aegypti regem se conferret, in Syriam projectus est. At Selymus secundum eam pugnam præmissis in prouincias quæ ab Achomate tenebantur singulis equitum præfectis, breui omnem minorem Asiam in potestatem redegit. Mox reuersus Byzantium paucis post diebus, quòd ibi recrudescente pestilentia in singulos dies quingenti ferè homines absumebantur, Hadrianopolim concessit, ubi reliquum æstatis, atque hyemem uenationibus intentus, transegit. Interea Sophus Hysmaël à Persico Oceano ad Seruanorum fines, atq; ipsum Caucasum montem, & per Hyrcani maris Meridionalem oram ad Coraxenos omni regione perdomita, Zagataisq; Tartaris, qui olim fuere Bactriani & Sogdiani ad Oxum Iaxartemq; flumina pertinentes, sepe per tres annos acie superatis, in Armeniam reuersus est, Amurathemq; apud Taurisum obuium habuit. Venerat eo miserrimus adolescens post aduersam pugnam, patremq; interfectum, unius horæ momento regia fortuna expoliatus, ut à potentissimo rege in tantis calamitatibus auxilia aduersus patrum imploraret. Hysmaël dignum fama sua ratus, si summæ spei adolescentem ad se profugum exciperet, atq; omnibus iuuaret auxilijs, bono eum animo esse iussit, & ut ampliore spe confirmas-



PAVLI IOVII HISTOR.

ret, filiam ei in matrimonium collocavit. Siquidem Otho-  
mannorum domus concursu calamitatum labefacta atque  
conuulsa, si Selymus fato sugeretur, neminem imperio Amu-  
rathæ potiorē esset habitura. Quin etiam ad primos bello-  
rum motus, si ipse à Perside arma inferret, defecturam à Sely-  
mo Minorem Asiam apparebat, quod propter insitam ani-  
mo eius immanitatem ac seua facinora, Dijs pariter atque  
hominibus esset inuisus. Igitur Sophus Hysmaël primo statim  
uere Amurathem cum decem milibus equitum ad Harsen-  
gam superare Euphratem & peruadere in Cappadociam  
iubet: ut cognitis prouincialium animis, atq; exploratis ho-  
stium uiribus, de tota mole belli certiora consilia sumeren-  
tur. Vstaoglum uerò apud Persas clarissimum ducem, cum  
ualida parte exercitus Amurathem unius diei itineris inter-  
uallo subsequi imperat. Ipse in Armenia cum maioribus co-  
pijs substitit, ne rei frumentariæ angustia laboraret, quum  
per loca sterilia incultaq; amplissimus exercitus ducendus fo-  
ret. Amurathes ex improviso per minorem Armeniam Cap-  
padociæ fines ingressus, quum tentatis amicorum uolunta-  
tibus quædam oppida recepisset, quædam igne ferroq; ua-  
stasset, magnum toti prouinciæ terrorem intulit, quo metu  
iniec'to deficientibus passim populis Amasiam usque perua-  
surus esse uidebatur, nisi Chedemus uir bello egregius, quem  
Asiæ præsidio Selymus reliquerat, Persis cuncta bellico tu-  
multo miscntibus ad Sebastam, quæ hodie Suias dicitur, citò  
magnis copijs occurrisset. Scripserat quoque Chedemus  
multum antea ad Selymum de apparatu aduentuq; hostium,  
quum eos superasse Euphratem per exploratores cogno-  
uisset. Quibus uulgatis rumoribus, Selymus ab Hadriano-  
poli in Asiam profectus, omnes copias Prusiæ conuenire ius-  
serat,

ferat, habitisq; summa celeritate delectibus supra quadraginta milia Asapporum peditum armauerat. Quod ubi per captiuos & ueteres clientes suos Amurathes cognouit, tamen si cum Chendemo conflagere magnopere cupiebat, ne tamen si forte Selymus sua celeritate ad se opprimendum contenderet, in Antitauri angustijs deprehenderetur, ad Vstoglum regressus est. At Selymus qui toto eo anno egregium ac maximum bellum, dignamq; ausibus suis expeditionem ingenti animo secum ipsum uoluntat, diu incertus Pannoniam Rhodumue, an ipsam Italiam discordia nostra labantem afflictamq; tot bellorum incommodis, terra, mariq; inuaderet, oblata occasione Persici belli, ad Orientem se conuertit, atq; Arsengam, quam aliqui Comanam Poticam suis se iudicant, trigessimis castris peruenit: ubi iunctis cum Chendemo uiribus, quum retrocessisse hostes, uastatamq; continenti incendio eam regionem comperisset, dolore iniurie & uictoriae fiducia incitatus, uestigijs fugientium insistere, ac ultrò in Maiorem Armeniam penetrare constituit. Erant maximae omnium rerum difficultates, quae huic bello à peritis regionum in consilio proponebantur, quae postea trepidantibus ceteris, ipse propria quadam felicitate & sola animi magnitudine superauit. Namq; militibus qui ab Illyrico, Mysia, Epiro, Macedoniaq; terrestri semper itinere in Cappadociam uenerant, novos labores subire, ut ad Taurum seuissina frigora, & mox in patentibus campis uehementissimos calores, sitim, inedia, atq; iniam prope omnium rerum desperationem subire necesse erat, praesertim quòd Persae in regressu euastatis agris, ut hosti solitudinē facerent, quicquid usui esse poterat, corruerant. Magnā quoq; peritis atq; prudentibus ducibus sollicitudinem intendebant. Minoris Arme-

PAULI IOVII HISTOR.

*nie & Aladulorum reges, quos haud satis clare perspectis eorum uoluntatibus, in tergo relicturi erant, neq; putabant eos quicquam pro amicis esse facturos: si quid Selymo aut in pugna, aut in subuehendis commetibus, aut in locorum angustijs parum foeliciter accidisset. Armenius magnam subministrandi commetibus facultatem habebat. Aladulo uero copiae aderant, & numero & exercitatione non contemnendae, praeterea angustiae, claustra omnia, & singuli aditus, qui e Cappadocia in Armeniam & Persidem ducunt, aut opportunis arcibus, aut firmis eius praesidijs tenebantur. Montana enim ei parent: protenditurq; eius imperiũ a Scordiscis, qui Ponto imminent, perpetuo Tauri dorso ad Amanum montem quo Cilicia Siria committitur. Inter ceteros Chendemus qui plurimum apud Selynum gratia auctoritateq; pollebat, suadere coepit, ut in Cappadocia subsisteret, exercitum ab labore uiae reficeret: atque illhinc hostium aduentum opperiretur: Non est, inquit, Imperator existimandum quod illi metu refugerint, qui nec uiso quidem hoste retrocesserunt: Nectunt dolos, & insidias aperte moluntur, dum fuga timorem simulant. An non scimus quae ingenia, quae robora hominum Persis ferat? Timebunt illi nudum Turcam hastatum uel sagittarium, qui ualidioribus equis ferro tectis, ipsi galeati loricatiq; Scytarum sagittas non timuerunt? uel si hoc parum est, qui tot gentibus bello uictis fortissimo Imperatori suo, maximum imperium uirtute perpererunt? An te maiores uel meliores copias habere existimas, quam Cassemus quondam patruus tuus, atq; auus Mahomates habuerint? qui me in eorum castris militante ad Trapezuntem, & ad Nicopolis montes, non una clade accepta, cum hoste saepius dimicarunt? Neque tormenta, quae trahimus,*

trahimus, habere in se magnum ad uictoriam usum inficiator, modo explicandis tot curribus, idonea loca patuerint. Sed exustum hoc solum, rigentes atq; abrupti montes, & imensa post eos terrarum spatia me perterrant, quem armate hostium acies iniquiore etiam in loco terrere non poterunt. Neq; Armenio uel Aladulo ambigua fidei regibus quicquam credendum putes, tanetsi primo ingressu amica omnia pacataq; ostenderint. Circumspectabunt enim occasionem, ut te imparatum per insidias aggrediantur. At si te illic explorata omnino uictoria expectat, quanto tibi ea tuorum sanguine constabit? quo alio milite quibus alijs uiribus Græciam tueberis, si te studio proferendi imperij, uel ardore comparandæ laudis abductum, in penitissimâ Armeniam Christiani reges audierint? Proinde si tueri tua prius est atq; præstantius, quàm aliena cum periculo appetere, si prudentissimi imperatores non in multa cæde hostium, sed in salute atq; incolumitate suorum militum uictoriæ gloriam posuerunt, desine te atq; exercitum obiectare periculis atq; omnia temere uni Fortune committere: quæ si inconstans & lubrica audaciæ tuæ se nel illuserit, rues insania ab tanto fastigio longè celerius, quàm illuc paulò antè uirtute conscenderis. Selymus qui ut erat asperi atq; inmitis ingenij, cuncta consilio atq; auspicijs suis administrari uolebat, quamquam uehementer ea oratione permouebatur, atq; aliquos duces in ipsa periculi cogitatione suspensos uidebat, paucis tamen per iracundiam confutatis, prætorium dimisit, testatus se iturum per pacata infestaq; & uictoriam omnino relaturum, postquã senex tã opere de uita sollicitus, honestissimam mortem timeret. Hec dicentem regem exceperè statim alij duces assentari soliti, qui propter emulatione Chers-

## PAULI IOVII HISTOR.

dem gloria atq; opibus inuidebant. Ii enim orsi à magnitudine copiarum, à militum genere, ab apparatu tormentorum, & ab ipsa quoq; fortuna inuicti exercitus, cuncta ex difficillimis plana atq; facilia reddere: quæ uerò de uirtute hostium dicebantur uerbis magnificis eleuare cõtendebant: mox, ut iniecta suspicijs ne perfidia, Chendemi auctoritatem conuellerent, eum dictitare uirum fortem atq; omnibus bel-  
 lis intrepidum non timore aliquo, non angusta spe uictoriæ adductum, sed promissis Amurathis, & hostili auro oneratum & corruptum, tantæ expeditionis cursum, & paratæ uictoriæ spem omnem abrumpere uoluisse. Proinde caueret senis astucias atq; perfidiam, progredereurq; audentius, nec putaret milites, aut pericula, aut labores esse recusaturos, modò ipse animo non deficeret. Paratos enim esse uel acerbissimas quasq; belli difficultates subire, nihilq; magis exoptare, quam ut in eas regiones duceretur, ubi editis uere uirtutis operibus, Selymum Imperatorem suum Alexandro & se in eadem belli gloria Macedonibus exæquarent. Ad hæc, ut Chendemum opprimerent, indices subornarunt, qui dicerent eum ab Amurathæ pecuniam accepisse, nec in tempore Persis prædatoribus, qui eo duce fines irruerant, occurrere uoluisse: unde tantum detrimenti provinciæ illatum. Quibus de causis Selymus præpropere crudelitate preceps, Chendemum inauditum, ac uera monentem interfici iussit, ut ceteros ab simili dicendi libertate deterreret, doceretq; ea esse optima consilia, quæ imperator diuina ueluti ratione reperiisset. Interfecto Chendemo, occulto statim metu perculse omnium mentes, quòd clarissimus uir tantæ modò apud regem existimationis & gratiæ, indicta causa concidisset, quem paterno ac mox fraterno bello Selymi in partibus uirtute

tute atq; consilio floruisse meminerant: quasi eadem seuitia Selymus, uel in minimis rerum suspicionibus, obscuros esset oppressurus, qui ne amicis quidē antiquissimis pepercisset. Inde promotis castris, in fines Armeniorum & Aladulorum peruenit: ubi per legatos earum gentium reges qui tunc in armis erant hortatus est, ut communi secum consilio & uiribus, bellū aduersus Persas susciperent, ac secum in Maiorem Armeniam proficiscerentur. Se enim perfecto bello ipsi omnem agrum, & proximam regionem, quam de hoste cepissent, in præmium uirtutis atq; nauata opera concessurum. Reges qui Hysmaëli pariter ac Selymo insensierant propter finium iniurias, inter quos medijs & inualidi (ut tenuiores à potentiorebus solent) quotidie premebatur, quō animos in utrunq; belli euentum astute intentos nudare nolent, responderunt quas ipsi copias contraxissent, ad sui regionisq; præsidium comparasse, non ut temerè in ambigua belli fortuna, alterum ex amicis finitimisq; regibus oppugnarent: se uerò tanti non esse, ut sui iudicij putarent discernere, quisnam iustiore belli causam sequeretur. Ceterum si absq; maleficio duceretur exercitus, & munita itinera & commeatus pro copia regionis, ingresso Maiorem Armeniam præbituros. Selymus hac prima spe deiectus quod eos sibi uoluntate aut metu omnibus officijs affuturos putauerat, dissimulandum in præsens existimauit, ne qui totus corpore atque animo ad Hysmaëlem ferebatur, ambiguae fidei reges si factō eos uerbōne laesisset, in tergo pro certis hostibus esset habiturus. Igitur Selymus à Scordiscis profectus, octauo die ad Moschios montes peruenit: quos ingentem aquarum molem trahens Euphrates, ab Antitauro magnis effectis crepidinibus abruptit. Percur-

PAULI IOVII HISTOR.

runt ij perpetuis iugis in Iberum & Colchidem : & ab ortu  
 maiorem Armeniam aperiunt. Ductus est sub signis exerci-  
 tus per aduersi fluminis ripam, neq; unquam à profluente  
 discessum, quòd sitis in ignota regione timebatur. Ita in  
 Orientem directo itinere, ut à leua Minor Armenia, Aladu-  
 li uerò regis fines, & iuxta decurrens Euphrates à dextra  
 relinqueretur, quousq; ad Periardem montem peruentum  
 fuit. Periardes duorum clarissimorum fluminum origine  
 inclutus, propter miram omnium rerum fecunditatem, le-  
 prus, id est, frugifer à barbaris hodie nuncupatur. Namq;  
 Euphrates & Araxes singulis atq; aduersis emissi paludi-  
 bus, campestem aridamq; regionem emissariorum copia,  
 & summa fragum fecelitate nobilitant. Selymus tantis con-  
 fectis itineribus, quum nec fama quidè ubi Hysmaëlis exer-  
 citus confedisset, quem ualidum numerosumq; paulò antè  
 è Cappadocia discessisse cognouerat, scire posset, cunctaban-  
 dus ac timenti similis, supra fluminis fontè castra fecit, atq;  
 exploratum uelocissimos equites qui aliquos ex obujs exci-  
 perent, undiq; emisit. Sed quum incolæ Armenij uel metu  
 appropinquantis hostis, uel iussu Hysmaëlis omni ea regio-  
 ne, quæ ad iter patebat, decessissent, desertisq; ædificijs, &  
 asportatis, aut cõcrematis omnibus uictui necessarijs, pabu-  
 lum quoq; et quicquid herbidū in proximis agris fuerat eua-  
 stassent, Turcæ equites nemine hostiū intercepto biduo post  
 redierunt, nunciantes eam uastitatē omnium frugum, latissi-  
 mos tantū campos, & immensam occurrere solitudinē : nec  
 ulla hominū aut equorum uestigia reperiri. Proinde existi-  
 mare se, aut locorū errore deceptos, aut perfidia Armenio-  
 rum qui duces itineris erant, in deserta peruenisse: ubi am-  
 isa spe alendi equitatus, ac mox cessantibus humanis alimen-  
 tis

his fame exercitus absumeretur. Auxerant quoque presentem  
 metum duo reges relictī in tergo, & in primis Aladulus,  
 qui, uel pudore, uel metu adductus primis diebus cōmeatu  
 adiuerat, procedenti uerò in intimam Armeniam nihil ex  
 fide officioque præstiterat, iam tum inde gratiam Hysmaëlis  
 captans cuius uirtuti ac uiribus haud dubie cessuros Turcas  
 sicuti totus propè Oriens paulò ante cessisset, arbitratur.  
 At Selymus ingenti cura anxius, suspectare insidias, inedi-  
 am timere, horrere solitudinem, & cuncta quæ Chendemus  
 senex edixerat memoria uolutare: uultum tamen alacrem  
 impaudumque militibus ostentare: quæ constantia prospe-  
 ros rerum successus, & maturam de hoste uictoriam deie-  
 ctis etiam militū animis pollicebatur. Ergo coactis uia duci-  
 bus, & per regionis peritissimos explicata itinerū ratione,  
 quum à dextris ultra Periardē subesse fertilissimā Armeniæ  
 partem didicisset, castra mouit: circumuectusque montis ini-  
 tia quæ Boream spectat, ad Araxem deflexit, & supra Cho-  
 im oppidum equites uado, pedites uerò modicis effectis pon-  
 tibus trāsmissit. Namque Araxes antequam receptis annibus,  
 qui à Periardis paludibus oriūtur, ampliores undas trahat,  
 humilem alueum, & faciles ascensu passim ripas transeunti-  
 bus ostendit. Vix dum Selymus traducto exercitu castra po-  
 suerat, quum Vstaoglus, qui cum Amurathe iunctis copijs  
 idoneo in loco substiterat, Choi oppido atque inermibus oppi-  
 danis timens, ne repentino hostis aduentu opprimerentur,  
 celeriter inde mouit, & ad hostē profectus est. Namque id op-  
 pidum fontium atque annium perennitate totius regionis  
 amoenissimum, quod propter omnis generis fructuum com-  
 piam, cælique temperiem, Persarum reges relicto Taurisio  
 magnā æstatis partē his in locis agere consueuerunt, ditissi-



PAULI IOVII HISTOR.

mos oppidanos habet, & pulcherrima aedificia: quibus in eo praelio succurendum Vstaoglus arbitrabatur, ne simul contra suam existimationem in conspectu celebre oppidū amitteretur, atq; hostis eo potitus, confectum fame exercitū omnium rerum copia recrearet. Choim antiquitus fuisse Artaxata clarissimam quondā urbem à Domitio Corbulone deletam, Casinus natione Armenius, qui huic bello interfuit, pluribus coniecturis nobis indicauit. Nec Sophus Hysmaël quanquam maiorem copiarum partem aduersus Coraxenos, Hyrcani maris accolas tumultuantes paulò ante praemiserat, ut qui Turcas despiceret, nec eos in Armeniam uenturos arbitraretur, audito statim Selymi nomine in castra uenire cunctatus est. Forte tum Vstaoglus, qui in eam usq; diem & praelio et conspectu hostiū contra suorum opinionem abstinerat, ut magis ac magis & labore itineris & desperatione commeatus attritis hostium uiribus, sine pugna, & sine suorum uulnere bellum conficeret, contra oppidum castra locauerat, quum sub aduentum Hysmaëlis Turcae exploratores cōspecta pulueris nube, auditisq; equorum hinnitibus, adesse hostem senserunt. Quod ubi in castra nunciatum est, tum uerò omnes gestire latitia, tum primum spem concipere certissimam de salute atq; uictoria: Dijs gratias agere, quòd pro labore, inedia, ceterisq; incōmodis, tandem oblato hoste egregie mortis facultatē tribuissent. Enim uerò Europæi praesertim equites, equis macie cōfectis. Asapiq; pedites longo itinere fatigati, quibus uulgato morbo uentres fluebant, quòd in magnis solis ardoribus polenta ex farina acetoq; confecta, & pomorum agrestium succis uitam diu tolerarant, angente simul dolore animi consternati, quòd ne uiso quidem hoste cadendum foret. Passim morie

ban-

bantur. Hysmaël ut in conspectum hostium uenit, cum suorum uirtuti, tum fortunæ suæ plurimū confisus quò plus terro-  
 roris incuteret, prælium minimè differendum existimauit, misitq; ad Selymum caduceatorem: & cum eo aliquot mili-  
 tares uiros, qui diligenter, quales quantæq; hostium copiae, quot tormenta, quæ formæ castrorū essent, specularentur. Ceterum Selymo nunciarent ambigui iuris non esse Arme-  
 niam: neq; unquam cū Turcis de eius possessione fuisse disce-  
 ptatum. Proinde se mirari cur infesto exercitu in provinci-  
 am uenisset. Quòd si fortè antiquæ uirtutis æmulus imita-  
 tus Alexandrum Macedonem, tantum soli terrarumq; iure  
 suum futurum existimet, quantū sibi promotis armis uictori-  
 a Fortunæq; pepererint, pararet animum, et in crastinū diem  
 suas atq; alienas uires periclitaretur. Selymus ad ea respōdit,  
 extare recentem iniuriarum memoriam, qua iustè ab Otho-  
 mannis aduersus Persas arma sumi potuerunt, quū & auus  
 Mahometes & Cassemus patruus quondam, nuper uerò Ba-  
 iazetes pater, & ipse dum fratris Achomatis armis oppu-  
 gnaretur, à Persis, & summa detrimenta, & insignes con-  
 tumelias acceperūt. Ea tamen etsi magna & grauißima sint  
 dignas belli causas, non putare, sed unum se repetere Amu-  
 rathem fratris filium hostem suum, & Cappadociæ præda-  
 torem. Quem si ex æquo amiceq; sibi traderet, ut mutua  
 inter reges pro tuendis firmandisq; Imperijs iura postula-  
 rent, fore, ut copias inde abduceret, & in proprios fines re-  
 uerteretur. Si uerò id facere negligeret, ferro igneq; Arme-  
 niam, & Persidem uastaturū. Dimisso caduceatore uterq;  
 suis castris se continuit. Saquenti uerò die Selymus suorum  
 omnium hortatu copias in patentē locū eduxit: instructaq;  
 acie ad hostem, qui duobus milibus passuum inde aberat,

## PAULI IOVII HISTOR,

profectus est, existimans Hysmaëlem tanti nominis Impera-  
 torem, quum pralio decertaret, nullam morã esse facturum.  
 Qui uerò Persarum numerus, quod equitum genus, quæ ar-  
 ma, quæ tela gestarent, facillè reperire non poterat. Nam  
 supra gentis ingenia caliditatis atq; consilij plena, tantus  
 erat militum amor, ac tanta ueneratio erga Hysmaëlem re-  
 gem suũ, ut nemo repertus sit, qui ad Turcarũ castra trans-  
 fugerit, quum multi ( ut postea ex captiuis Persis cognitum  
 est ) quotidie à Selymo ad Hysmaëlem perfugerent. Selymus  
 qui octuaginta equitum milia eo die habuisse dicitur, in de-  
 xtro cornu Cassembaßam Europæi equitatus præfectum, in  
 lauo Sinambassam eunuchum cum Asiatico equitatu con-  
 stituit, antecedentibus Acanzis, qui sunt uoluntariæ militiæ  
 equites ex uario gentium genere, spe prædæ ad bellum exci-  
 ti. Media acies Asappis peditibus data, quorum uilis semi-  
 ermisq; turba, tanquam nullius propè iacturæ hebetandis  
 hostium gladijs primo semper congressui obijcitur. Post  
 Asappos tormenta recta fronte disposita sunt, additis præsi-  
 dio quatuor equitum milibus. Ipse in subsidijs cum lectissi-  
 mo equite prætorio, omnibusq; Ianizeris, paulò editio-  
 ne in loco constitit, duplici corona tormentorum atq; impe-  
 dimentorum circumuallatus: nam camelos clitellatos longa  
 cathenæ serie inter se nexos, ita in orbem sibi de more cir-  
 cundederat, ut speciem ualidæmunitionis æquarent, quo  
 ueluti uallo septus, & laborantibus suis opem ferre, & si  
 quid durius accideret, ueluti ab arce cum flore militum, om-  
 nem hostium impetum sustinere posset. Monuitq; Asappos  
 ut quum primum hostium equitatus appropinquare incipe-  
 ret, diducta acie celeriter in utranque partem secederent, ut  
 spatium emittendis tormentis relinqueretur. Ex aduerso  
 Hys-

Hysmaël, qui per transfugas cuncta hostium consilia explorata habebat, uocatis ad se ducibus, docuit nullius propè negotij esse uictoriam, modò procellam tormentorum effugerent. Quod se facile consecuturum pollicebatur, si equites quum scindi Asapporum aciem uidissent, & ipsi intenti paratiq; soluto statim ordine in duas alas absederent. Itaque duo maiora uexilla proposuit, alterum pratorium, quod certo in loco cum robore equitum statuerat, alterum quod cum reliquo exercitu Vstaoglo attribuit. Habebat Hysmaël ad triginta milia equitum absque ullo pedestri subsidio, in quibus fuere supra decem milia cataphracti, uiri fortes, bello exercitati, ac nobilitate illustres. His insignes equierant operoso calibe tecti, & cassides ad ornatum terroremq; cristatae. Præterea acinaces, & more nostro claua ferrea, atque hasta solidiores. Ceteri apertis atque oblongis galeis, & ferreis thoracibus muniti, uel maiore arcu, uel lanceis fraxineis more Hispanico ad mediam hastam comprehensis, utebantur. Ceterum apud eos nullus tormentorum apparatus, quo certè uno Turcis impares erant. Sed tantum spiritus, tantumq; uirtutis Persarum animis inerat, ut despecta hostium multitudine, & contempto tormentorum periculo, prælium committere non dubitarent. Hysmaël dato signo uniuersum agmen promouit, milites cohortatus, ut diu ante partem rei militaris laudem memoria retinere uellent: ac se Imperatorem suum, quem pluribus secundissimis prælijs maximum Orientis regem constituissent, uadentem in hostes imitarentur, occursum in acie incermes Turcas leui tantum hasta & scutis utentes, quorum equi statura humiles, strigosi, enecti fame, ne primum quidem impetum cataphractorum essent toleraturi. Ab altera parte Selymus puluerem

PAULI IOVII HISTOR.

aduentantis hostilis exercitus conspicatus, per duces præse-  
ctosq; tota acie prænunciari iussit instare prælium, quo se  
egregie dimicarent, uictis gentium uictoribus Othomanni-  
cum imperium à Persico Oceano ad Caucasum montem es-  
sent prolaturi. Quòd si quid ex pristina uirtute remisissent,  
putarent nullam effugij spem superesse in ea uastitate cam-  
porum immensisq; desertis. Aut enim foede moriendum, aut  
perpetuo Persarum foeminis cum ignominia seruiendum:  
quando post tot terrarum spatia, & rapidus Euphrates, &  
Tauri iuga, & infidus Aladulus occupatis angustijs, omnem  
spem redeundi in Cappadociam uictis abstulissent. Hysmaël  
quum appropinquasset, & ad propositum signum Asappi  
ordines aperiret, subindeq; falcones medio interuallo dispo-  
derentur, diducto statim equitatu, in dextrum cornu impe-  
tum fecit tanto suorum ardore, ut quum asperrinum inter  
semiermes Turcas & armatos egregie Persas contractum  
esset certamen, obruncato ante alios Cassembasà, primis ca-  
sis, ac mox alijs atque alijs fufis profligatisq;, totum id cor-  
nu usque ad subsidia ubi substiterat Selymus propulerint.  
Parte alia Vstaoglus non paruo à tormentis accepto incom-  
modo, quòd tardius ab eo periculo sese atque alas suas ex-  
plicarat, Astaticos inuasit: Ibi acri commissa pugna ma-  
gnam eadem hostium edidit, sed non eadem foelicitate, qua  
Hysmaël. Nam dum inter primos acerrime depugnaret, sclo-  
petto ictus occubuit, quo casu Turcarũ animis redditus ui-  
gor, ita ut qui iam pulsì loco supra tertiam partem suorum  
amiserant, redintegrato certamine, cataphractus egregie su-  
stinuerint, & oppositis sclopettarijs, quibus maxime Persa-  
rum equi terrebantur, eos uno agmine in Asappos præci-  
pites egerint. Perse siue necessitate compulsi, quòd detrimen-

to accepto ducem amiserant, atq; equos tormentorum fragore & tonitruo territos, regere non poterant, siue quòd apertum latus Asapporū meliorem rei gerendæ facultatem ostendebat, cōfertis turmis per transversos pedites perruperunt, quibus magna strage cæsis protritisq; ad tormenta peruentum. Ibi eorum magistros liberatoresq; qui, ut in magna rerum perturbatione displotis temerè tormentis fœdissimā clade suis æquè hostibusq; intulerant, circūuentos trucidarunt, continentiq; cursu in dextrum cornu hostium, ubi Hysmaël cum Europeis depugnabat, tāquā uictores peruasere. Quibus de rebus Europei, qui iam antea & ipsi amisso duce repulsi confectiq; uulneribus, se ad subsidia receperant, quum nouo ab latere oblato prælio impressionem ægrè sustinerent, opem uti extremo discrimine à subsidiarijs implorare ceperunt. In ea prælij iniquitate Selymus soluto curuum nexu, uallum duobus in locis patefecit, partemq; prætoriani equitatus illicò emisit. Mox ad Ianizaros conuersus, uestre inquit uirtuti atq; opere hodierna uictoria reseruatur macti uirtute milites mei: agite dum eruptione facta, fessos hostes integris uiribus agredimini. Fluunt sudore equorum corpora, ipsisq; equites sub tanto armorum pondere iam fatiscunt. Hæc dicenti Selymo Ianizari haud sanè promptè obtemperabāt, quippè qui in tanta rerū desperatione libenter suis se munitionibus continerent. Itaq; dum cunctantius signa effrunt, Persæ in medio ardore uictoriæ Europeis circumfusi eos spectante Selymo, ac frustra auxilium ferre properante, occidione deleuerunt. Scripsit ad Leonem pontificem Fabritius Carrectus Rhodiæ militiæ magister, ad quem omnia hæc diligentissimè perferiebantur, Ianizaros Selymo dicto audientes non fuisse, neque eius adhortatione, au-

## PAULI IOVII HISTOR.

precibus adduci potuisse, ut laborantibus Europeis auxili-  
 um ferrent, ut qui summa rei diffidentes, expectare euen-  
 tum quàm se in manifesto periculo equestri hostium procel-  
 le, quæ cæteros pedites obtriuerat, obiectare malebant. Iam  
 Persæ ab omni parte Selymum intra subsidia morantem in-  
 uaserant, quum Sinambasà tametsi cornu lacerum ac uehe-  
 menter attenuatum trahebat, per medios Asapporum acer-  
 uos hostes infecutus in tempore superuenit: accitisq; subinde  
 et inductis aliquot recentibus turmis, quæ ab Vstaogli im-  
 petu integræ euaserant, pugna est restituta, duorum maxi-  
 mè fratrum Malcociorum præcellenti uirtute, Turabei et  
 Mahometis, qui Turfica ex gente nobilitate generis ipsi  
 Othomannæ familiæ pares, Malcocij patris luctuosa illa in  
 Venetos et Carnos excursione clari ducis, magnitudinem  
 animi uigorq; reserebāt. Selimus quoq; minime animū de-  
 spondens, sed in spem erectus atq; alacer, id quod supremo di-  
 scriminis reseruarat, omnia tormēta dirigi in hostem iubet,  
 quæ tantam equorū atq; hominum stragem suis pariter atq;  
 hostibus inter se commixtis ediderunt, ut quum uiri puluere  
 fumo tormentorum et crepitu, usum oculorū atq; aurium  
 amisissent, ac subinde equi ad insolitum fragorem metu con-  
 sternati, contemptis frenis sessorum in diuersum adueherent,  
 incerta adhuc uictoria prælium sit diremptum. Hysmaël sclo-  
 petti ictu sublimum humerum uulnere accepto, præter-  
 uectus eam procellam, ut uulnus inspiceret, hortantibus  
 amicis prælio excessit. Quæ res haud dubiè Selymo suisq; om-  
 nibus salutem attulit: Namq; Hysmaëlem eiusq; uexillum  
 Persæ continuo subsecuti, non dubiam partamq; magna ex  
 parte omnium opinione uictoriam, reliquerunt. Verum leui  
 nec profundo uulnere inuento, quòd plumbea glans eam ar-  
 morum

morum partem ob singularem temperaturam altius penetrare nequiverat, in prælium redire constituit. Sed audita morte Vstaogli, cui propter eximiam rei bellicæ peritiam magnopere fidebat, suadentibus etiam amicis ne plagam adhuc calentem despiceret, salutiq; consuleret, quadrato agmine ac lento gradu, ut nihil fugæ simile discessus habere uideretur, recipere se cœpit, præteruectusq; Taurisium, monitis urbis primoribus, ut portas Turcis aperirent, præsidiumq; acciperent, ne quid detrimenti ex uana constantia paterentur, in Medorum fines concessit. At Turcæ tot incommodis conflictati quum neq; præ timore animos, neq; præ lassitudine uires ad insequendum haberent, ad Persarum castra delati, ea nullo defendente ceperunt. Inuenta sunt, præter tabernacula picta acu, & serico atq; auro intexta aliamq; pretiosam supellestem, complures nobilissimæ mulieres, quæ uiros secutæ fuerant, quas Selymus intactas sine pretio remisit. Retulere qui huic prælio interfuerunt nonnullas foeminas inter caesorum acervos repertas, quæ thoraces galeasq; indutæ, & secutæ uiros una cum eis strenuè pugnando ceciderant. Hoc maxime euentu Calderanis in campis ad Choin pugnatum est septimo Calend. Septembris eius anni, qui fuit à partu Virginis millesimum quingentesimum decimum quartus: quo prælio Selymus supra triginta milia hominum amisit, in quibus præter Cassembassam Græciæ Bellerbechum, septem Sanzacos, & in his ipsos quos diximus Malcocios fratres, dum alter alteri circumuento opem ferre conatur, cadentibus equis interfectos, sed præter Asaporum inconditam multitudinem obiectam cædi, equites illyrici, Macedones, Triballi, Epirotæ, Thessali, Tracesq; haud dubiè flos & robur exercitus, qui in dextro cornu



PAULI IOVII HISTOR.

fuerant, magna ex parte aut caesi aut uulneribus debilitati  
 sunt. Selymus confessione hostium uictor, quum ab Coicae-  
 terisq; uicinis urbibus, & ab Taurisio legationes in castra  
 uenissent, quae se commeatum affatim dare & imperata fa-  
 cere paratas dicerent, ad Taurisium profectus est, studio ui-  
 sende atq; obtinendae Persarum regiae. Ea urbs ab Choi ubi  
 pugnatum est, itinere bidui distat: Fuitq; antiquitus Ptole-  
 meo Terna, quae abest à proximo Hircano mari ad Bacu-  
 cum portum centum quinquaginta milibus passuum. Ciues,  
 aduentantibus Turcis praesto fuerunt, & magnam uim com-  
 meatus extra portam conuexerunt, ubi occupatis suburba-  
 nis aedificijs Tyrcae castra posuerant, quum in maxima &  
 frequentissima ciuitate pernoctare parum tutum existima-  
 rent, portas tamen tradentibus Persis, imposito praesidio te-  
 nuerunt. Ferunt Selymum, qui salutem suam Persis temere  
 minimè committebat, nunquam ingressum urbem, nisi gre-  
 garij equitis habitu. Aliqui uerò celebri pompa in regijs aedi-  
 bus publice conuiuatum fuisse, uerbaq; ad Taurisianos de  
 uictoria consilijsq; suis fecisse confirmant. Sed uix decem dies  
 Taurisij moratus, quum in Armenia contra uoluntatem  
 praetorianorum hyemare statueret, ad frequentes de hoste  
 nuncios consilium mutauit, quòd Hysmael accita ualida ma-  
 nu Iberorum & Albanorum equitum, cum Parthis atq; his  
 equitibus, qui pugnae interfuerant aduētare ferebatur. Qui  
 bus de causis Selymus, qui supra centum & quinquaginta  
 armatorum milibus in acie constitutis, egre se triginta Per-  
 sarum milia sustinuisse, & casu magis artificioq; tormento-  
 rum, quàm uera uirtute, eos superasse meminerat, aestima-  
 tisq; Taurisianorum uiribus, quorum fidem & multitudi-  
 nem suspectam habebat, in Cappadociam redire constituit.

Itaq; abductis pluribus fabrorum excellentiumq; opificum  
 familijs, eorum maxime qui arma telaq; elaborati operis fa-  
 bricabant, & magna ui serici & comneatus inde exporta-  
 ta, per Hobordenam & Balisenam regiones, longiore ali-  
 quanto itinere ad Euphratem contendit. Ne enim appro-  
 pinquantibus Iberis obuius fieret, redire ad Araxem, & Pe-  
 riardis montes circuire nolebat, Hysmaël cognita eius profe-  
 ctione, quanta & ipse maxima potuit celeritate eum subse-  
 cutus, magis ac magis cursum intendere, & præ festinatio-  
 ne impedimenta passim ac milites uulneribus & ualitudine  
 debilitatos, relinqui coëgit. Neque prius (quod ille magno  
 interuallo antecedebat) extremum Turcarum agmen con-  
 secutus est, quam ad Euphratem peruenit. Ibi Selymus bi-  
 duum moratus aliquot effectis ratibus peditatum transmit-  
 tebat. Quæ quum tantæ multitudini non sufficerent, plures  
 inflatis utribus innixi flumen tranabant: alij effractis deditæ  
 opera curribus, eorum materia ad natandum utebantur.  
 Ipse Imperator lintre uectus, quum uniuersus equitatus ad  
 perfringendam uim fluminis uno agmine ingressus proflu-  
 enti se opposuisset, in ulteriorem ripam euasit. Quæ res pe-  
 ditibus periculum minuit, et molliorẽ transitum currulibus  
 tormentis, camelisq; & cæteris sarcinarijs iumentis dedit.  
 Periere tamen, quum iam in conspectu Iberorum antecur-  
 sores essent, atque ob eum timorem excitato tumultu tota ri-  
 pa trepidaretur, circiter duo milia hominum, hæserantq; li-  
 moso in uado aliquot falcones, & impedimentorum quoq;  
 partem uorticosus amnis abripuit. Iberi qui recentiori-  
 bus equis Persas antecesserant, contenti ijs quæ relicta erant  
 insequendi finem fecerunt. Nam tormentorum currus in-  
 ter se ui undarum implicati, bonam partem sarcinarum reti-

## PAULI IOVII HISTOR.

nuerant: multaq; alia, ripis & uadis haeserant, quae haud magno labore funibus extrahebantur, Leto plurimum Hysmaele quod tormenta quibus maxime tantam cladem acceperat, eiecto ac fugato hoste cepisset. Porro Selymus e manibus Persarum fuga elapsus, longe infestiora itinera ad Antitaurum inuenit. Namque Aladulus despecta eius fortuna ad praedandi occasionem sibi oblatam, angustias dispositis passim montanis hominibus infederat, qui more latronum noctu maxime in Turcas impetum faciebant, & quum uix admodum syluestres & confragose fessum agmen exciperent, à tergo & à lateribus incurfabant: direptisq; impedimentis in nemora & notas rupes reuertebantur. Aladulus cuius haec fraude fiebant, interdiu excusare se, nihil sua uoluntate fieri: homines agrestes latrocinij assuetos proprio consilio atq; audacia ea damna inferre: eos tamen poenas daturos, se enim breui eius maleficij authores reperturum. Interim in speciem amicitiae datis aliquot dierum cibarijs, noctu infestas latronum manus, quae opportunis in locis transuentibus occurrerent, immittebat. Quibus malis neq; consilio Selymus, neq; uirtute milites providere poterant. Tandem quod dissimulata iniuria, hominis perfidiam alio tempore uindicandam arbitrabatur, Trapezuntem atq; inde Amasiam Cappadociae peruenit, ubi reparandis copijs intentus, hyemem egit, primo statim uere aduersus Aladulum, & montanos barbaros, qui tantum detrimenti pauorisq; intulerant, bellum gesturus. Lubet hoc loco tantisper euagari dum Selymus atq; Hysmael, qui hac aetate terrarum orbem nominis sui fama compleuerunt, inter se comparantur, ut tot gentium praetiorum admirabiliuq; bello casuum seriem legendo, fessis per amoeno nec inutili diuerticulo requies quae-  
ratur.

ratur. Quod ob id cerciore cū uenia fecerim, postquam hic annus à turbata pace unde uigesimus magnis ad Orientē cladibus insignis, ad Occasum in spem exoptata, sed nondum maturæ tranquillitatis bello uacuus, atq; otiosus fuit. Ambo igitur sicuti in clyto genere, etate integra, immenso indomiti corporis, ac ingentis animi uigore, opibus, & pari deniq; imperij fortuna persimiles, parem claritatis & gloriæ famā obtinent, ita moribus institutis & disciplina militiæ multū inter se differunt. Primum omnium, ut præclare constat, supra mutuū utriusq; gentis odium, ab auis patribusq; per manus traditum, insana persuasione diducti inter se sacrorum placitis altercantur, quū hic Homarem, ille Halim præcipuos Mahometis interpretes diuersa superstitione dissidentes, altero sanctiorem existiment, ac imagine pietatis iustam belli causam prætexant. Quamquam nō obscure dissimulata cupiditate, ad id unum, sed diuerso itinere contendant, ut confirmatis auctisq; opibus, tot regnorū termini quàm latissimè proferantur. Quod ex professo Hysmaël ad Darij atq; Xerxis, qui subacta Asiam in Europam ingenti ausu traiecerint, & Selymus ad Alexandri Macedonis, qui regna Persarum euerterit, magnitudinem gloriæ aspirent. Nec inanibus omnino uotis, quū honesto tuende religionis nomine, Fortuna, pari libidine ingenio eorum ambitioso, audaci, immoderatoq; intemperanter ardeat. Qui non absimili perturbate religionis peste, à Luthero Saxone nuper inuecta, Christianas quoq; gentes inter se digladiari uidemus, quasi cœlum aliquo maligno sydere pacem & tranquillitatē, infami huic seculo prorsus inuideat. Sed in Hysmaële mira pietas usq; adeo resulget, ut uitia, si qua sint regij fastus, eius fulgore perstringātur. In Selymo

PAULI IOVII HISTOR.

autem omne uirtutis decus in humana crudelitas elidat & obscuret. Hic enim poena, et premio uim imperij tuetur sed aliquanto grauiore seueritatis quàm beneficentiae fama, quòd ab exacta disciplina in seruos, quibus multò maxima Othomannicæ militiæ pars constat, lege agere uel truculenter expediat: secus ac usu euenit Hysmaëli, ex prima utiq; nobilitatis classe liberisq; hominibus militiæ robora cõscribenti, apud quos temperatæ iustitiæ, humane comitatis, & popularis indulgentiæ studium maxime ualet, ut fides & amor, et parendi obsequium parentur. Quòd nemo honestis ortus parentibus existat, qui non multò grauius flagitij dedecus, quàm supplicij poenam reformidet. Ut minime mirum esse uideatur, si his tanquam generosis artibus Hysmaël, augusti nominis maiestatem egregie glorioseq; defendat. Ad hunc quoq; maximarum uirtutum concursum pulcherrimo nature munere decora facies accedit, magnanimo digna rege, ore namq; roseo, radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Persas regie stirpis insigne est: adunco naso, illustriq; facundia, omnium oculos atq; animos capit. At in Selymo, triste supercilium, præ grandes toruiq; oculi, & Scythico pallore suffusa facies, rigentesq; sete à superiore labro ad ceruicem retortæ, & nigricans admentū subtonsa barba, ita uim militarem & inexorabilem naturæ spiritum exprimunt, spectantesq; perterrent, ut nihil omnino nisi seuum & immane prorsus ostendant. Nec diuersos uultus, ideoq; dissimiles animorū habitus, nisi dispar rerū propè omnium disciplina consequitur. Nam Hysmaël aditū pariter & alloquio benignus & facillis, nihil ferè quod regiam personam respiciat, nisi palam agit. In propatulo siquidem magna procerum frequentia liberaliter epulatur,

tur, & uaria uenatione, falconumq; uolatu, & præda ma-  
 gnopere gaudet, cum proceribus semper legatisq; externo-  
 rum regu communicata uoluptate. In stadio etiam & in pa-  
 lestra cum primoribus aula, uti est equitandi & sagittandi  
 peritissimus, honesta atq; utili contentione corpus exercet,  
 adeo populariter, ut in piscina inauratis septa porticibus pa-  
 lam natate minimè dispudeat. Vxores autem quas ex satra-  
 parū regularumq; ordine uirgines, cum decore formæ, tum  
 præstanti morum fama illustres, in coniugalem thorum re-  
 cipit, si fecundæ sint neq; fastidit, neq; repudiat, uetere Per-  
 sarum instituto, qui coniuges amare tenerius, impensius co-  
 lere, in regia prætorioq; familiarius habere, & tanquam  
 utriusq; fortunæ consortes, cum liberis atq; nutricibus, &  
 pretiosiore gaza, uel ad longinqua euntes bella secum du-  
 cere consueuerunt, graui quidem impedimento sumptuq;  
 quòd magnis ac ornatissimis camelorum gregibus uehan-  
 tur, nisi præsentia carissimaq; pignora bellatores patres ad  
 uirtutem accenderent. Contraria ratione Selymus in Arca-  
 no cuncta uitæ munera dispenset, puerorumq; imberbium et  
 eunuchorum ministerio contentus, sine conuiuia discumbit,  
 ac uno ferè simplicissimo cibo naturæ desiderium implet. Raro  
 nisi sacrorum causa die Veneris, qui Turcis est festus, in  
 publicum prodit. Sed adeò prætorianorum turba circumse-  
 ptus, ut ægre uel ipse solus eques inter hastatos cristatosq;  
 milites, & superbe submouentes spectantium turbam, ex fa-  
 cie dignoscatur. Nec temerè equo uectus in suburbanis præ-  
 dijs spatietur, quum per freti angustias ad Asiæ propinqua  
 littora bireme aduehi malit. Vxores à regie limine procul  
 arcet, quas tantum prolis causa, nec familiari quidem uultu  
 complectitur, quòd natura modicæ libidinis, et in mares pro-

PAULI IOVII HISTOR.

nior, corpus atq; animum uirilem fœminarum illecebris eneruari existimet. Raro itaq; ad claustra uirginum, quæ sunt media in urbe Byzantio, altis, & undiq; cæcis parietibus septa, contendit. Has magno numero Christianis parentibus ereptas, aut à prædonibus uarijs interceptas, castibus matronæ insigni pudicitia, & uetuli spadones accuratè custodiunt: Mahometanisq; sacris initiatas diligenter erudiunt, ut Arabicè legere, ad harpem & cytharam psallere, saltareq; decenter, & acuisitè pingere perdiscant. Verùm eas Selymus omnium rarissimè inuere consuevit, utpotè qui minimè mulierosus, nec numerosè sepeq; infauste proliis cupidus, non ex seruili Christianoq; sanguine, sed ex Bosphorani regis filia Tartarorum stirpis, hunc unum Imperij heredem Solymanum imberbis adhuc adolenscens suscepisset, quem hodie ex matura iam atrociq; indole, nobis discordibus, seu arma cõminantem (nisi magnus Deus paratam auertat cladè) undiq; secordia nostra uictorè euasurè ominamur. Otium porro, si quo impensè uigilanti & semper intento, ex grauisissimarum rerum consilijs superest, accito in hortos aliquo purpuratorum, aut familiarium deambulando ita traducit, ut quū longè seuerèq; puerorū colludentium palestram spectet, de serijs multa sciscitetur atq; delibere, secreciores uerò mollioresq; horas balneo, euoluentisq; maiorū suorum & externorū regum annalibus impartiat. Hoc quoq; studio auum Mahometè emulatus, qui gentium propè omnium reges, rerū bello gestarū fama inclytos, uersis in Turcicā linguā historijs non modò scriptis, sed imaginibus excellenti pictura expressis representari sibi curabat, impetrato à Venetis ad id munus Gentile Bellino pictore præstantissimo, ut grauibus exemplis magis ac ma-

gis ad extendendam famam accenderetur. Vir enim ille ex arcano animi omnis religionis cōtemp̄tor, unis tantū bonæ spei, bonæq; fortunæ tanquam certis numinibus sacra faciebat. Vt non ineptè modò Selymus Baiazetis patris occupationes, atq; uigilias irrideret, quòd Auerroi nihil pro certo de natura animorum, & cœlestis motu ratione explicanti, æquo impensius deditus, arguti philosophi inter ociosos sapientiæ professores, quàm inter milites ad arma natos strenui Imperatoris nomen tueri mallet. Caterum Hysmaël uti ab incunte ætate sacris imbutus literis, disciplinarum propè omnium studia præ alto ingenio ad contemplationem rerum diuinarum ita referebat, ut uetere magorum & Brachmanorum arcano dogmate, seipso, qui ambitiosum Sophi cognomen susceperat, admirabilior euaderet, quum iam pridem cœlestis sapientiæ & diuinationis opinione, apud gentem religionibus atq; miraculis capi facilem, incredibiles uictorias, & tantum deniq; Imperium sibi nouo propè homini peperisset, Diuersissima porrò, & ut mihi uidetur plane iniqua Persiæ conditione bella gerunt. Nam ij sicuti equitatu mirifico maximè pollent, ita nullum omnino certum ex conscripto inueteratoq; pedite robur instituunt, qua parte uirium Turcæ ætate nostra memorabiles sæpe uictorias consecuti, nec usquam uicti, grauissima bella confecerunt. Magno quoque incommodo Persis euenit, quòd nec sclopettis utantur, nec tormentorū currulū copia abundant, quorum terribili præsidio cuncta peruncuntur, luctuoso quidem exēplo Vsumcassanis & Hysmaëlis, uel egregiè uictor equitatus, & nuper in Calderanis campis, & patrum nostrorum memoria ad Harsengam & Euphratē, insolitū eorum equis reboatum cruentamq; procellam sustinere nequirit.



PAULI IOVII HISTOR.

Neq; enim ulla in parte Persa cataphraclus, cum inermi prope Turca uidetur cōparandus. Nam squamosi thoraces, lorice ferreae, bucculatae cassides, & cono insignes galeae, clypeiq; auratis umbonibus rotundi, Persas undiq; protegunt. Turcam uerò ex Europa penitus inermem, uix dimidium quadrata & inflexa pelta operit, quā Asiatici chypeis molli arundine inspiras & discolore serico contextis utantur. Persa quoq; brachiū & dextram operoso ferro munitus, fraxinea ancipiti lancea rem gerit, qua ad medium comprehensa more Numidarum ab alto saepe ictus repetens, uiros & aequos inermes facile perfodit, quum Turcae Graecorum consuetudine adpressas lateri inclinatāsq; ad equi aures hastas (uti sunt fragili abiete leues) ad primum impetum collatis equis diffringant, & ad gladium incuruum statim clauamq; ferream, reliquis armis impares, redire cogantur. Neq; enim Persarum generosis & robustioribus aequis insidentium congressum ferre possunt, quoniam eorum equi frontalibus ferreis, & tegumentis recocto è corio Italicarum bardarū similitudine uestiantur, quae consertis laminis, aut insarcto bombicis & gossipij tomēto ita muniunt, ut quamlibet telorum contumeliam perferant. Qua de causa nemo nisi temere sagittarios, equites aut pedites Turcas cum Persis contulerit. Hi siquidem latis & multo neruorū nexu ualidis arcubus instructi, crassiores Scythicarum instar, ideoq; lethales sagittas emittūt. Quae rerum omnium collata ratione, Sophianus exercitus, tanquam regi suo ab excelsae diuinæq; mentis opinione, & religioso quodam sacramenti iure, nusquam reformidata morte deditus deuotusq;, Turcis uel numero inferior ab eximia uirtute insuperabilis uideri possit, nisi dira hac indignaq; fortibus uiris ui tormentorū, aut inusi-

*inuitata multitudine copiarum obruatur. Quod uero Hy-*  
*mael ex tot prouincijs quondam armorum gloria clarissimis*  
*in unius Imperij potentiam coactis, pauciore opinione co-*  
*pias educat, praesertim aduersus Othomannū in Armeniam*  
*usq; infesta populatione penetrantem, hanc praecipue cau-*  
*sam reperiēbanus, quod remissis tributis sublatisq; uectiga-*  
*libus, ad colligendam liberalitatis samam, arario minus stu-*  
*deat, ut tum maximè necesse fuit ipsi nouo regi propinquos*  
*suos ab Vssumcassine auo patreq; Iacuppo legitimos Impe-*  
*rij heredes impotentibus armis extrudenti. Quanobrem si*  
*gnata pecunia semper eget, nec ideo quum bellum oritur in-*  
*stis & ualidis neruis arma expedit, quanquam multarū re-*  
*rum Orientis regio ferax, & tot opulenta regna benigne*  
*atq; largissimè ex necessarijs ad uitae atq; militiae usum co-*  
*pijs stipendiorum supplementa suppeditent, secus ac Selymo*  
*accidit, cui pedites & equites tormentorumq; magistri &*  
*praefecti classium, singulisq; etiam totius bellici & domesti-*  
*ci apparatus officijs praepositi, diurna, aut menstrua pra-*  
*sentis pecuniae stipendia à questoribus accipientes perpe-*  
*tuo militant. Nec ad institutum thesauri unquam defici-*  
*unt, quum Byzantij septem in turribus argenteae aureaeq;*  
*monetae inestimabiles cumuli recondantur, omnemq; sum-*  
*ptum quarta parte, tot tributorum & uectigalium annui*  
*atque perpetui redditus exuperent. Tria sunt genera mili-*  
*tum apud Persas praetorianorum scilicet, euocatorum, &*  
*auxiliarium: Praetoriani certa stipendia merent, alunturq;*  
*sumptu regis, qui eis uetere instituto, & statis anni tempo-*  
*ribus ad descriptam rationem arma, equos, uestem, tectoria,*  
*commeatum, alternante liberalitate largitur. Horum or-*  
*natissimo comitatu ualidoq; maximè praesidio circumseptis,*

PAULI IOVII HISTOR.

frequentis aula dignitatem tuetur, & mutando loca ad hær-  
 bidas regiones prouinciarum nobiliores urbes inuisit. In-  
 gruente autem bello dynastæ, reguli, tetrarchæ & antiquæ  
 nobilitatis beneficiarij, qui traditas à maioribus, aut à regi-  
 bus dono datas oppidorum & agrorum ditiones obtinent,  
 ad edictum euocantur. Eodem propè iure hisdemq; legibus  
 imperata facientes, quibus in uniuersum nobilitas omnis in  
 Hispania, Gallia atque Italia regibus operam prestare con-  
 suevit. Horum magnus est numerus, qui liberaliter instru-  
 cti ad signa conueniunt, sed ex quisito delectu habito, nun-  
 quam uigintimilium equitum numerum implent: quorum  
 uix tertia pars, eo quem diximus insigni armorum appara-  
 tu instructa, in aciem prodit, quæ reliqui serè omnes conten-  
 ti galcis, præduris centonum munimentis loricati, diuersisq;  
 protecti scutis, hastis simul & arcubus præliantur. Nã alte-  
 ra arma, uti usus locusq; deposcit, expedire, & scutis in ter-  
 gum reiectis, retroq; ad lorum suspensa lancea, auersi pari-  
 ter & aduersi sagittare didicerunt. Verum qui è Perside ur-  
 beq; regia nomine Scyras, in qua præcellentis temperaturæ  
 nobiliorisq; artificij splendida arma fabricantur accersiti  
 ueniunt, summã uirtutis obtinent opinionẽ. His Assirij au-  
 thoritate nominis proximi accedunt, quæ Medorum et Par-  
 thorum regna omnium optimos et peritissimos, præter unos  
 Scytas, sagittarios mittant. At Armeni in uniuersum pedi-  
 bus pugnare malunt, & in cohortes describuntur: quæ longa  
 serie planorum ingentium scutorum sola defixa sese tanquam  
 obiecto uallo aduersus equorum impetum defendunt, breuioribus  
 hastis & securibus, sagittisq; item, & manubriata sæ-  
 pè funda cõminus & eminus dimicantes. Auxiliares autem  
 copie & Iberis & Albanis, ab eorum scederatis regibus  
 Mediæ

Medie Armeniæq; finitimis mittuntur, qui magna ex parte semichristiani par odium aduersus Othomannos exerere, & ferre arma consueverunt. Sed postquam ad hunc historie locum est deuentum, non iniucundum ut arbitror legentibus erit, si quæ de Hysmaclis prouincijs urbibusq; & de Cassij maris accolis, ulteriorumq; regum potentia longo labore didicimus, summatim enarrentur, ut curiosis ingenijs non fabulosa uti paulò antè etatem nostram accidit, sed certa & explorata undique mercatoribus ac uarijs legationum commentarijs illustrata referantur. Inter Sophiani Imperij prouincias, Armenia Maior, primam obtinet claritatem, Taurisio regia urbe insignis, quæ Terua Ptolemæo antiquitus fuit, uel ut Hebræis quibusdam linguarum & regionum peritis uideatur, Susa prisca quondam celebritatis. Distat à Cassio mari, urbemq; Bachu ora proximioris quinque dierum itinere, & ab Artaxata quæ hodie Cohim appellatur, Calderanisq; campis recenti Selymi prælio nobilitatis, circiter passuum octuaginta milibus. Inde contendenti ad meridiem Sulthania uisitur, quæ admirandas dirutæ magnæ urbis reliquias ostendit, integris adhuc præcellentis struaturæ Mahometanorum delubris, quibus superiore sæculo Tamerlanes Scytharum Imperator cuncta obuia immaniter euertens, tactus religione pepercerit. Hanc ex Tigrano certæ ruinis ædificatam existimare par est. Ab hac Sulthania in Persidem inter Meridiem & occasum procedentibus, oppida occurrunt Comum, Casanum & Hiesdum, sericæ telæ mercimonio mercatoribus nota. Extenditur autem ea regio ad urbem regiam nomine Scyras, quam non ineptè Cyriolim antiquitus fuisse aliqui arbitrantur. Ea est elegantium armorum officinis toto Oriente clarissima: nec ab hac

PAULI IOVII HISTOR.

Carmanie regionis caput multum distat, quod Chirmanim  
 appellant, incomparabili Calybis temperatura in acinaces,  
 & lancearum mucrones celebrata, quæ uel immenso pre-  
 tio à Turcis cupidissimè cõemuntur. Nam eius ferri ea uis  
 est, ut uno ictu nostrorum galeæ discendantur, nihil retusa  
 omnino acie, & lancearum mucrones solidum pectorale  
 transfodiant. Carmanie uetus nomen in Narsingam abiit, ci-  
 ius hodie rex opulentus & equitatu pollens, Imperij termi-  
 nos profert usq; ad Cananore. Cucini & Calcutæ Indici ma-  
 ris Emporia, quæ nobis Lusitana classis aperuit, quum ab  
 Atlantico Oceano ultimum Aethiopiæ promontorium, in-  
 genti spe, unde ei nomen, inusitatoq; ausu præteruecta ultra  
 Arabicum, Persicum, & Gangeticum uastissimos sinus, ad  
 auream usq; Chersonesum, extremaq; Sinarum littora cõ-  
 mundus aromatibus negotiationem extenderet. Tertia re-  
 gio Assyria censetur, cuius regia urbs est Bagadat olim Baby-  
 lon, condente Semirami muro latissimo atq; eius reginæ pen-  
 silibus hortis, & demum Alexãdri Magni immatura morte  
 celeberrima. Ab hac Babylone Euphrates rapto secum Ty-  
 gri amne in Persicum euolutus sinum classibus nauigatur  
 usq; ad Balzeram insigne emporium Teredonis insule,  
 quam bicornis fluuius officit. A Balzera mercatores persi-  
 num nauigatione trium dierum Armuzum, quod adhuc no-  
 men retinet lenibus uentis perueniunt. Id positum est ad fre-  
 ti fauces parua in insula tropico Cancri subiecta, ideoq; im-  
 mensis seruoribus solstitio infamis, nisi Armuzenses incole  
 magno artificio per tubos tecta in summa adium euadentes,  
 nocturnam diurnamq; auram exciperent, concitatoq; de-  
 mum per angustias incluso spiritu, immittis aëris calores uen-  
 tilando discuterent, & mersi ligneis lacubus frigide aquæ  
 balne-

*balneis uterentur. Armuntij, magnus undiq; gentium propè  
 omnium mercaturæ causa fit concursus, quòd in uadis Perse  
 ti sinus urinatores eximij margaritas & uniones piscan-  
 tur, & ad id summæ opportunitatis emporium illinc remo-  
 tiores Indi rudes & impolitos adamantes, & carbunculos,  
 pretiosioraq; aromata, hinc uerò Rubri maris accolæ Feli-  
 cis Arabiæ diuitias, itemq; Aegyptij, Syrijs, & Lusitani co-  
 rallium præsertim exoptatum Indis, & uaria nostri orbis  
 mercimonia, tanquam ad perpetuas nundinas comportent.  
 Mesopotamia autem, quæ in Occasum uergit Afsyriæ con-  
 tributa, Euphrati, & Tygri, unde ei nomen, & Tauro item  
 monte ad Corum terminatur. In ripis Euphratis sita est  
 Byrta, quæ hodie nomen retinet, ubi commodioribus ripis  
 hinc & inde superatur. Quo traiectu usi Perse, non se-  
 mel in Comagenem usque ad Alepum irruerint. Quibus  
 iniurijs commotus atate nostra Caithbeius Aegypti Sy-  
 riæq; Sulthanus, bello semper uictor, Euphrate gemino pon-  
 te constrato, parem Mesopotamiæ cladem rependit ad Or-  
 pham usque & Caramitam, quæ urbes antiquitus Dara  
 atque Amida uocabantur, repentina ex cursione cuncta ob-  
 uia populatus. Ceterum quæ ad Orientem Solem spectant  
 Medorum & Parthorum regna, ab Occasu mare Caspium  
 curuatis littoribus complectuntur. Id manifesto exitu caret,  
 occultis, ut credi par est, hauriendis naturæ specubus, & cæ-  
 cis uadis absorptum. Quod utique mirum est, quum tot in-  
 fluentium amnium perpetuo decursu, neque auctus exun-  
 det, neq; diluta salsugine mitigatus unquam dulcescat. Toto  
 autem ambitu in ouatam speciem ab Africo per obliquum  
 ad Boream se extendens, Euxino ponto magnitudine fere par  
 euadit, si à Ponto Mocotis palus, Zabacca hodie uocata, re-*

PAULI IOVII HISTOR.

cidatur. Celebres ad Mediæ littora duo sunt portus, alter ad urbem Bacchum, unde mari hodie nomen, mediterraneæ urbi regiæ, quam nunc Sumachin, olim fortasse Gamalam, uocant, propinquus, alter uerò ad Derbentum urbem, Caspiasq; portus ab Alexandro Magno, ut ferunt, aduersus Scytharum irruptiones ædificatam. Abruptæ siquidem Caspij montis rupes, usque adeò ad mare coarctant iter, ut excessi fluctibus, deuoratiq; in profundum eius littoris margines, uix duorum stadiorum aditum transeuntibus relinquunt. Ea enim forma Derbentum in edita montium crepidine situm est, ut duobus ex quadrato lapide muris ad mare deductis, inferiora ædificia, & nauigiorum stationem tanquam duobus brachijs complectatur, non maiore quàm trecentorum passuum interuallo: quod spatiū singulis utrinq; ferreis portis, superstantibusq; propugnaculis, ita munitur, ut perpetuis custodijs, nisi clara luce & explorato litore uiatores, nec admittantur, nec recepti intra portam, altera prius emittantur, quam portorium persoluant. Nauigia quoq; intercluso eo in litore commodam habent stationem. Sed toto Caspio mari nec Hysnaël, nec quisquam alius princeps classe nauigat, quòd eæ gentes rei naualis imperitiæ & rudes lintribus, tantum onerarijs oram lambentes utantur, nec alto se committere audeant, propterea quòd nondum magnetis usum, & membranas itinerum, & cursuum mensuras, uentorumq; rationem pictura continentes nouerint, & magnis etiam anchoris aptioribusq; dolonum uelis careant. Secundum Medos Parthi in uolturnum spectantes, maritimas urbes habent Sanderam, & Strauam, bomicum & pexi subtilioris Serici copia claras, sed propter uadosa admixtisq; dulcibus aquis palustria littora, pestilentes. Ob id urbs  
regia

regia nomine Spaham à mari longissimè recedit. Hæc inter memorabiles magna quidem ambitu, sed cretaceis mœnibus cinctæ, bellicoso populo frequens est, & innumeris Serici textrinis opulenta. Ad partes Sophiani Imperij extremos Hyrcani, & secundum eos Coraxanæ regionis incolæ succedunt, Arriani scilicet, Margiani, Aracosii, Bactriani, qui hodie uno nomine Zagatai uocantur, Persarum antiqui hostes, atq; hodie Hysnaeli maximè infesti, & cruenta factione dissidentes, quod Sophus Cuselbas (id est, rubrū caput): contra Zagataius Cacebas (id est, uiride caput) appellentur: Ea factione deducta à coloribus quibus tegumentorum capitibus prælongi apices tinguntur. Has gentes diuidit Oxus amnis, qui alienis undis auctus magna aquarum mole, multisq; ostijs in mare effunditur, adiacente urbe Bactra, quæ hodie Ephra dicitur. Nec inde multum abest urbs. Eri Arriane prouinciæ caput, circumambiente piscoso lacu egregie munita, & cyani lapili, quem Turchinam uocant, prouentu pernobilis. Ad Boream uerò in Sogdianis longè à mari, Iaxarti fluuio imposita urbs Samarcanda, Zagataiæ regionis metropolis, amplitudine & structura ædificiorum rerumq; propè omnium copia, ceteras eius tractus urbes antecellit. Hanc Alexandri Magni temporibus, authore Q. Curtio, notam fuisse perspeximus, constatq; inde ortum esse Tamerlanem, qui patriam demum senescentem & dirutam instaurando atq; augendo immensis opibus & spolijs deuictarum ab se gentium exornauit. A Samarcanda ostioq; Iaxartis moliter curuato maris sinu, ad Rha flumen à nostris Volga, & à Scythis Hedil appellatū magnæ interiacent solitudines Tartarorum pascuis dicatæ. Horum plura sunt ingentia agmina errantium ciuitatum instar, quæ Horde eorum lingua uo-



PAULI IOVII HISTORIÆ

eantur. His nobilitate generis & bellica uirtute præstantes,  
 imperant, Canesq; appellantur, quæ uox Tartarice impe-  
 ratorem sonat. Ea gens in uniuersum fera & inops, om-  
 nisq; humanitatis expers, solis confisa sagittis, equina carne,  
 eaq; semitosta manantibus tetro cruore gingiuis spurcissi-  
 me uestitur. Continenter cum finitimis bella gerit, & usque  
 ad Cataium Sinarum regionem & urbem Cantam, totius  
 orbis longè maximam & opulentissimam extenditur. De  
 Cataio Lusitani negotiatores multa memoratu digna rese-  
 runt, in primisq; Cantam urbem Venetiarum similitudine  
 circumfluente mari e aratione edificatam, ut lapideis ponti-  
 bus ædificia coniungantur, eaq; in sicco secundum fundamen-  
 ta latos aditus perpetuis munitos podijs, commeanti populo  
 relinquunt. Excelsas esse domos, earumq; fenestras more nos-  
 stro clatris ferreis, & specularibus uitreis exornari, hortos  
 & pomifera uiridaria passim conspici, quòd Arcticus polus  
 non plus LVII. gradibus eleuetur. Viros autem uxoresq;  
 protectis nauiculis, & quum lubet equis & carpentis more  
 nostro circumuehi, nobiliores coloratis atque discinctis  
 talaribus togis uti, barbæ comæq; habitu atque incessu Ve-  
 netos patritios referre, diuersa autem ab alijs genibus nu-  
 mina coli, & quod maxime mirandum uidetur, ibi esse ty-  
 pographos artifices, qui libros historias, & sacrorum ce-  
 remonias continentes more nostro imprimant, quorum  
 longissima folia introrsus quadrata serie complicentur. Cu-  
 ius generis uolumen à rege Lusitaniæ cum elephante dono  
 missum, Leo pontifex humaniter nobis ostendit, ut hinc fa-  
 cile credamus eius artis exempla, antequam Lusitani in In-  
 diam penetrarint, per Scythas & Moscos ad incomparabi-  
 le literarum præsidium ad nos peruenisse. Ipsum uerò Catai-  
 norum

norum regē infinitimis populis terra mariq; imperare, tan-  
 tisq; rerū omnium opibus (quod innumerabiles alat copias)  
 ualere, ut ei Europæ reges collati unum pares esse nequeant.  
 Sed hæc ab alijs copiose enarrata relinquētes, ad Volgam un-  
 de diceſimus, reuertemur. Is à Riphæis ortus paludibus, à Se-  
 ptentrione in Meridiem multis nauigabilibus fluuijs, & in  
 his Occa & Moscho secum raptis, in mare Caspium tribus  
 faucibus prorumpit, omnium qui in id influunt mare, lon-  
 gissimo cursu, & uasta aluei latitudine maximus, utpote  
 qui Araxe, Armenis Arath uocato, & Oxo Bactrianorum  
 duplo maior atq; profundior existimetur, sed quem tamen  
 Tartari tranantes minimè reformident. In eius ripa positum  
 est emporium nomine Cytracam, unius diei nauigatione à  
 latissimo ostio recedens. Hæc in urbe concurrentibus undique  
 Scythijs & Moschis, Orientis opes, aromataq; in primis &  
 Sericæ uestes, cum Septentrionalibus mercimonijs permu-  
 tantur. Ea constant gregibus equorum, pellibus sbellinis,  
 albisq; centonibus, aduersus omnem imbrium & frigoris  
 iniuriam probatissimis. A Volga directo & mox infle-  
 xo littore, patentes campi degeneris pabuli feraces fre-  
 quentibus Sciabanorum & Cassanorum Hordis peragrati,  
 ad Derbenthum usq; extenduntur, qua iere superiorum ten-  
 porum Tartari, Scythæ, Hialone, Abaga, Tamerlaneq; duci-  
 bus in Cappadociam & Syriam penetrantes, quod nullus  
 omnino alius commodior aditus, ut iam diximus, magnis  
 copijs ad inuadendam Citeriorem Asiam pateat, si Derben-  
 thanis claustris arceantur. Nam Albanorum regio, quam  
 hodie Seruan appellant, proxima Mediæ & mari Caspio  
 imminens, Caucaſeis rupibus inaccessa, est, cui niuosi admo-  
 dum excelsiq; montes, & abruptæ ualles catheratis inter

## PAULI IOVII HISTOR.

*serupibus adnectuntur, pertinentes ad Georgianos, qui hodie sunt Hyberi, & ad Mengrellios, qui Colchorum & Albanorum regna ad Phasim amnem incolunt, paucis ante annis Bendiā Colchis, Georgianis Pancratius, Albanis Aguasapas regnabāt. Regia eorum sedes sunt, Phasium introrsus à mari retento ueteri, nomine Phasi fluuio impositum. In sula Oētis & Medeæ, uellereq; aureo poëtarum carminibus celebrata, inde Cotachis & Gorgora asperrimis in saltibus sitæ. Hij reguli pari studio, tanquam amici foederatiq; Persarum regibus leuia tributa pendūt. Christiano more, sed Græcorum ritu sacrificant. Ex his maxime bellicosi Albani sunt: secundum eos Hyberi, quum Mengrellij stoliditate, temulentia, & latrocinij infames existimentur. Hi Othomannicis finibus ad Trapezuntem propinqui, à Caspio mari recto itinere quingentis milibus passuum distant, nullis unquam laceſiti armis, quod iniquitate locorum difficultateq; egregie muniti, soli defendentis naturæ munimenta inuadentibus obijciāt. Ultra Colchos Circasij lunatum Euxini littus usq; ad Tauricam Chersonesum occupant: Gens rerum propè omnium indiga, sed quæ sorte quadam ad Aegyptij Imperij fortunam aspiret, quum inde Circasiorū liberi empti pecunia, et Nemphim asportati, plerūq; Aegyptijs anisse libertatis oblitis, regium adepti nomen imperitent. Hæc ferè sunt, quæ de Persici Imperij cōditione Hysmælisq; moribus summatim describi possint, ab occupato præsertim, & uti semper, aliàs ad enarrandam rerum gestarum seriem properante, quando iam nos Selymus reuocet, ut aliqua de natura Othomannici principatus, institutisq; militiæ referantur. Quæ tum magno usui futura arbitror, quum Christiani reges non oblitū ueræ pietatis, sacrum bellum pro salute*

lute publica suscipient. Primum omnium Selymus præclaro  
 ro felicitatis atque inuictæ uirtutis maiorum suorum exemplo,  
 impotentis tyranni more, ita liberis hominibus dominatur,  
 ut non alijs ferè quam sortium seruorum cõsilio & uiribus,  
 tanti Imperij fortuna cõstet, quòd alienas occupanti terras  
 nihil magis expediat, quàm ignobilium seruentiumq; uo-  
 luntates & studia, propositis præmijs promereri: quoniam  
 id unum ferè genus hominum, à spectata uirtute ad opes am-  
 plissimas summosq; honores ex tuto prouehi, extraq; tumultum  
 & inuidiam pro libidine plecti possit. Quæ de causa ho-  
 mines Turcas, antiquæ stirpis nobilitatem referentes ex ar-  
 cano Selymus odit, quòd eos tanquam Imperij amulos plane  
 metuat. In his sunt quatuor insignes familie uetustate origi-  
 nis Othomannorum domui pares, quæ ab occulto quodam  
 liuore in una Othomanni sobole, ipsis equali fatalis Impe-  
 rij nomen iam per ducentos confirmatum annos propaga-  
 ri uehementer indignantur. Hi sunt Michalogli, Ebreues,  
 Turacani, atq; Malcoccij, è quibus, uel summæ uirtutis ho-  
 mines, neq; purpurati, neq; magistri equitum unquã eua-  
 dunt, ne immodica uirium freti potentia, ad Imperium aspi-  
 rent. Sed magnos redditus ex antiqua agrorum diuisione, su-  
 perioribusq; uictorijs consecuti, quòd multo pecore & frum-  
 mentarijs possessionibus abundet, perpetuaq; stipendia per-  
 cipiant, ceteris opulentiore existimantur, secus ac liceat  
 Christiano sanguine progenitis, siue militie ascripti serui  
 sint, siue incolæ liberi, nam non alios habent fundos, quam  
 quos à principe agrorum domino ad annuũ uectigal impe-  
 trarint. Magnus tamẽ his familijs habetur honos: nã Micha-  
 logli peculiari prærogatiua uoluntarijs equitibus præfi-  
 ciuntur, hos Acanzes, hoc est, antecursores uocant: & ple-

PAULI IOVII HISTOR.

rumq; centum milium equitum numerum implent, quod eis ad spem prædæ Tartari e Taurica, & Getæ ex Valachia gregatim misceantur. Reliqui ex his familijs nobilioribus præfecturis ornantur, quæ nunc quadraginta octo sunt æquæ fere portione in Europa, atque Asia constitutæ. Verum ex Asiaticis digniores Imperatoris filijs obueniunt, sicuti Amasæ in Cappadocia, Iconij in Lycaonia, Magnesiæ in Ionia: In Europa autem ad parandum militiæ decus potiores conceduntur. Peloponnesiaca quæ Morea dicitur Turacanis, Bosphensis in Illyrico Malcoccijs, Ebreibus Samandrica in Triballis. Nec ulla est tam exigua aut tenuis præfectura quæ bina saltem milia equitum non alat, quum ampliores sena & septena contineant. Quibus omnibus ex descriptis regionum uestigalibus, stipendia argento & certis lignorum & pabuli supplementis, singulis quoq; mensibus persoluntur. Huius generis equites scripti in alas Sanzachorum Timarriotæ uocantur à Timarro, quæ uox stipendium ab in colis contributum sonat. In hoc equitatu præcipuū Otho manorum robor consistit: nam ad repentinum edictū paucis diebus septuaginta amplius equitum milia in unum locum à præfectis adducuntur. Nec quisquam eorum est, qui ad præpositum gerendi belli edictum, non magnopere letetur, et certum ex nauata opera præmium non expectet: ignaui æq; pariter & delicti pœnam subterfugiat. Tanta enim se ueritate iudices, qui circumeundo præfecturas sigillatim turmas recensent, arma, equos, & mores inspiciunt, ut si qui notati ex authoritatiq; sint, magnus equitum numerus in eorum supplementum sese offerat, insigniq; se affici beneficio existimēt, qui alijs eadem loca & stipendia diu expectantibus præferatur. Vniuersis duo Magistri equitū præsumt, qui

Beller-

Bellerbechi, hoc est, domini dominorum superba appellatio-  
 ne uocitantur. Asiaticus ad Cutheiam Galatiæ urbem, Eu-  
 ropeus ad Sophiam Mysiæ inferioris sedes habent, constitu-  
 tisq; tribunalibus inter milites ius dicunt, quemadmodū Ca-  
 di qui sunt statutorum & legum periti, prætoria authorita-  
 te incolarum controuersias finire solent. Bellerbecho parēt  
 Sanzachi, Latine alarum signiferi, Sanzachis Subasi obe-  
 diunt, qui centenarias turmas ducunt. Sed nemo est Turca-  
 rum omnium, aut Christianæ professionis ueterum incola-  
 rum, qui uel oppida, uel arces, uel deniq; pagos more Per-  
 sarū possideat, aut paulò munitiores domos ædificet. Vete-  
 re enim edicto cauetur, ne quis ullam pinnato muro circun-  
 det, nec ædificium supra primam contignationem, columba-  
 ria turricula altius condat. Propterea Thraces, Græci, Ma-  
 cedones, Mysij, Epirotæ, Illyrij, cæteri q; populi barbarico  
 subiecti iugo, neq; firmis opibus ualent, neq; si Christiana  
 arma alicunde perstrepant, ad oblatam excutiendæ seruitu-  
 tis occasionem sese cōmouere possunt. Singule namq; præse-  
 cturæ suos equitatus eo ordine in æstiuis atq; hibernis paga-  
 tim dispositos continent, ut ubiq; contra uim subitumq; tu-  
 multum parati, instructiq; armis, præsto adsint aduersus ex-  
 armatos & inopes, qui oppressi celeriter teterrimi suppli-  
 cij pœnam subeant. Reliquus equitatus constat ex prætoria-  
 nis alis, quæ nobilitate ac eximio cultu omnium lectissimæ  
 atq; ornatisimæ sunt. Ex distinguuntur ordinibus, atq; sti-  
 pendijs. Sed Spachi, Oglanij dignitate cæteros antecellunt,  
 quòd ab Imperatore filij appellentur. Nam à pueritia ex  
 delectibus prouinciarum adducti in regiam, & postquam  
 à Christiana religione defecerint, per Eunuchos literis  
 & armis liberaliter instituti, quum puberes euadūt ad sunt

PAULI IOVM HISTOR.

mos honores prouehuntur. Oglanis pari propè authoritate succedunt Vluphagi, Siliphtari, Caripigi, et Mutpharacha, qui à dextra leuaq; distinctis agminibus equitantis Imperatoris latera præcingunt. Sed Mutpharacha admirabili uirtute præstantes, toto orbe conquisti, ea conditione militant, ut quos uelint Deos impune colant, præsentiq; tantum Imperatori operam nauent: qua liberalitate, atq; indulgentia inuitati, non modo Indi, Aethiopes, et Tartari extremi gentium idola prisca & antiquatæ religionis, aut cœli maxima sidera pro Dijs uenerantes, sed ex nostro etiã orbe Christiani nobilitate illustres in eum ordinem recipiantur. Hos equites magna delectorum subservuorum multitudo subsequitur, adeo splendide armis & equis instructa, ut quum dominos numero multum exuperet, ornatu etiam propè pariuusti, et fulgentis exercitus speciem ostendat. Verum insignia utrosq; distinguunt. Subserui enim non lintheis & globosis capitum integumentis, ut heri & Turcæ reliqui, sed puniceis pileis utuntur, quos pro galea frontalibus puro ex auro econtextis, & argenteis conis ad inferendas cristas eleganter xornant, quum in uniuersum etiam ueste serica argenteis fibulis redimita, squamosoq; baltheo, & inauratis phaleris conspicui, herilis opulentia splendorem representent. Nam aula procerum splendidissimus quisq; nihil pretiosius in censu habet, nec sibi honestius quicquam ducit, quam plura seruitia, decore militaris formæ præstantia, pompæ modò ad decus ostentare. In hunc siquidem unum præcipuæ sumptuum omnes fortunas conferunt, propterea quòd exquisitis epulis minime studeant, nec sumptuose ædificent, neq; ullis omnino damnosæ alex ludis indulgeant, quum latrunculis per otium luisse, uicisseq; ad ingenij laudem, quàm ad pecunie

quæ=

quæstum nobilius existimēt. Sed nihil apud Selymū duarum  
 legionum ex Ianizaris delectarum inuictō robore præstan-  
 tius atq; ualidius censetur. Instar enim Macedonicæ pha-  
 langis omnem uim hostium facile sustinent atq; perfringunt.  
 Has ex nouæ gentis delectu, uti nomen sonat, primus Otho-  
 mannorum Amurathes Selymi proauus instituit, quibus  
 regiæ prætorijq; custodia mandaretur. Earum siquidem  
 noua sceliciq; uirtute memorabilem uictoriam, caso ad Var-  
 nam Ladislao Polonorum & Hungarorum rege fuerat  
 consecutus. Nec alia demum ui quam Ianizarorum Ma-  
 hometes Byzantium, Baiazetes Methonem expugnarunt,  
 quum hic pro nepos nuper inuictos antea Persas, & equi-  
 tati plane uictores horum peditum uirtute profligari. Iani-  
 zari peculiari prærogatiua, Exarcolam, hoc est, pileum  
 album aurea anteriore fascia, & cristis insignem acinaci im-  
 penetrabilem, demissaq; per tergum lata cauda ceruices nu-  
 nientem pro galea gestant. Lunatosq; item calceos cæteris  
 uetitos induunt. Arma eorū præter sclopettos & arcus, qui-  
 bus iam multò maxima eorum pars utitur, sunt hastæ Ger-  
 manicis breuiores, ferro lato, aut triangulari, aut fuscinato,  
 aut in romphæam adunco præfixæ. Præter hæc gladio in-  
 curuo paruaq; secure, quum expedit rem gerunt. Breuio-  
 res togulas colore cyaneo, aut rubro, aut prasino ab anterio-  
 re fimbria in tergum reductas baltheis subcingunt, & terra  
 mariq; omnium audacissimè & constantissimè pugnant. Ex  
 hoc mirifico inueteratæ disciplina genere, tanquam ducum  
 & præfectorum seminario, pleriq; in alas prætorianas ad  
 equum rescribuntur, alij ad superiores ordines traducti ad  
 præfecturas scandunt, alij nulla ferè alia quam testatæ uirtu-  
 tis cōmendatione Sanzachi, & quod supremæ eorum fortitudo



PAULI IOVII HISTOR.

na munus est, Bellerbechi & purpurati Bassæ creantur. Hæ numero quatuor grauissimarum rerum consilijs præsent, & per singulas hebdomadas quatuor continuis diebus in regia coeunt, supplicibus libellis respondent, lites dirimunt ipso Imperatore ex protecta uelo fenestella cunctas controversias quærelasq; populi, & Bassarum responsa intentis auribus excipiente, ut tantarum rerum iudices censorē poena & præmio cuncta expendentem adesse intelligant. Huius ordinis antiquior principis scrinio gēmaq; potitur, appellaturq; Vesir, & scribis atq; notarijs decreta dictat. His rebus confectis purpurati prædent, uniuersoq; populo, qui incuriam coierit, publicè epulum datur, sed frugifane ex oriza, & ueruecina carne, panēq;, & aqua limpida paratum. Interea Imperator præfecto sacrarum legum, qui est Cadi-lescher, & quæstorum magistro, qui ærarij rationes expendit, & Dephterder uocatur, sedulo operam dat. Hoc perpetuo rerum ciuiliū officiorumq; omnium tenore, & hac incomparabili militiæ disciplina, Selymus Imperium patri & fratribus ereptum, ita stabiliuit & auxit, ut maioribus suis magnitudine animi superior esse uideatur, & quòd uictor in intima Persarum uiscera penetrarit, iam Campsonem Syriæ Aegyptiq; Sulthanum, Baiazeti patri ex Tarsensi uictoria formidatum, promotis ad Amanū montem copijs magnopere territet, nobisq; inde minetur cladem, illaturus proculdubio longè teterrima, nisi Christiani reges maturè experecti, tam pia quàm necessaria arma ad publicæ salutis præsidium, expediant. Ea quæ secuta est hyeme Ludouicus Gallorum Rex, ut post bellum terra mariq; infeliciter gestum tandē quieti Galliæ non indecora pace parta cõsuleret, Mariam Britannam Henrici infensissimi hostis sororem in  
matri=

matrimonium petere constituit. Enimuerò quum aestuante animo secum ipse reputaret, quot incōmodis acceptis, quantoq; periculo bellum superiore aestate sustinuisset, omni ratione parandam pacem existimabat, non ignarus si Britannum æquis oblati conditionibus, ad amicitiam pertraxisset, futurum proculdubio, ut cæteris aduersum se coniuratis hostibus, animi uiresq; conciderent. Quando Caesar eo maxime tempore pecuniæ inops, contra autem Hispanus auriteanax, & uenales Heluctij, qui aliena tantum pecunia bella gerere consueuissent, si spes eos Britannici auri destitueret, posituri continuo arma atq; omnino quieturi uidebantur. Neq; Henricus, qui fuso fugatoq; Gallorum equitatu, duabus in cōtinenti ualidissimis urbibus captis, occiso Scotorum rege, & ad internitionem eius nobilitatis confecto bello, satis sibi gloriæ ac laudis comparatum arbitrabatur, multum ab honestæ pacis studijs abhorrebat, ob id præferim, quòd Ferdinandū socerum nō alieno animo in Gallum esse perspetum habebat, quum ab initio occupata Cantabria, Britannis ad fontem Rabidum, qui auxilia & commeatus ex propinquo postulabant, contra foederis iusurandū in maxima gerendarū rerum opportunitate defuisset. Subindeq; Maximilianum Sfortiam, & Heluetios in asperis Nouariensis belli casibus, ostentata spe auxiliorum per Cardoniū deseruisse, ac penè prodidisse diceretur. Sed ingentis spiritus regem id maxime angebat, quòd nouissime dum ab se à Germanis & Heluetijs uno consilio, atq; uno tempore bellum in Gallia gereretur, Ferdinandus in tanta proferendi Imperij occasione, nec ullā ostentatis saltē armis de se inuadendæ Aquitanie suspitionem timentibus Gallis præbuisset. Heluctij quoq; quòd pacem ad Diuionum fœdē atq; importunē in ip-

PAULI IOVII HISTOR.

*sa uictoria pepigissent, ipso indignante omnes belli cogita-*  
*tiones perturbant, utpote qui si bellum in Gallia renoua-*  
*retur, nec certi hostes, nec cōstantes socij futuri essent, quan-*  
*do diuendita nuper animorū ferocia, auarē ac turpiter om-*  
*nem pristinae existimationis opinionē amisisse censebantur.*  
*Hæc animo uoluentem Henricum, & iam segnius de bello*  
*cogitantē, Marchio Rotellinus, quē Morinensi acie captum*  
*ac in Britanniam transfuctum fuisse docuimus, prætentatis*  
*eius consilijs ad ponendas simultates, & pacem eo necesi-*  
*tudinis uinculo confirmandam pertraxit, Ludouico Cano-*  
*sio Leonis legato, in eam rem peracuti ingenij sui studium*  
*et uim omnē explicante. Is in honore habitus ueruaris ser-*  
*monum occasiones, docebat ad fœlicitatem Gallia atq; Bri-*  
*tannia plurimū pertinere, si matura ætate puella propin-*  
*qui & maximi regis cōnubio iūgeretur, ex qua ille integro*  
*adhuc uigore animi, nec effœtis corporis uiribus sibi suc-*  
*cessorem in Gallia procrearet. Pretium autem dotale apud*  
*ditissimum regem nihil maius futurū, quā in signem lectis-*  
*sime uirginis formam, utriusq; gentis concordiam, & in*  
*duobus regnis incomparabili cōmodo rerum trāquillitatem*  
*affrentem. Igitur quum Henricus uel honestius arma depo-*  
*nere, uel sororem splendidius collocare non posset, per lega-*  
*tos de sponsalibus actum. Ludouicus quoq; Senatum con-*  
*suluit, & totius regni proceres, an recte & sapiēter factum*  
*iri existimarent, si uxor ē Britannia peteretur. Quod post-*  
*quam summo omnium consensu, uel aliena cum iniuria ap-*  
*probatum est, Hauardus Suffolchius regis amicitia clarus*  
*cum ornatissimo Britannorum procerū comitatu, puellam*  
*in proximam continentem transfuecit. Nec multò post Fran-*  
*cisco Delphino genero deducente, eamq; iniuriam generose*  
*disti-*

dissimulante, Ludouicum ad Beuillam obuium habuit, iuue-  
 nili atq; eleganti potius quàm graui uel regio cultu inter flo-  
 rentis ætatis equites exornatum. Inde uerò Lutetiam Parisio-  
 rum est concessum, ubi solennes nuptiæ, editis spectaculis, ma-  
 gno apparatu celebratæ sunt. Sed rex ætate prouecta et mul-  
 tum antea neruorum doloribus lacepsitus, quum intempe-  
 ratius puellarib. cõplexibus indulisset, in febris incidit. Nec  
 multo post inualescẽte etiã profluuio uentris extinctus est.  
 Vir certe rei bellicæ peritissimus, nec ignarus artiũ pacis, ut-  
 pote qui ab ineunte ætate grauisimarum rerũ experiens, &  
 miles egregius, & insignis Imperator, & rex idem apprime  
 bellicosus, per aduersos simul & prosperos totius uitæ suc-  
 cessus, singulari uirtute arma tractarit. Eum tamen peruica-  
 cis obstinatæq; naturæ, & proinde seuum & inexorabilem  
 pleriq; existimarunt, uel ob id præcipuè, quod Ludouicum  
 Sfortiam erepto omni scribendi, & quæ cuperet legendi so-  
 latio ferratã in cauea omnium miserrimum mori cõgisset.  
 Alij quanquam uel præcipuè militibus, statis semper certisq;  
 stipendiorum temporibus, summa fide satisfecerit, pecuniã  
 ualde parcum, & magnopere tenacem usq; ad illiberalitatis  
 calumniã putauerẽ. Ignari prorsus quanta sibi et prouin-  
 cialibus damna intulerint principes, qui profusè temereq;  
 donando per otia pacis uanis sumptibus paratos ad bellicas  
 necessitates thesauros exhauserint. Quibus uirtutibus cate-  
 ris ætatis suæ regibus scelicior uideri poterat, nisi dum pro-  
 fugis ad se cardinalibus per consilij causam, ambitiosius faue-  
 re contendit, ueluti spreta religione florentem Imperij sui sta-  
 tum maximis periculis obiecisset.

PAULI IOVII NOVO-  
COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI  
Historiarum sui temporis.

LIBER XV.



**L**VDOVICO uita functo, Franciscus eius gener è regia Valefiorum familia maximo procerum atq; omnium militum studio, Britannia Citerioris, et totius Gallia imperium adeptus est. Siquidem primis statim militiae rudimentis, Cantabrico atque Britannico bello alterum & uigesimalium natus annum, quum singulari decore excelsi corporis militari comitate, atque ingenuo quodam uigore animi promptum, se ad arma, ac subinde liberalem atq; magnificum ostendisset, breui apud exercitum atq; omnes Gallia regulos maximam gratiam compararat. Is, ut primum celeberrimo procerum conuentu ad Lutetiam Parisiorum regali diademate accepto, atque omnibus militiae praefectis & magistratibus sacramento adactis, & regis nomen, & administrandi Imperij curam sumpsit, ad repetendum Mediolanense Imperium cõsilia uiresq; conuertit. Enim uerò rex iuuenis plurimum ad recētis principatus ac totius Gallia dignitatem pertinere arbitratur, neq; magnitudine animi, neq; industria scero inferiorem existimari, & tantas uideri Gallorum copias, & amplissimi regni facultates, ut uel conspirantibus ceteris regibus, non modo sustinere, sed inferre

inferre ultrò bellum, atq; id alere in aliena prouincia com-  
 mode posse censeretur, uel ob id maxime quòd paulò ante Lu-  
 douicus (quum iniuriæ atq; ignominie animus impatiens,  
 plurimum Italici belli cupidine deflagraret) omnibus propè  
 rebus ad id comparatis, maximum eius expeditionis deside-  
 rium reliquisse uidebatur. His de causis accensum regem, pa-  
 ratumq; ausu & armis recentis imperij fortunam periclita-  
 ri, Veneti, ac Ligures maxime opportuni huic bello, ac lon-  
 ge omnium terrarumq; potentissimi in Italiam euocabant,  
 non dubiam expeditamq; uictoriam ostendentes, quòd uno  
 tempore dum regij exercitus fama Heluetij ad Alpes distine-  
 rentur, ipsi ab diuersis hostilis agri partibus socia arma mo-  
 turi essent. Id quoq; fiduciam addebat Gallis, quòd uetere ho-  
 minum opinione uulgatum erat, externos exercitus, neq; in-  
 uadere Italiam, neq; alpes alioquin imperuias posse facile su-  
 perare, nisi disidentis Italiæ consilio, ac uiribus ducerentur.  
 Venetos una ea cura agebant, ut tot amissas urbes uel pericu-  
 loso etiam remedio, à Germanis & Hispanis recuperarent:  
 ac subinde quòd plurimum ad dignitatem atq; existimatio-  
 nem Reipublicæ pertinebat, ueteres contumelias ulcisceren-  
 tur, quas pulsus ab Italia Gallis, fraudati uictoriæ partæ, elu-  
 siq; ab Hispanis atq; Heluetijs, cæterisq; fœderatis princi-  
 pibus accepissent. At Ligures paulò ante Octavianus Frego-  
 sius necessario magis quam honesto cõsilio, uel inuitos in par-  
 tes Gallorum traduxerat, tametsi uetere odio & recentibus  
 factis Gallico nomini insenserant, quum libertatem euersa  
 arce recuperasse uiderentur. Causas commutatae uoluntatis  
 atq; defectionis, plures Octavianus afferebat, quum uir alio-  
 qui integro cõstantiq; animo parum antiquis uirtutibus suis  
 respondisset: Victis enim ad Nouariam Gallis cut supra do-

PAULI IOVII HISTOR.

*euimus)empta à Cardonio Piscarioq; copiarum parte, qui tunc ad Placentiam sedebant. Liguriæ principatu potitus fuerat. Id factum, uictores Heluetij & Maximilianus Sfortia æquo animo ferre non poterant, quòd ille per inuidiam ab alio potius quàm ab se rerum omnium arbitris Imperium ac leges accipiendas esse iudicasset: et Hispani (quòd indignius erat) parum integra fide belli & prælij spectatores Heluetio sanguine & suo sumptu parte uictoriæ commoda sustulissent. Quamobrem Maximilianus & Sedunensis, ei ex occulto per Adurnios & Fliscos bellum intulerunt, quòd Adurnij ad quos altera principatus fortuna pertinebat, se his fœderis staturos legibus quibus olim Augustinus pater, Ludouici Sfortiæ auspicijs Genuam tenuisset, si Fregosij pellerentur, promitterent: ipseq; Octauianus iam despicere Heluetiorum partes uideretur, ut qui Hispanorum amicitia, & pontificis studio subnixus, nullam in bellicos sumptus pecuniam suppeditaret, & Flisci quoq; propter Hieronymi fratris cædem, Fregosijs infensi, cum Adurnijs opes atq; animos consociassent. Sed aliter ac ipsi constituerant usu euenit. nam, quum Adurnij et Flisci armatis clientibus suis, cum duabus Heluetiorũ cohortibus media hyeme ad Genuæ moenia duxissent, excitassentq; ad spem rerum nouarum omnem inferioris Liguriæ oram: Octauiano firmis præsijs tenente urbem, spe decepti, & uicti asperitate hyemis cum detrimento discesserunt. Insequenti quoq; anno, adulta etiam tũ hyeme, quum aperta ui, aut ampliore comparato exercitu, propter eandem hostium diligentiam & maximam oppugnationis difficultatem capiendæ urbis, Fortunam minime sibi tentandum existimarët, ad dolos insidiasq; conuersi, uocantibus amicis per exoletam portam, quæ ab exteriori pomerio in priuatos*

ratos hortos ducebat, cum armatis amplius trecentibus homi-  
 nibus urbem intrarunt, & ad expugnandum prætorium  
 conuolarunt, existimantes in perpetuum debellatum fore, sed  
 eo impetu Octavianus atque alij capita factionis opprimeren-  
 tur. Sed tardius confecto itinere, & inalbescente iam caelo,  
 dum cancellatos aerea postes effringere conarentur, Octavia-  
 nus a tumultu excitatus, arrepto scuto cum globo prae-  
 rianorum descendit: & patefactis foribus magna uirtute ir-  
 rumperere conantes, sustinuit. Ibi dum acriter pugnaret sclo-  
 petto ictus est, confauciatus & Scipio Fliscus, ceteri consur-  
 gentibus undique hostibus, clara iam in luce deprehensi quod  
 longi & spurcissimi itineris labore exanimati erant, quod  
 ab amicis extra noctis occasionem auxilia desperabant, &  
 quod primis suis conatibus fortuna defuisset, in fugam praeci-  
 pitantes se dederunt. Hieronymus Adurnus & Scipio capti  
 sunt. Sinibaldus Scipionis frater totam diem apud aedituum  
 latuit, & sequenti nocte amicorum opera urbe effugit. E mi-  
 litibus aliquot interfecti, alij ferè omnes in potestatem hosti-  
 um deuenere: & in his Camillus Montanus, qui apud Maxi-  
 milianum prætore praefectus fuerat. Eum quod ab Ma-  
 ximiliano submissum fuisse suspicabantur, in arctissimam cis-  
 todiam cum Hieronymo & Scipione coniecerunt. Tanto  
 euitato periculo, Octavianus nihil sibi amplius cunctan-  
 dum existimauit, quo minus cum Gallo foedus & amicitiam  
 occultè percuteret, tametsi Caesari in primis, ad quem traden-  
 di principatus iure atque auspicia pertinebant, & Ferdinan-  
 do cuius uiribus ac copijs imperium obtinuerat, ac Leoni  
 pontifici maximo, qui Fregosae domus, ac eius praesertim om-  
 ni tempore fautor atque amicus fuisset, insignem se iniuriam  
 facturum intelligebat. His autem conditionibus foedus ictum



PAULI IOVII HISTOR.

est ut Octavianus arcem traderet, ducis titulo in posterum abstineret, nomine regio Liguria præesset, & equitum ale stipendium à rege quotannis acciperent. Federicus uerò frater qui tum Salernitanus Archiepiscopus erat, amplissimis in Gallia sacerdotis ornaretur. His itaq; secreto per Carolum Borbonium cum rege transactis ignara earum rerum ciuitate, plures menses cum Leone & ceteris principibus, eos cunctis fide amicitie artibus, per literas ac legatum suum Benedictum Vivaldum egregie ludificatus, dissimulanter egit. Sub aduentum uerò Gallorum aduocato senatu, docuit nihil ad quietem atq; opulentiam ciuitatis magis pertinere, quàm si ab auarissimorum hominum amicitia discederent, Heluetios enim immodicos atq; arrogantes barbaros & rapacem sfortiam non prius cupiditati atq; superbie finem inposituros, quàm omnem Liguriam ueluti bello uictam publicis priuatisq; opibus spoliassent: præstare Gallorum societatem sequi, atque in tutela & fide potentissimi atque optimi regis, qui nouas, et ueteres iniurias obliuione deleuisset, pacatè agere, quam inconstantissimorum hominum stipendiarios uideri. Eum regem compositis Hispaniæ, Britanniæq; rebus, breui transcursum Alpes cum innumerabilibus copijs, atq; omnem Italiam uictricibus armis peruagaturum. Nec Leonem Pontificem qui legatos in Gallia, & regis amitam Iuliani fratris uxorem domi haberet, inter diuersos metus copias suas pro aliena salute Gallis oppositurum existimarent, proinde ea consilia quæ tuta & necessaria essent, conuersis animis sequerentur. Regem enim non impotentem dominum, sed socium atq; amicum habituros, se uerò libertati ciuium semper, propriæ autem dignitati atq; amplitudini studuisse nunquam. Ac tunc maxime paratum esse ciurare

ducis

Lucis ac principis nomen, decorum fortasse alijs sibi uerò in-  
 uisum & graue, quando si pertinacius retineretur, maxi-  
 mum Reipublicæ detrimentum esset allaturum. Primates,  
 ut in mobili & factiosa ciuitate facile accidit, tametsi pro-  
 pter incertos belli euentus se ac fortunas suas in maximum  
 discrimen adduci manifestè intelligebant, Octauiano tamen  
 assenserunt, quem perspectis eius consilijs reluctari non pos-  
 sent, quanquam Octauianus, qui cum magna laude paulò  
 ante libertatis author fuisset, ob priuatas res suas ueluti re-  
 posito iugo, duriores patriæ seruitutem inducere uideret-  
 tur. Nec multo post decretum est, ut præsidium acciperetur,  
 modò Franciscus, neq; pecunias imperaret, neq; Phari arcem  
 ab ciuibus funditus euersam instauraret. Interea Maximilia-  
 nus Sfortia, quum crebris rumoribus afferretur maximum  
 in Gallia exercitum comparari, & regem ipsum belli ducem  
 superatis Alpibus in Italiã primo quoq; tẽpore descensurũ,  
 commeatus, arma, equos, tormenta, atq; omnis generis præ-  
 sidia summo studio parare pecunia singulis urbibus impe-  
 rare, munire arces, & Heluetios ceterosq; socios principes  
 per legatos obnixè precari, ne se in tanto rerũ discrimine de-  
 serere uellent, neq; existimarent si ipse semel Insubrum Impe-  
 rio pelleretur, uictores Gallos ac Venetos antiquis Imperiũ  
 finibus contentos fore, ut qui pontifici maximo præscribere  
 uellent, & ceteris externis gentibus Italia pulsas, omniũ re-  
 rum Imperium sibi animo destinassent. Nec multo post, Mat-  
 theus Sedunẽsis Cardinalis, qui aduersus Gallos implacabili  
 semper odio exarsit, ac tunc maxime belli quam pacis aui-  
 dior, ad sui atque Heluetiæ gentis existimationem decerni  
 armis atque uirtute controuersiam uolebat, cum triginta  
 amplius Heluetiorum nexilijs in Nouariensẽ agrum de-

## PAULI IOVII HISTOR.

scendit: ea quidem mente, ut ad pellendos Fregosios in Liguriam duceret: quo consilio haud dubie imminentibus periculis occursum foret, nisi Leo pötifex qui nunquã, ut de Octauiani ac Federici fide dubitaret adduci potuerat, nihil eos hostile molituros recepiisset. Circumierat Sedunensis superiore anno singulos Heluetiorum Pagos, & in Gallos quòd ad Diuionum fidem sefellissent, acerbissimè concionatus, auctoritate atq; facundia, qua plurimum pollebat, uniuersam gentem ad arma exciuerat. Qua de causa omnibus concilijs conuentibusq; peractis, Gallos decreto publico Heluetij nominis hostes declararant: & uexilla ad cogendos milites, quibus Italiam tuerentur, omnibus locis proposuerant. At Romæ Leonem pontificem perplexo animo uaria consilia agitantem, Cesaris, Ferdinandi, Sfortiæ, Heluetiorumq; legati circumstitebant, orabantq; ut communis salutis causa expeditis consilijs sibi ac fœderatis principibus opem ferre maturaret, quando iam è Pyreneis inferioresq; Germania pedestres copię Lugdunum peruenissent, conuectisq; eò tormentis Gallico equitatu conuenire iusso, Franciscus nullam profectio ni moram factururus esse diceretur. Leo tamen si ut erat natura miti sedatoq; ingenio, à bellis plurimum abhorrebat, et à Gallis, si medium se gerere, atq; ab omni cõtentione abesse uellet, æquissimæ cõditiones proponebantur, simulq; ab omnibus suis, qui ad Gallos animos inclinabant, ut antiquum fœdus desereret, uehementer oppugnabatur: nihilominus in fide sibi permanendum, ueteresq; socios opportunis auxilijs iuandos esse existimauit, quòd Placentiam Parmamq; quas urbes Gallus haud obscure repetebat, ui uel pactione dimittere, neq; suæ neq; pontificiæ dignitatis esse arbitratur: ac magni interesse dijudicabat ad Florentinarum re-

rum quietē ac Romani pontificis libertatem, atq; amplitudinem, ualidissimam Gallorū gentem Italia prohiberi, quæ paulò ante magnitudine, sua sacrosancti Imperij statum illatis tot cladibus perturbasset: & Præsertim suis ac Petri fratris conatibus, quo minus Florentiam patriam repeterent, Vitelloccij bello, atq; omnibus temporibus semper obstetisset. Neq; enim summæ potentiæ regem quieturum putabat, donec ex usu uictoriæ rebus omnibus ad arbitrium constitutis, quas uellet Italiae leges imposuisset. Igitur præmissa pecunia, quæ Heluetijs stipendij nomine persolueretur, Iulianum fratrem cum equestribus copijs in Galliã Cisalpinam ab urbe proficisci imperat. Sedunensem totius exercitus legatum pontificia auctoritate decernit, & M. Antonium Columnam, in quo uiro multa industriæ ac uirtutis ornamenta erant, Veronam cū ualida equitum ala maturare, & Cardonio Hispanisq; in bello Veneto succedere iubet. Constitutum enim erat, ut Cæsar sex milia Germanorum peditū Veronam transmitteret, & Cardonius inde mouens cū omnibus copijs suis ad Alpes proficisceretur. Ita ut M. Antonius Liuiano obsistere, & Brixiam Veronamq; defenderet: Sedunensis autem, Prosperq; Columna, Iulianus, atq; Cardonius iunctis uiribus Gallicum bellum administrarent. Sed Iuliano Florentiæ suprema ualitudine tentato, Laurentius Medice Petro genitus, quem ad Lyrim naufragio perisse demonstrauimus, copiarum Imperiū sumpsit. Is quoq; militari indole copias Florentinorum ducendas acceperat, quum extincto Padulio, alium ducem Senatus minimè sufficisset, et tunc maximè Florentina respublica Mediceorū auspicijs, regeretur. Marcus quoq; Antonius ad Padum progressus, quum Liuianū de suo aduentu certiolem factū pro

PAULI IOVII HISTOR.

pter publicas ac priuatas similitates transmiffisse cum expeditis equitibus Malatestum Baleonum, & insidias idoneo sibi loco dispositas cognouisset, quadrato agmine, ac diuerso itinere quam constituerat, ut hostem falleret, ad amnem contendit: atq; eo celeriter traiecto per Mantuanorum fines ad Cardonium profectus est. At Franciscus maiore quam unquam antea bellico apparatu superiores Gallie reges Italianam inuaserint, incundum bellum existimans, ingentem equitum multitudinem tota Gallia conscripsit. Nemo enim paulo notior eques, uel superiorum temporum beneficiarius fuit, qui ulli aut etatis, aut priuatae rei impedimentum quo minus nomen daret satis dignum uacationis causam existimaret, quod facile fiebat, quoniam Galli non modò regibus suis enixissime parent, sed eos ut mortalibus augustiores uenerantur, putantq; indecorum & turpe domi remansisse: quum illos & bella iuste suscipere, & certis semper auspicijs ad uictoriam proficisci persuasum habeant. Galli quoq; omnes ueteri gentis instituto equestri militiae plurimum student: qua parte uirium cum propter incredibilem multitudinis consensum, tum propter numerum atq; uirtutem ceteras nationes antecellunt: sicuti peditatu perferendis militiae laboribus impare, nec satis exercitato, altera militiae parte inglorij hoc maxime tempore iudicantur. Censa sunt circiter quatuor milia cataphractorum equitum: quorum singuli de more ternos uel quaternos equos trahebant. Lewis aut armaturæ ad octomilia: quibus omnibus Carolum Borbonium Boiorum & Aruernorum Principem præfecit, quum eum paulò ante propter generis claritatem usumq; militiae magistrum equitum creasset: quem honorem, ut spectum & formidabilem regibus damnato necatoq; Sancti  
 Pau-

Pauli comite, ac tum rebellantibus Gallie regulis, Ludouicus Vndecimus aboleuerat. Pedestres uero copias ex eo genere hominũ qui pari uirtutis gloria cum Heluetijs contendere posse uiderentur, tantas ubiq; terrarum, quantas nemo tempestate nostra, aut Rex, aut Imperator unis in castris habuerit ingenti mercede conduxit. Siquidem Robertus Sedanius, qui maximam in Eburonibus authoritatem obtinebat, & Carolus Geldrius Menapiorum & Sicambrorum principes delectibus habitis, ex ea Germania parte quæ flumem Rhenum, & Belgarum fines attingit, supra quadraginta cohortes armauerant. Quorum alter Florantium filium misit, quem aduerso pectore decora uulnera ad Nouariam accepisse memorauimus: Alter quodd diuturno & difficili bello quod cum Cesare superioribusq; Germanis gestum est, Gallorum auxilijs atq; opibus subleuatus, & parem referre gratiam, ad dignam uirtutis suæ fama operam prestare cupiebat, ad Franciscum in castra peruenit, duxitq; secum summæ opinionis ueteranam legionem, quam à colore uexillorum nigram appellabant. Præcipua etenim eius uirtute, quæ ex fortissimis constaret, plures annos, & fines defenderat, & in re bellica maximum sibi nomen comparauerat. Petrus quoq; Nauarrus singulari studio ex Aquitanis, Vasconibus & Cantabris, atq; his gentibus quæ Pyrenæos saltus incolunt ad uiginti cohortes conscripsit. Erant ij maxima ex parte balistarij & sclopetarij, cæterum patientissimum laboris, audax, expeditum atq; agile militum genus, qui defendendis expugnandisq; urbibus, atq; omni extraordinario belli munere cum Germanis stabili acie ac firmis ordinibus campestri pugne assuetis, diuerso uirtutis genere, parem militiae gloriam quærebant. Nauarrus etenim ad

PAULI IOVII HISTOR.

Rhauennam captus quum in Gallia custodiretur, nec propter similitates ex insolentia praelij cōceptas, quæ sibi cum Cardonio intercedebant, eum Ferdinandus per tot pacis occasiones unquã redemisset, dolore iniuriæ magis quam carceris tediose totũ ab amicitia Hysspani regis alienarat. Vnde mox militari sacramento se absoluit, celsitq; ultro per publicas tabulas his Campaniæ oppidis, quibus ob nauatã egregiè operam Neapolitano bello, donatus fuerat, ut liberius apud Franciscũ, qui libertatem dabat, militaret, & renunciatis antiquis muneribus recentẽ contumeliã ulcisceretur. Quibus de causis, Franciscus quum solertissimi hominis uirtutem atq; consiliũ probaret, eum sua redemptum pecunia apud se in honore habuit, ualidæq; parti exercitus præfecit. Tormentorum subinde maiorum minorumq; tantam copiam, quantã duobus iustis exercitibus satis esse cõstaret, ad Gratianopolim, atq; infimas alpes præmisit. Fuit bigarum carrorumq; incredibilis numerus, quibus ferreæ pile sulphurei pulueris uis ingens, præterea uestes, dolabræ, omnisq; generis ferramenta, atq; alia domandis itinerum asperitatibus opportuna præsidia conuehebantur: totusq; is apparatus quinquemilium equorũ perpetuo labore traheretur, & maiore aliquanto sumptu quam quisquam crederet. Nam Galli consuetudine sua, non inuálidos, aut quoscunq; fors obtulerit, sed insuefactos & robustissimos equos curribus subdunt, eosq; immenso pretio parant & alunt, ut summis eorũ uiribus locorum omnium difficultates mirabili etiam celeritate superentur. Quin etiam tormentorum magistros ac liberatores propter eximiã eius artis peritiã longo usu, et maximis periculis cõparatam, in summo honore habet tuberioreq; stipendio prosequuntur magnamq; iu-  
ueniunt

uenum multitudinem, qui huic rei senioribus artem tradentibus, accuratè studeant, & per gradus ordines ac maiorū commoda mercantur, tota Gallia instituunt, neq; uirtuti unquā locus, neq; peritis opima salaria liberalitate regum, aut pacis, aut belli tempore defuerunt. Quibus institutis, pecuniæ nunquam parcendo, quum ea parte uirium magno terrori omnibus essent, facile sibi uel de fortissimis hostibus memorabiles sepe uictorias pepererunt. Nam Hispani atq; Itali, ceteraq; gentes, tametsi tormenta summa arte atq; elegantiã cõflare & fundere didicerint, & magnam eorum suppellectilem instructã habeant, his tamen in negotio minus fœliciter utuntur, tarditate præsertim & inertia bouum, quos magnitudine impensæ deterriti pro equis substituunt, & inficitia atq; penuria rectorum: quando pauci, qui manifesta uitæ pericula subire uelint, nisi propositis ingentibus præmijs, haud facile reperiuntur. Sequuta quoque est proficiscentem regem certis sub signis ac ducibus, ualida uoluntariorum peditum manus prædæ auida: et cum his ad tria agrestium milia purgandis & sternendis itineribus mercede conducta. Mercatorum uerò & lixarum, calonumq; ingens numerus, qui magnam pecoris, cõmeatus, rerumq; uenaliū copiam publico & priuato consilio conuehebant, castra sequebatur. His omnibus ad profectionem comparatis. Franciscus ad Alpes duxit, sparsitq; exercitum ad primos aditus trium semitarum, quæ tantum peruiæ sunt Alpes, ne hostes certiore coniectura per diligentissimos etiã speculatores assequi possent, quænam Alpes, quæ uè potissimum iuga transitu destinarentur. Enim uerò Heluetij in Taurinis Salassiq; aduersus Alpium radices occupant, & equitati loci plurimū et uirtutis fiducia elati, ut quod ma-



PAULI IOVII HISTOR.

gnopere cupiebant, antequam totis agminibus in patentes campos descensum foret, cum primis Gallorum copijs in faucibus Italiae praelio decertarent. Igitur quum mollioribus uisitatissq; itineribus minime transeundum existimaret, ad fallendos hostes, nouae Alpes, noua asperior aq; montium culmina quae nunquam ullis antea exercitibus patuissent, tentanda erant. Alpes siquidem quae Italiam à Gallis Germanisq; disterminat, ab Arsia flumine ( id è Carnicis iugis per Hystriae fines Hadriaticum petit ) ad uada Sabbatia Ligustici littoris protenduntur, pluribusq; in locis, uel molliore montium natura, uel hominum ingenio patefactis itineribus superantur, tametsi rerum naturae opifex altiore consilio densissimos saltos, praaltos exesosq; uertices, & abruptas uallium crepidines, in niuosa illa atq; horribili rupium mole posuerit, quaeis mortales ab accessu terrerentur. Prima Alpes post Carnicas ab Ortum in Occasum tendentibus Iuliae occurrunt, quae ab Taruisio iuxta Anaxum flumen per Bellunum ac Feltrium in Noricum Austriamq; perducunt. Secundum eas sunt Rheticae, quibus ab Tridento per montis Cremeris clemetia iuga, in Vindeliciam, & loca ad Oenum amnem Hissurcho oppido proxima, penetratur. His aliae Rheticae succedunt, quae ab Lario lacu per Volturenam uallem supra Aduae fontes, & Burmias aquas, celsissimum Aduae montis culmen habent, quod hodie Mongraium uocant. Subijciuntur aduerso statim dorso ab Germaniae parte sancti Petri uicus, & à dextris Maranum atq; Bolzanum, oppida nundinarum conuentu nobilia. Sunt & alij quoq; aditus secundum Aduam montem, qui ad Lepontios Rhetosq; pertinent. Eae gentes hodie Grisoni uocabulo barbaro nuncupantur, societate Heluetiorum clari, & possessione sex uallium, ut alio loco me-

morauimus, quum multo pecore, & lactis copia abundant,  
 Alpinarum gentium altissimi. Id uero inter cetera frequen-  
 tissimum est iter, quod ab eodem Lario per Glauennam mu-  
 nitissimum oppidum, & Solium Bregaliorum ad Curiam  
 Rhetiarum perducit, duobus tramitibus, Cepta scilicet, &  
 Spluga, ubi Columna Iulij Caesaris hodie uidetur. Has Alpes  
 Lepontias esse credimus Rheni amnis origine illust. res. Nam  
 Rhenus in proxima ualle caput tollit, quam etiam nunc ue-  
 teri nomine Lepontinam appellant. At minores Leponticæ,  
 quibus à Bellizona, quæ oppidum Villitionis, ut quibusdam  
 uidetur, antiquitus fuit, per Ticini amnis uallem Torfanum  
 primum Heluetiorum oppidum aditur, non magno ab his  
 interuallo distant, æquitate uiarum ac montium ceteris Al-  
 pibus leniores, nisi editissimum diui Gothardi iugum, et pro-  
 fundissima uallis, quæ cum tremulo ponte Infernam uocant  
 uno tantum uel altero in loco maximam cum summo timore  
 transeuntibus difficultatem præberent. Patent quoq; eadem  
 Alpes supra Verbanum lacum ad Domosulam oppidum,  
 quod ipsis in faucibus & profluentis Ogonie ripis edifica-  
 tum, Ludouicus Sfortia patrum nostrorum memoria, &  
 cæde Sedunorum & maximis operibus nobilitauit. Adeun-  
 turq; eo itinere Valesij, atq; Seduni, qui sedes inter Helue-  
 tios et Allobroges tenet. Ad has statim sequuntur Sancti Ber-  
 nardi Alpes, quas Caesar summas appellat, quondam ab tran-  
 situ Græcorum atq; Herculis Graie nuncupate, quæ ab  
 Eporedia per Augustam prætoriam, atq; Octodurum  
 Varagrorum, id hodie Sancti Mauritiij oppidum dicitur, in  
 Centrones Gallos, & loca Allobrogum Lemano lacu pro-  
 xima, perducunt, superanturq; duobus iugis, quorum alte-  
 rum dextris sub Ocello uetere oppido, montem Ionis, alte-

PAULI IOVII HISTOR.

rum à Leua Iouettum recenti uocabulo appellant. Has ru-  
 pes ignibus acetoq; Annibalem perfregisse multi opinatur:  
 ut apud Barrum eius itineris pagum perpetuo tanti ducis  
 gloriæ monumēto, literæ ipsis cotibus inscriptæ significant:  
 quanquam Lilius grauiſſimus historiârũ scriptor de tran-  
 ſitu Annibalis ambigens, non Graiſ ſed Pœniniſ eum traie-  
 ciſſe memoriæ prodat. Ab Iouis iugo Seſithes amnis fluit,  
 & contraria parte Rhodani fontes exiſtunt, qui mox effe-  
 ſto Lemano lacu, per Narbornenſem Galliã præceps in ma-  
 re multis annibus receptis euoluitur. Haſ Pœniniæ Alpes  
 excipiunt, propter lenitatem mitioris itineris, crebrãq; in-  
 colarum ædificia maxime celebres & frequentes, quarũ al-  
 tiſſimũ cacumen hodie monte in Cenifiũ nuncupamus. Hiſ  
 ab Taurino, Suſaãq; per Nouoleſſiam atq; Ferreriã, & mox  
 ſuperatis culminibus per uallẽ Moriennã, Vienna atq; Lug-  
 dunum adeuntur, quo itinere ad delendum Longobadorum  
 Imperium, in Italiã irrupit Carolus Gallorum Rex, qui po-  
 ſtea ab amplitudine rerum geſtarũ Magni cognomen ade-  
 ptus eſt. Ab Suſa, quæ olim Sebuſium fuit, iter aliud patet,  
 quod ad Coctias Alpes pertinet, quibus mons Genebra excel-  
 ſo cacumine, & duorum amnium Durie atq; Ifaræ fonti-  
 bus clarus, hodie nomen præbet. Siquidem, quum pluribus  
 diuerſiſq; itineribus per tot conualles ac uarios anfractus  
 occurrentiũ montium ſuperentur, in unum tamen Genebræ  
 dorſum omnibus pari labore euadendum: & hiſ maxime  
 qui è Galliã in Italiã tranſcendunt. Via militaris & con-  
 uehendis tormentorum curribus uſitata, Brigantium recta  
 Eburodunumq; perducit, qua Carolum octauum, qui pri-  
 mus in Italiã currulia tormenta tranſuexit, proſectum  
 memorauimus. Sed per eaſdem Coctias alia horrenda  
 uifu

uisu transituq; aspera itinera pluribus in locis patent. Illud in primis admirationis habet plurimum, quo iuxta Vesulum perpetuo specu perfossi montis, in Salassos hodie penetratur. Vesulus Eridani pater nomen adhuc retinet, & ab ipso aquarum diuortio, montium editissimus existimatur. Coctijs Argentariae alpes iunguntur, apud antiquos parum celebratae, quod propter angustias & frequentes uiarum asperitates, sarcinarijs iumentis, ne dum curribus uix pateant. Argentarijs uulgo in prouinciam transmittunt, qui per Auenionem atq; Narbonam in Hispanias proficiscuntur. Secundum eas aliae Alpes occurrunt, quae Maritimae nuncupantur: et eae ab Varro flumine duplici uia initium sumunt. Alteris per montana & colles Tendae, angustis praecisisq; tramitibus in Ingaunos & Epantheros Ligures supra Scuanum oppidum descendimus, alteris secundum oram maritimam ab Nicæa, Monæco, Albintimilia, Albingauno, Vadis, Saounaq; Genuam Liguria caput peruenitur. Sed quum una omnium Coctiae, & secundum eas Poeninae traducendis exercitibus faciliores uiderentur, & propterea Heluetios earum quasq; fauces ab Italia firmissimis praesidijs obtinere iudicarent, Triuultius exploratam ab se diu antea noui inusitataq; transitu rationem, quod ignaris & inopinamibus hostibus copiae ducerentur, explicauit. Egerat industrius senex Eburoduni multos menses, post acceptam ac Nouariam cladem: & adhibitis locorum peritissimis, ualles montesq; Alpium magno labore & incredibili studio collustrarat, etiam tunc animo agitans, quibus maxime itineribus ducendus exercitus foret, si ab Ludouico iterum armis Italia peteretur. Quando Galli, Heluetio bello, Subalpinis oppidis omnibus, quae ad angustias claustraq; Alpium ab Italia perti-

## PAULI IOVII HIST.

nebant, atque ipsius etiam hasta Colonia, quæ omni tempo-  
 re descendentes exercitus recepisset, rebusq; omnibus recre-  
 asset, possessione decessissent. Id iter ab coctijs initium capie-  
 bat, mox relicto ad leuam Genebræ monte, uasto horribi-  
 liq; deflexu per abruptas uales montesq; asperos ad Argen-  
 tarias extendebatur: quæ uia quum ardua in primis, & in-  
 superabilis pluribus uideretur, appareretq; Triuultium ni-  
 mio studio repetendæ patriæ euectum, ardentius atque auda-  
 cius quàm rerum usus, aut militaris disciplina postularent,  
 cunctas belli atque itineris asperitates esse tentaturum,  
 Franciscus exercitum ullis angustijs minime committendum  
 existimans, Lotrechium atque Nauarrum auctoritate in-  
 genioq; præstantes præmisit, qui singulas difficultates inspi-  
 cerent, explorarentq; an uiribus humanis cessura essent, quæ  
 à Triuultio proponebantur: tametsi propter egregiam fi-  
 dem multis cognitam periculis, & singularem rerum expe-  
 rientiam, summa dictis eius atque consilijs fides inerat, & ab  
 eo uiro qui ætatis honore, & rei bellicæ gloria longè alios  
 duces anteibat, de re tanta nihil frustra confirmari omnes iu-  
 dicarent. Lotrechius et Nauarrus aliquot diebus in Alpibus  
 consumptis, & perspectis notatisq; locorum iniquitatibus,  
 regi renunciarunt egregiè ac diligenter omnia à Triuultio  
 fuisse animaduersa, & ab se quoque certis in locis nonnulla  
 ad euincendas naturæ asperitates remedia excogitata: esse ta-  
 men ubique pedestria concisaq; itinera, quæ nisi magno cum  
 labore atque periculo patefieri non possent. Triuultius pri-  
 mum se munitorem itineris atq; agminis ducem professus:  
 per hæc, inquit, asperat tibi rex fortiter entendum, ut quum  
 enea tormëta transuexeris. Annibale maior appareas: trās-  
 misit ille munitioribus iugis sine tormentis, sine curribus, ali-  
 quanto

quanto maiore cum laude quam postea cum Romanis acie decertarit. Nam qui Alpes transcendere ausi non fuissent, eum postea uictorem commissis æquo loco prelijs superare didicerunt. Ita summo regis studio, quum nihil laboris atque periculi milites recusarent, à Gratianopoli Vigiliam, atque inde iunctis omnibus copijs Muram, & recto itinere Eburodunum exercitus ductus. Eburoduno profecti Borbonius atque Triuultius qui primo agmini præerant, quinque dierum commeatu prouiso, ad sancti Clementis, atque Crispini alpinos uicos contenderunt. Inde sub læuam relicto Genebra monte, Druentiam flumen exercitus uado traiecit: positisque ad Gilestram castris, et mox Aualtio monte superato, ad sancti Pauli rupem magno labore peruentum. Eam, quòd abrupta inaccessibleisque erat, incredibili celeritate ferro pandunt, tormentaque traducunt. Sequenti die in Barcelioniam uallem descensum. Ea in gentibus saxis et iniquissimis collibus interpositis impedimenta, magnam rerum desperationem afferebat. Nam lignonibus dolabrisque profcindere saxeos colles, ex equare crepidines, et quum nullus per derupta equorum usus foret, subiectis militum humeris tormenta transuehere necesse erat. Interdum ea magnis funibus ad scopulos & stipites arborum circumductis, suspendebantur, & uersatilibus machinis ergatarum, et troclearum artificio, de rupe ad rupem, intercedentibus profundissimis uallibus, cum summa admiratione totius exercitus traherentur. Nonnullis etiam in locis nudarum rupium latera, ubi uia deerat, suppositis tibicinibus, interiectisque longurijs muniebant, et insuper iniectis stratisque uirgultorum fascibus, cespitibus, ac glebis pensiles uias transeuntibus curribus parabant. Ita mira fabricorum industria, & singulari militum labore, in Argentariam uallem cum

PAULI IOVII HISTOR.

*Et exercitus impedimenta traduxerunt. Sequenti die à Larchia Ebergiaq; oppidis, in Asturia uallem uniuersum agmen se demisit, ubi Pedeporcium montem, qui median uallem intersectabat, & iter reddebat iniquissimum, pari munitorum artificio, fractis atq; reuulsis inmanibus petris, domuerunt & exequarunt. Ab Pedeportio Auennam, atque inde Sambucum, & mox ad Italiae fauces, tribus tantum diebus eo itinere consumptis, incolumis exercitus peruenit, tanta quidem foelicitate, ut Sedunensis & Prosper perspicacissimi alioqui homines, qui frustra Poeninas Coctiasq; obseruabant, in quarum culminibus Gallos equites ab rege, ut speciem transaturi exercitus facerent, de industria transmissos uiderant, de transitu Gallorum nihil toto eo triduo cognouerint. Id uerò eos sefellit, quod tormenta, in quibus maximam uictoriae partem Gallos collocare intelligebant, nullis inusitatis alpibus traduci posse crediderant, ut qui uterentur quoti die infideli opera Alpinarum gentium, quæ uno consensu cogente natura Gallicis rebus fauebant, & permotæ Heluetiorum atque equitum iniurijs, propensissima uoluntate Gallorum aduentum operiebantur, postquam Carolus Sabaudius eorum princeps Francisci regis auunculus, ab Heluetiorum & Sfortianorum amicitia discessisset. Prosper ad primum transgressi hostis rumorem Carmagnola profectus, ubi plures dies egerat, præmissis Villafrancam equitibus, ad Sedunensem pergit, qui tum Penaroli cum ualida parte exercitus constiterat. Decernitur in consilio cogendos esse in unum omnes Heluetios, & ad hostes priusquam ex labore se reficiant, properè contendendum. Prosper eo consilio, ut frequenti die equitatum in castra perduceret, ex colloquio discedit, postulatq; cohortem unam præsidij sui*

causa, quam quum ab asperis hominibus impetrare non posset, nihilominus de prima uigilia Villafrancam proficiscitur. Interim Gallis, quorum unum expeditum agmen per Agnelli collem, imprudente uel commiute Ioachimo angustiarum custode, supra Cunium oppidum processerat, per ipsos hostium hospites summa perfidia defertur: Prosperum Carnagnola digressum, Villafrancam equites, præmississe, diuisas esse Heluetiorum copias, & Sedunensem Penaroli cum parte exercitus considerare: proinde rei bene gerende occasionem præberi, si ad eos opprimendos, qui nihil tale suspicentur, cum ualida manu equitum Villafrancã peruolarent. Galli, quum à pluribus simul speculatoribus de eadem re uno tempore docerentur, consilium statim probant, & Paliciæ, Obegnino, Imbercurtio, Sanserrio, Baiardoq; promptissimis ducibus negotium committunt. U Assumptis amplius mille delectis equitibus, usi hisdem itineris ducibus, qui rem indicarant, citato cursu quindecim milia passuum conficiunt: captisq; in itinere hostium exploratoribus, Padum, qua incole facilem fluminis alueum monstrarunt, uado superant, & patentibus portis nullo prohibente, Villafrancam ingrediuntur. Prosper enim paulò ante per præconem pronounciari iusserat, ut instratis equis, cibum cuncti caperent, atque omnia ad profectiõnem prepararent. Se etenim quum pransus foret, ad Heluetios esse progressurum. Quo casu milites solutis stationibus ad colligenda uasa in contubernia se contulerant, eo etiam maiore fiducia, quod Gallos re-pentina incurfione nihil ausuros, & si auderent, se interim Padi munimento, dum arma expedirentur, tutissimos fore existimabant. Interim momento temporis, fors ipsa insignem calamitatem Prospero intulit, quæ Gallis parata erat, si ipse



PAULI IOVII HISTOR.

ante uel minimo temporis spatio aduentum eorum presentiffisset. Nam Padus praeruptas atq; difficiles, ubi transierant, ripas habebat: neq; Gallos, qui sese plurimum agitatiss atque anhelantibus equis aduenerant, recenti atque fortissimæ alæ equitum pares futuros, in tanta praesertim propinquitate castrorum, credendum erat. Galli uno impetu completis omnibus oppidi regionibus, Prosperum ceterosq; equites domi obsident. Ille quum frustra omnia praetentasset, desperatis effugijs, hostes de nomine ducum ab editiore loco percunctatus, Obegnino se deditit, quod cum eo ex deditioe Brixiae, et Eberardi patru memoria aliqua beniuolentiæ necessitudines intercedebant. Interim Hieronymus Penna equitū praefectus, qui expeditius se ac suos profectioe accinxerat, per auersam ab hoste portam erumpendo, in proxima Heluetiorum castra cum parte equitum se proripuit. Nonnulli alij, et in his Ioannes Barchalonius sagittariorum praefectus, unus è tredecim, quos ex prouocatione cum tredecim Gallis pugnae tradidimus, serò idem tentantes, frustra illatis acceptisq; uulneribus, necessariam deditioem fecerunt, & praeter quingētos utriusq; armaturæ equites, Caesar Feramusca, Petrus Marganus, & P. Antonius Carrasa Polycastri comitis filius, uiri illustres. Audiui ego postea Prosperum Caesaris Feramuscae culpa se tantam cladem accepisse seuerè conquerentem quod ille portas praesidio tueri iussus, dum nihil tale timeret, imprudentissimè adaperas ualuas ingressuris hostibus reliquisset, Galli collecta raptim praeda, abductisq; captiuis, maiore aliquanto celeritate quàm uenerant, propter hostium propinquitatem traiecto rursus Pado in pacatum concesserunt. Hinc uidere licuit, quantum Fortuna nimium potens humanis rebus illudat, quum puncto temporis lethali

lethali uulnere inflicto, Maximiliani partes euerterit, ac simul optimi ducis, qui prudentia, Imperatorijsq; artibus nemini inferior putabatur, obscurata rerum antegestiarum laude, auctoritatem omnem & dignitatem foedissimo casu macularit. Quo etiam nuncio Leo Pontifex, quod summam spem in eius uiri uirtute collocasset, & mox Heluetios dissentire inter se, & de pace agere cognouisset, eo consternationis adductus est, ut desperatis propè rebus, ac impellentibus maxime familiaribus, qui Gallicæ factionis erant, Cynthium Turtinuum ad tractandam pacem cum mandatis ad Franciscum transmiserit, Bononiamq; quod eo rerum motu seditionis ciuium ingenijs diffideret, exulibus Bentiuolis reddere cogitarit. Cessissetq; ea urbs ulro impotentibus dominis, nisi Iulius Medices qui tum legatus aderat, confirmato pontifice, singulari constantia dubijs rebus occurrisset. Vix dum oppido Galli cum captiuis excesserant, quum expeditæ Heluetiorum cohortes superuenerunt, qui dolore simul atq; iracundia concitati oppidum, inuentis adhuc nonnullis equitibus qui latitabant, hostiliter diripuerunt. Sedunensis uno tempore sine duce, sine equitatu, sine pecunijs, unde nutantibus Heluetijs stipendia soluerentur, quum de Francisci aduentu certius cognosceret, cogere exercitum, & infide gentis finibus excedere constituit: præsertim quod per Albertum Petram, & Ioannem Despachium Bernesium duces, quorum in Gallos semper singulare studium extiterat, & per ipsos Allobroges ab Carolo eorum duce submissos, sollicitari multitudinè aduersum se, ac deprauari non obscure intelligebat. Albertum Petram superioribus diebus propter eandem causam custodia tradiderat, moxq; optimorum precibus expugnatus, uinculis exemerat. Vnde ille ex aduentu Gallorum spiritus su-

PAULI IOVII HISTOR.

mens, ueluti iniuriam uindicaturus, quibuscunq; poterat artibus institutum opus perficere conabatur. Resq; eo deducta erat, ut iam nonnulli procacius stipendiū flagitantes, in Cardinalem arma conuerterent, quod pecuniæ quæ ab Hispano rege promissæ, deferri in castra debuerant, cunctante apud Mediolanum Didaco Aquila legato, ad constitutam diem nõ representarētur. Sed Galeacius Vicecomes antiquæ apud Heluetios authoritatis, & Iacobus Gambarus à pontifice pecuniâ missus, interuentu meliorum hæc initia seditionis oppresserunt. Eo modo fluctuantes Heluetios Borbonius atq; Triuultius, quum animis ac uiribus disiunctos per partes opprimi posse iudicaret, ira uel altera acie facile deleuissent, nisi eos Franciscus, qui se absente tentari certaminis fortunam nolebat, ne id facerent, aut rem in aliquod pugnae discrimen adducerent, multum antea monuisset. Ipse interea superatis Alpibus cum tota mole copiarū in primos Italiae campos descendit: lustrauitq; exercitum incredibili omnium alacritate, quod omnia sibi opinione hostium expeditione contigissent. Ea die Prosperum per instructas acies ad se perductum, ut præsentem fortunam æquo animo toleraret, ac optime de se speraret, humanissimis uerbis hortatus est, equitesq; eius gratis missos fecit præter paucos clarioris nominis. Postero autem die propius hostes mouit castra tentauitq; per idoneos homines, quos Carolus Sabaudius ex Allobrogibus ueteris amicitia iure ad Heluetios mittebat, an ullis conditionibus flecti possent, qui pacis nomen oderant, & tunc maxime Bernensium conatibus aduersarentur. Sed quum omnium propè animis & certa spe pontificiæ pecuniæ et Cardinalis cõcionibus, atq; ipso etiam incõstantia pudore cõfirmatis, ea mēs exercitus foret, ut exitabile

tiabile bellum, quam equissimam pacem malle uiderentur, Allobroges rebus infectis discesserunt. Heluetij tamen duces, qui spem pacis eo tempore minime tollendam existimabant, ut fallendo, more spatium interponeret, quo se ab iniquissimis locis explicarent, paucorum dierum inducias postularunt, affirmantes se itinera Vercellas esse concessuros, atque ibi libertissimis animis audita iterum legatione, ad frequentius concilium de pacis conditionibus relatuos. Franciscus, tametsi bellicae occasionis rationem certis atque breuissimis rerum temporum momentis constare intelligebat, nihilominus, quod tum nihil praelij fortunae committendum iudicaret, bellum speraret sine suorum uulnere se confecturum, inducias concessit: Lotrechium tamen cum ualida equitum manu, qui neminem ab toto agmine discedere, uel impune uagari ostentata nonnunquam acie pateretur, abeuntes insequi iussit. Illi suo more conseruatis ordinibus quum proficiscerentur, secundo die Cliuastum nobile oppidum ex itinere petierunt, quod oppidanos sibi amicos fore existimantes, sese eorum copijs et comaeatu recreare cogitabant. Verum Cliuastenses, siue metu ne oppidum diriperetur, si tantam multitudinem recepissent, siue adducti Gallorum amicitia, ut qui magnopere uiribus suis ac moenibus confidebant, portas clauserunt, nonnullis qui paulo ante comaeatus petendi gratia ingressi fuerant, crudeliter interfectis, tanta quidem arrogancia, ut quosdam ad colloquium incaute portis succedentes sagittis e muro confingerent. Quibus iniurijs per moti Heluetij, prolatis continuo tormentis, et deiectione muri, parte, celeriter per ruinas irrumpunt, et supra sexcentos qui in armis erant uno impetu trucidant, domosque diripiunt. Nec ira perciti tectis pepercissent, nisi Sedunensis, Galeacio

PAULI IOVII HISTOR.

& Gambaro de precantibus, simulato aduētū Gallorū quod  
 forte eorum antecursores in conspectū se dederant, pulsari  
 repente tympana, & ad arma cōclamari iussisset. Quo casu  
 quum sese omnes ad propositū signum ut in acie prodirent,  
 portis eiecissent, paulo post & cede oppidanorum, & mul-  
 titudine præde atq; ipso etiā temporis spatio sedatis animis,  
 ædificia cōseruarunt. Itaq; rerum omnium abundātia recrea-  
 to exercitu, è Cluasio Eporediam, mox Vercellas, quo in lo-  
 co ne legatos ardirent, uti pepigerant, exiguo tempore com-  
 morati, rectā Nouariam cōtenderunt. At postquam Noua-  
 riam uentū, Heluetij qui iam animo descuerant, nec ullo  
 aut loci aut temporis interu. illo, quo minus ab seipsis ac fe-  
 deratis regibus deficerēt, sanari potuerant, secessione facta  
 miscere cuncta strepitu armorum, partium principibus ma-  
 ledicere, et cardinali, ni continuò pecuniæ proferrentur, ex-  
 itium cōminari cœperunt. Nec in tanta rerum omnium de-  
 formitate presentanea remedia comparari poterāt, queis fu-  
 ror atq; impetus concitata multitudinis leniretur, quū uno  
 tempore Aquila Hispanus, nec paratam pecuniam Mediola-  
 no transmitteret, nec ipse, metu uel dolo incertum, multis  
 accitus literis in castra ueniret: & magis ac magis instanti-  
 bus etiam tum allobrogibus, cēturiones uexilliferos et uul-  
 gus militū Albertus atq; Despachius ad defectionem apertis-  
 sime sollicitarent. Quamobrem cardinalis, ut dissidentis atq;  
 infide multitudinis tempestatem effugeret, in arcem se rece-  
 pit. Nec multo post Albertus atq; Despachius sublati uexil-  
 lis, cum amplius hominum decem milibus domum, superato  
 Verbano, per Domossulam abierunt. Ceteri, qui uel fide  
 præstabant, uel propter insigne odium aduersus Gallos, ut  
 tantum dedecus admitterent, adduci nō poterant, Romā &

Anglardum, homines è Tigurino pago spectate uirtutis, duces sibi delegerunt, apud quos decedende iam metu cardinalis uerba fecit, docuitq; nihil salubrius exercitui accidere potuisse, quam ut illi discipline & decoris patrij euersores, qui empti pecunia cæteros deprauare, & foedissima contagione inquinare conati essent, ut bellum pro dignitate Heluetij nominis necessario susceptum impedirent, ipsis tandem castris Deorum manere decessissent. Nec discessu eorū multum animo permouerentur, aut de uictoria magnoperè dubitarent: adesse enim milites fide uirtuteq; præstantes, uenturosq; alios iubentibus oppidorum magistratibus, quorū uiribus sustinere Gallorum uim facile possint, modo consentiant, & secum optima ratione gerere bellum uelint. Esse ad utramq; Padi ripā cum duobus exercitibus Laurentium Medicem, Raimundumq; Cardonium, paratos iungere sociaria arma, & bellum communi consilio administrare, si propius accedere Heluetias legiones audierint: proinde uideri sibi facile atq; optimū factu fore, si motis castris continuo Ticinum amicam urbem, & rerū omnium copia abundantem, paruo itineris flexu contenderent, atq; inde Laudem Pompeiam ad sociales exercitus progredierentur, uel eos si ita oporteret mutua securitate uenientes exciperent. Vnam eam superesse spem & certissimam uincendi rationem, quando eo breui expeditoq; itinere, facile iuncturi in unū uires, ac simul Venetos qui iam peruenissent in Cremensem agrū, à Gallis interclusuri essent. Sed quum Ronna & Anglardus impetu ac libidine militum regerentur magis quam alijs imperarent, & plures Mediolanum rerum caput petendum, eamq; urbem incredibili copia commeatus natura ac munitione loci, armorū apparatu, & egregijs ciuium stu-

PAULI IOVII HISTOR.

dijs maximè opportunam belli sedem, deligendam dicerent, nec saluberrima Cardinalis consilia sanis auribus acciperentur, alijs alia uolentibus, rem ipsam ad seditionem penè deduxerunt. Fit enim sepe numero superbia atq; emulatione, communi uitio ducū, ut pleriq; in ipsis consilijs ea maximè nolint, quæ alios summis etiã rationibus uelle cognouerint, ultroq; aspera & duriora subeant, ne aliena consilia sequi uideantur. Erant enim multi adhuc in exercitu Gallicæ factionis, qui sicuti cardinalem ducem, uultumq; eius & singularem industriã horrebant, ita ex occulto turbare omnia, atq; omnem eius auctoritatem conuellere conabantur. At cardinalis, qui arrogantiæ ducum & leuitati multitudinis resistere se non posse, sine maximo uitæ discrimine prouidebat, cum fida magis quam ualida Heluetiorū manu, Ticinum atq; inde Placentiã, ut cunctantes exercitus ad capeffendum bellū hortaretur, profectus est. Galeacius uerò Vicecomes, & Gambarus qui & presenti pontificis pecunia, quæ iam adducta erat, & spe maioris summæ, & frequentissimis concionibus, ut optimos in officio continerent, & ceterorum mentes sanarēt, plurimū cōtendebant, in castris remanserunt: eo quidem animo, ut si quid durius sibi accideret, id quam æquissimè perferrent: ne Heluetij qui aliquo adhuc pudore & infamiæ metu tenebantur, relictos se desperatis rebus atq; desertos dicerent, ob idq; exoptatam discedendi occasionem arripere posse uiderentur. Cardinale Nouaria profecto, Ronna & Anglardus motis castris iuxta Verbanum lacum iter facere cœperunt: ac simul eodem tēpore Galli, quibus omnia tanquam uictoribus cesserant, Nouariam aduolarunt. Octauianus enim Fregosius paulò ante quā ad se per maritimas alpes Emarus Pricus cum equitibus Gallis

per.

peruenisset, ipseque supra quatuor milia Ligurum armasset, Alexandria, Derthona, multisque oppidis Sfortianos adiuuantibus Guelphis, expulerat. Ceterum Franciscus aduentibus sese Nouariensibus, arcem primo aduentu obtinere non potuit, quanquam nec à forti custode, nec satis firmo presidio teneretur. Enimuerò latissimis circumfossis, & præalto undique muro cinctam, omnem oppugnationis impetum tolerantiam apparebat. Verùm Franciscus, qui hostile quicquã aut inuictum in tergo relinquere, neque ualidissimi exercitus, neque sua dignitatis esse statuebat, Nauarro, qui oppugnaret, negotium dedit. Ille noui decoris cupidus, subuectis continuo tormentis, constitutisque operibus, tanta uis oppugnare adortus est, ut paucis horis, & summa murorum, & celsiora propugnacula, labefactatis etiam turribus cum ingenti ruinae fragore deiecerit. Quo terrore adductus imbellis præfectus, sese atque arcem cum presidio dedit. Interea Heluetij, qui Ronnam et Anglardum sequebantur, Varesium perueniunt, atque inde, quum toto eo itinere de foederatis principibus oblocuti, Gambaro pontificiam pecuniam ademissent, ac tunc maxime, quod Albertus Petra atque Despachius fecissent, se facturos minarentur, Galaratum prope omnes contenderunt, quò iam uenerant Carolus Subaudius, Lotrechius, & complures togati uiri, ut iterum de pace agerent, conditionesque conscriberent. Adeò incertis animis leuis & factiosa multitudo huc atque illuc, modò spe auri, modò decoris & gloriæ cupidine ferebatur, ut quum eadem utriusque promitterent, uno tempore instabiles simul eos ac constantissimos existimares. Galeacius & Gambarus in ea rerum perturbatione, quum fidissimos quosque militum & duces adirent, ac obtestando orandoque deprecarentur, ne turbidos ac



deprauatos sequi uellent, ne socios principes prodere, ne tam  
tam publico nomini Heluetio ignominiã conflare, tantumq;  
Gallis hostibus afferre beneficium properarent, duces sese  
ea ratione ad Gallos proficisci respondabant, ut agendo inter  
pellandoq; omnem perficiendi negotij rationem euerterent,  
& diductis persuasisq; militibus ab Gallorum amicitia om-  
nium animos alienaret. Sed longè aliter euenit. Nam primis  
statim congressibus & pacis leges dederunt, & nonnulli,  
qui ordines ducebant pecuniã acceperunt, & se perpetuos  
Gallorum socios fore si Franciscus ea rata ac firma haberet,  
quæ legati pepigissent, iureiurando confirmarunt. Postula-  
bant ut sibi pro munere præsentis pacis & ex fœdere quod  
ad Diuionum cum Tramulio percussissent septingenta milia  
aureorũ nummum tribus pensionibus soluerentur. Aliq;  
præterea multa arroganter ac superbe admodum petebant,  
ut ad lacerandam omnem Gallorum existimationem, poton-  
tissimum regem tributarium & Galliam uectigalem facere  
uiderentur. Quibus omnibus postulatis Galli subscriben-  
dum putarunt, quod neq; pecunijs parsuri neque aliquid  
ex iniquissimis etiam conditionibus detrectaturi erant, mo-  
dò bellum sine suo atq; hostium cruore conficerent, & sibi  
tandem indomitam gentem tractantem continuè arma, &  
Insubrum lacerantem imminentem fœderis ac firmissimæ pa-  
cis uinculo sociarent. Sunt qui Heluetios arbitrarentur per  
uicacibus animis occasionem prælij circumspicientes, calli-  
dè ac simulanter de fœdere cum Gallis egisse, ut specie pacis  
proposita clarissimos uiros cum ala Gallorum equitum cir-  
cumuenirent & oprimerent, regiamq; pecuniã quæ ad con-  
dictam diem è castris afferebatur interciperent, quod fortas-  
se pro falso reliquendum putaremus, nisi qui talia memorie  
pro

produnt intima hominum consilia non facile coniecturis, sed  
 ipsis rerum successibus metirentur. Sed dum Helvetij ad  
 Galaratum rebus compositis, de pace conditionibusq; deli-  
 berant, Rostius summæ apud Heluetios authoritatis atque  
 amplitudinis cū viginti cohortibus è Belinzona superuenit.  
 Cuius uiri aduentu commutatis multorum uoluntatibus,  
 ac pluribus metu consternatis qui Gallos oderant, spem om-  
 nem in itæ iam pacis corruerunt. Rostium enim paulò an-  
 te 12. pagorum principes ad famam disidentis exercitus  
 quodd summum Tigurino in pago magistratum gerebat, &  
 cæteris ducibus sicuti atate ita bellicarum rerū peritia præ-  
 stare dicebatur, omnibus suffragijs totius gentis Imperato-  
 rem declararant. Is ut seditiosorum conatus effringeret, &  
 præsentibus malis mederetur, castigando, adhortando, ter-  
 rendoq; omnibus consilij modis, & præsentī quoque seueri-  
 tate non deerat. Ergo pudore ac metu conuersis omnium  
 animis, quum pro pace bellum armaq; deposcerent, Rostius  
 Gambaro pecuniam reddit, milites sacramentum apud se di-  
 cere iubet, & quū opportunè etiam Aquila Hispanus cum  
 pecunia superuenisset, persoluto omnibus stipendio, motisq;  
 eo die castris ut Mediolanum rectà duceret per Comensent  
 agrum Modoëtiā contendit. Interea Sedunensis apud Pla-  
 centiam quum de Rostij aduentu cognouisset, ut qui propè  
 euersis ac desperatis rebus noua spe auctus nihil amplius de-  
 belli cœntu timere uidebatur, adhortari pontificios duces  
 cœpit ut Padum transirent, & secum ad uictoriam profici-  
 scerentur. Simili quoque ratione Cardonium, qui ad con-  
 fluentes Padi atque Abduæ castra posuerat, obsecrare atq;  
 obtestari, maturaret Laudem proficisci, ac uires suas cum  
 pontificijs Heluetijsq; coniungere properaret. Præberi

PAULI IOVII HISTOR.

à Dijs immortalibus pulcherrimam incomparabilis uictoriae occasionem, qua si Rhauennatis cladis memoriã retineret, & quales rerum exitus in Italia, uincente Gallo, futuri essent, animo metiretur, proprio decori ac laudi, desiderio sui regis, totiusq; exercitus existimationi, ac gloriae satisfacere posset. Ille quum se neq; uoluntate, neq; consilio, neq; uiribus fœderatis principibus defuturum, & ad præstitutam diem uniuersas copias adducturũ in Laudensium fines proficeretur, Sedunensis nihil cunctandum ratus, à Goro Pistoriense procuratore pontificis septem utriusq; armaturæ equitum turmas presidij sui causa accipit: & traiecto Pado, Laudem contendit. Duces erant Mutius Columna, Ludouicus Pitiliani filius, Guido Rangonus, Nicolaus Balneus, Raynerius Saxetanus, Ludouicus Firmanus, & Ramaldus Ticinensis, qui magnum in re militari usum habebant. Sed quũ Laudem peruenissent, & Cardonius, ut constitutum erat, ad iungendas uires minimè processisset, quod Heluetios de pace agere, & Gallos, qui iam in Mediolanensem agrum peruenerant, paucarum horarum itinere à Laude abesse cognouerat, Sedunensis ira simul ac timore percussus, ut ad Heluetios celerrimè se conferret, Laude excessit. Quo casu, nonnulli equites, quorũ duces erant Rangonus, Raynerius, atq; Firmanus, siue metu, siue alio honestiore consilio, ut postea perfecto bello cognitũ est, se ulterius progressuro: negauerũt, neq; quũ cardinalis, ne tantum flagitij admitterent, ne se in tanta propinquitate castrorũ insensibilis hostibus proderent, obnixè deprecaretur, & postremo iure legationis atq; Imperij iuberet, minasq; adderet, quin Placentiam redirent, flecti potuerunt. Mutius & cæteri, qui periculosum consiliũ, quod laudem & gloriam, quàm

tutum

tutum, quod ignominiam afferre posset, sequi malebant, Sedunensem secuti, Modoetiam ad Heluetios peruenerunt. At Franciscus, tametsi spē pacis, nullo industriæ uel liberalitatis officio intermisso, minimè sibi abiiciendam existimabat, tamen ne aliquod interea per incuriam incommodum acciperetur, quòd dimissa spē belli plerunq; languescere ducum animi & milites mentione pacis negligētiores fieri cōsueverint, è Ticinensi in Laudensem agrum deflexit, mediòq; itinere secundum publicam uiam Mediolanum inter ac Melegnanum oppidum, quod Lambro amne alluitur, castra constituit, ipso rerum ordine, atq; amplitudine copiarum admirabiliora, maioraq; quàm quisquam atate nostra conspexerit. Id pluribus de causis fecit, ut ab inani ac peruastato agro in fertilissimas atq; intactas Mediolanensium possessiones transfret, ac simul Hispanos ac pontificios ab Heluetijs interclusos, summo discrimine proposito, transitu prohiberet, Liuianumq; cum copijs aduentantem ipsa castrorum propinquitate firmiorem redderet, & ab imminente Cardonio tueretur. Quo uno consilio Franciscus maximum omnibus rebus suis, et summe demum uictorie momentum attulit. His de causis Cardonius magnopere timens, ne subito Liuiani Gallorūq; aduentu in patentibus campis opprimeretur, ad Padum retrocessit & ponte, quem antea nauibus constituerat, cuiq; Ioannem Dorbinum ad tutelam cum cohorte & tormentis præfecerat, amnem contra Placentiam traiecit. Erat Placentiæ Laurentius Medices cum cohortibus quatuordecim Italici generis, & tribus milibus equitum. Cardonio autè aderant oëdingenti cataphracti, & leuis armatura equites mille, cum legione una ueterana, cuius singuli milites fortibus factis clari, & præda diuites, tum spectata uirtute, tum splendido

PAULI IOVII HISTOR.

armorum cultu, centurionibus suis, ac ducibus æquabantur. Iunctis eo modo duobus exercitibus, quum et tuto transmit-  
 tit Padus, et ad Heluetios facile perueniri posse omnium opi-  
 nione confirmaretur appareretq; Laurëtio atq; Cardonio,  
 si progredierentur, uel ingentis uictoriæ, uel eximia laudis  
 occasionem esse propositam, in consilium adhibitis militum  
 præfectis descendunt. Adducuntur utrinque aliqua in excu-  
 sationem, quòd non adhibita maiore diligentia & celeritate  
 sese cum Heluetijs ab initio coniunxissent, cuius rei culpa,  
 & cunctatione ducum potius quàm angustia temporis aut  
 itinerũ difficultate, nonnullæ occasiones prætermisæ uide-  
 bantur: Heluetios tamen omnes incusare, quòd ignaris soci-  
 deratorum exercitibus, cum communi hoste de pace priua-  
 tim egerint, uel id se facturos fideli quantumlibet consilio  
 simularint, quando eius facti sinistra fama periculoſoq; ru-  
 more, territis iam omnium mentibus grauissimæ belli metu,  
 suæ ueteris inconstantia suspicionem iniēcissent, paratos ta-  
 men sese Hispani æque ac pontificij profiterentur transire  
 annem: & si res poscat, nullam uel iniquam certaminis  
 conditionem detractare, modò ex fide egregiaq; omnium uo-  
 luntate bellum geratur. Sed quum inter se uerbis tantum  
 agerent, re uera autem alter alterius uoluntati magnopere  
 diffideret, qui nam primum castra flumen traducere uellet,  
 reperiri non poterat. Laurentius tametsi quæ partes officij  
 sui ac dignitatis essent, & quæ mens, quæue consilia patrii  
 pontificis forent, memoria retinebat, in difficili tamen nego-  
 tio aliter sibi consulendum arbitrabatur: utpote qui Ferdi-  
 nandum regem exemplo superiorum temporum cum Gallo  
 clandestinis consilijs consensisse credebat, & proinde Cardo-  
 nium, qui paulò ante ad Heluetios deflectere noluisse, nihil  
 egre-

egregium pro alieno cōmodo facturum putaret. Ex aduerso  
 quoque graui suspensus cura uerebatur, ne Heluetij, qui flu-  
 ctuando discrepandoq; plurima defectionis signa praeuis-  
 sent, pro uetere eorum natura, ac pristinis moribus, in me-  
 dio ardore belli lethale aliquod uulnus foederatis inferrent.  
 Cardonius quoque eadem de Laurentio suspicari, & maxi-  
 mē ob omnibus perfidiam timere, quod audiret ab eo nun-  
 cios clam ad regem in castra transmissos, & legatum ponti-  
 ficis Ludouicum Canosium Tricaricensem episcopum, qui  
 regis in castris remansisset, de compositione agere, constan-  
 tissimeq; polliceri pontificis copias nihil interea Gallis esse  
 nocituras. Et forte (quod eius rei suspicionem adauxit) paulò  
 ante Hispani equites Cynthium Tiburtem e regis castris re-  
 deuntem interceperant, quem ad componendas res à ponti-  
 ficis transmissum docuimus. Quibus de causis facile fiebat, ut  
 uterque cautius atque suspensius sibi agendū iudicaret. Car-  
 donius, ne uel minimo accepto incommodo, Neapolitanum  
 regnum, ac salutem suam, quae incolumi exercitu nullum di-  
 scrimen subire poterat, praelij et Fortune casibus obieceret,  
 Laurentius, ne potentissimum hostem, quem nunquam op-  
 pugnandum censuisset, in ipso uictoriae cursu, uana atque  
 intempestiua offensione laceffere atque irritare uideretur,  
 à quo, si in citeriore Padi ripa subsisteret, a quiores condi-  
 tiones expectandas esse putabat, quam ab Heluetijs, si pari  
 etiam periculo iunctis uiribus uictoria potiretur: quod  
 intelligeret eos, si uictores euaderent, Parmam atque Pla-  
 centiam, sicuti insolenter, paulò ante postulassent, continuo  
 armis esse repetituros. Ita quum malis artibus omnes bel-  
 lum administrarent, cuncta facilia atque expedita ad uicto-  
 riam Gallo praeuerunt. Paulò post tamen siue aliqua

PAULI IOVII HISTOR.

*simulatione, siue commutatis ratione uoluntatibus, ad spem  
 imminentis uictoriæ conuersi, quòd precibus Maximiliani,  
 & Sedunenſis obteſtationibus, Heluetiorumq; omnium hor  
 tatu, quotidie per nuncios ac literas euocarentur, Padum  
 transire cœperunt. Cardonius ut qui anni proximior erat,  
 primus in aduersam ripam tetendit. Laurentius quod pa  
 rum lucis supererat, edixit, ut de quarta uigilia omnes co  
 piæ ad ripam conuenirent, atque inalbescente cœlo traije  
 rent. Sed fortè accidit, ut eo tempore Hyſpani equites, quos  
 ſpeculatum miſſos Cardonius excurrere iuſſerat in Borbonij  
 turmam per eandem causam prædandi explorandiq; per  
 agros uagantem inciderent: commiſſoq; certamine Gallo  
 rum præfectum cum pluribus equitibus captum in castra  
 perducerent: à quibus cognitum eſt regem Laudensi uia mu  
 nitis caſtris conſediſſe, Liuianum cum exercitu ad Abduam  
 progreſſum, Heluetios accepta pecunia, ultro citroq; miſiſ  
 de pace oratoribus, ſequenti die cõditionibus ſubſcripturos,  
 & ualidam Gallorum ad Germanorum manum Palicia dia  
 ce caſtris digreſſam, Circumpadanis campis appropinqua  
 re. Quibus uulgatis ſermonibus, Hyſpani qui ſumma alacri  
 tate paulò ante tranſierant, inordinati ac tumultuantes, non  
 expectato Imperio, repente collectis uasiſ pontem conſcen  
 derunt: neq; prius feſtinandi traijeiendiq; ſinis factus eſt, ta  
 metſi Piſcarius increpando componere ordines conaretur,  
 quàm in aduersam ripam priuſquam pontificij Placentia  
 egrederentur, cõſliterunt. Ita uana ſuſpicio à falſo timore na  
 ta, quum Dij ac fortuna manifeſtè à Gallis ſtarent, ſupremos  
 heſitantium conatus, & ſera conſilia diſcuſſit atq; perſregit.  
 At Cardinalis & Roſtius ad Modoëtiam, dimiſiſ ab ſe regiſ  
 araldiſ, qui ad tractandas pacis conditiones aduenerant, Me  
 diolanum*

Mediolanum cum omnibus copijs concesserunt. Heluetij pedites priuatis ciuium hospitij suscepti sunt: equitibus uerò suburbana edificia, quæ ad Romanam portam uergunt, data. Ibi agebantur stationes, & crebrò equestria prælia commitebantur, quod Galli è castris ad portam usq; & pontificij è stationibus in proximos campos et circumiectas uillas quotidiana consuetudine prouehabantur. Venerat etiam paulò ante ad Ticinensem portam Triuultius cum modica militum manu, ut colloquium postularet, ciuesq; ad deditonem hortaretur. Sed illorum animis nequicquam tentatis, subita armate plebis procella, quæ ex improviso fecerat eruptionem, non sine salutis periculo repulsus, in tutum se receperat. Coactis Mediolani omnibus copijs, Maximilianus & Sedunensis duces legatosq; in arcem uocant, & consilio adhibent. Quum de toto belli genere deliberaretur, pluribus ad uictoriã conducere uisum, si non prius acie decertarent, quàm aut se cum pontificijs Hispanisq; iunxissent, aut Gallum confisum munitionibus suis, in æquiores campos, aliqua necessitate imposita, perduxissent. Siquidem Heluetios alterutrũ facile consecuturos apparebat, si castra Binascum usq; Ticinensi uia promouerentur. Cuius rei consilium duabus rationibus explicabatur. Nam si Franciscus ad motum hostium pertinacius munitissimo in loco sibi persistendum esse censeret, facile à Binasco per sancti Angeli oppidum, atq; agrum omni comætu abundantem, se ad Padũ peruerturos iudicabant, ubi pontibus antea constitutis, sociorum exercitus cum summa spe uictoriæ iungerentur: Sin Gallus præmetuens ne Papiæ urbe simul ac lapideo ponte Ticini amnis, quo in loco præsidium mediocre reliquerat, intercluderetur, Ticinum contenderet: eo casu, aut in itinere æquiore conditione pu-



PAVLI IOVII HISTOR.

gnaturos, aut à leua continuo deflexuros Laudē Pompeiam: indeq; accitis ac receptis in castra Laurentio atq; Cardonio, futurum esse, ut Liuianum à proposito itinere statim auerterent, & spem Gallis cōminuerent, quam illi de uictoria maximam ex rerum successu concepissent. Hæc quum prolatis in medium membranis, quibus mensuræ itinerum, & regionis situs pictura describebantur, ut agresti ingenio homines certius deliberata cognoscerent, nonnulli duces, qui uetere iudicio suo, uel recenti pecunia adducti, apud Galaratum pacis conditiones acceperant, dissentiendo, & uanas difficultates immiscendo, consideratius maturiusq; ea exploranda dicerent, totam saluberrimi cōsiliij rationem corruperunt. Quibus de causis Sedunensis, ne fidelium animi interposita mora languescerent, & studia incertæ multitudinis in perfidiã uerterentur, eo omnes cunctis artibus ut quam primum cum hoste confligerent, deducendos esse existimauit: ratus se aut egregiam relaturum uictoriam, aut si Heluetij aliquam ex infœlicitate prælij calamitatem accepiissent, Gallorum genti cum uniuersis Heluetijs inexpiabiles inimicitias, atq; immortale odium conflaturum. Ergo cum signiferis & fidelissimis pagorum principibus communicato consilio, Mutium Colūnam secreto admonet, ut ex composito quū signum acceperit, ad arma conclamari iubeat: ac ueluti hostes iusto exercitu suburbanis ædificijs appropinquarent, cum equitatu procurrat, & quanta maxime possit timoris atq; periculi simulatione, ab Heluetiis auxilium imploret. Idem ut faciant primis cohortibus imperat, quæ uirtute militari atque odio in Gallos insignes, in ipsis semper principijs proxima hostibus loca sibi depoposcerant. Ita quum prænsi milites meridiatum irent, & ab ducibus in arce de belli ratione disputaretur, sub-

bito ab Romana porta tube & tympana concrepauerunt, ac mox de aduentu hostium increbescente rumore, alie post alias cohortes, quum primæ sequentibus causam tumultus per manus traderent, atq; omnes arma caperent, incredibili pugnandi ardore portis se effuderunt. Nec mora etiam ambigua & fidei legiones sublati vexillis subsecutæ, ne primos in eo tumultu, quod publicam salutem atque æstimationem respiciebat, deserere, aut aliter de belli causa sentire uiderentur, confertissimis agminibus ad portam contenderunt. Cardinalis galero & purpura insignis, prælata cruce, incedentium ordines militari equo præteruectus, ut ad signiferos centurionesq; uel ad notos claris facinoribus milites peruenerat, adhortando accendendoq; ut properarent, testabatur sibi à Deo Maximo, Diuisq; immortalibus promitti eius diei uictoriam, qua non solum uniuersam totius Gallie nobilitatem adolescentis regis auspicijs inter duos hostiles exercitus deductam, egregie pugnando deleturi essent sed contusis Venetorum & Ligurum uiribus propria uirtute scælicitateq; toti Italie leges essent imposturi: neq; Germanos mercenarios milites, quod roboris apud regem esset, quos tamen sepius acie deuicissent, tam auersos à Cesare, uel tam prodige uirtutis fore, ut eos contra totius Germaniæ decus pro Gallis, qui ueri hostes essent pugnatueros existimarent. Neq; Vascones fugacissimum genus, uel equites illos serico torquibusq; fulgentes, qui aliquantum plus præsidij in equis atq; calcaribus, quam in gladijs atq; uirtute reponere consueuissent, aut fortius, aut constantius quam antea fecerint, in acie dimicatueros arbitrarentur. Quod uerò laboris atq; periculi relinqueretur, id totum occupandis hostium tormentis ingenti animo subeundum. Vbi si qui forte cecidissent, eorum

## PAULI IOVII HISTOR.

animas à se pontificia authoritate ab omni labe criminis ex-  
 piatas, relicta in terris egregiæ uirtutis memoria, in coelum  
 protinus euolaturas constantissimè existimarent. Talia pas-  
 sîm commemoratè, progressumq; ad primas legiones, quæ  
 iam in patentem uiam uenerant, Galeacius Vicecomes, Ioan-  
 nes Gonzaga, Gambarus atque Aquila legati, secuti sunt, ad-  
 iunxereq; se exeuntibus Heluetijs nonnulli equites ex his fa-  
 milijs, quæ uetere beniuolentia Sfortianum nomen colebant.  
 Ex plebeis quoq; sicarijsq; hominibus aliquot armatorum  
 manipuli prætereuntiturbæ sese ultro admiscuerunt. Vix-  
 dum Mediolano tria milia passuum progressi erant, nec mi-  
 nus triginta inde stadijs Gallorum castra aberant, quum fal-  
 cones quos numero decem secum adduxerant, displodere cœ-  
 perunt. Quæ res equitibus Italis magnam sollicitudinè atq;  
 admirationem attulit: Mutius enim ad duces primi agminis  
 mutata facie prouectus, interrogare cœpit: *Quanam insa-*  
*nia uiri in re bellica principes, disciplinæq; magistri, intem-*  
*pestiuis tormentorū boatis hostes excitare contenderent,*  
*quos imparatos ac nihil de prælio cogitantes, inuadendos es-*  
*se censuissent. Cui ab primis ordinibus alacriter respondeba-*  
*tur, satis ex disciplina cum armato etiam instructoq; eo hoste*  
*se pugnaturos, si suspectæ fidei commilitones, atq; omnium*  
*pagorum uexilla uno consilio secum in aciem descendissent:*  
*Quod fieri posse confiderent, si ea simulatione certiora con-*  
*tracti certaminis signa ad sequentium sociorum aures per-*  
*uenissent. Quorum uirtutem insani pretio uictam, si iam*  
*nulla omnino periclitantis publicæ dignitatis uerecundia so-*  
*ret, cadentium saltem præ oculis affinium gemitus, milita-*  
*ris sacramenti religio, & futuri mox in patria aduersus de-*  
*sertores iudicij metus, excitare, atque accendere posse ui-*  
*derentur.*

derentur. Tanta enim arrogantibus animis uirtutis fiducia inerat, ut maximas ac ualidissimas hostium copias summa contemptione despicerent, neq; ullam tormentorū copiam aut ullas loci munitiones, quo minus in castra uincendo perumperent, impetum suorum moraturas arbitrarentur. Erant ante alios uiri fortes, sed barbare uesaneq; uirtutis, Pelagrinus Landebergius, Centius Amerer, & Rodolphus Longus, qui tres uoluntarias cohortes pugnacissimorum hominum in fronte constitutas habebant: li quum in conspectum hostium deuenissent, tanto dimicandi ardore protinus exarserunt, ut ab ceteris ducibus, qui saniore consilio sistenda signa, locum castris capiendum, & reficiendos ab labore uidebant, quin pleno passu ad hostem contenderent, retineri nequinerint. Borbonius atq; Triuultius ad diuiliani templum, quod modico in pago est, castrorum principia habebant, uiamq; publicam praeuuptis undiq; fossis, & de more regionis aggeribus communitam, non temere ad sinistram infederant. Secundum eos rex ipse, & post eum Helaconius regulus, ad quem iure sanguinis, si Franciscus uita excessisset, regnum Gallie pertinebat, media postremaq; aciem modico interuallo inter se abiunctas collocarant. Ita tripartito castrametati, ut tres iusti exercitus sibi inuicem quum casus posceret, commodius atq; expeditius auxilio forent, lato ac munitissimo loco continebantur. Nam in circuitu frequentes erant fossae, studio agriculturalum ad irrigandos agros perductae, nouasq; ut usus ferebat, opportunis in locis Nauarrus munitiones addiderat, opposueratq; hosti ingentia scuta defixa solo, & crassis funibus conuestita, ut his protecti Vascones tutius & certius in hostes sagittarent. Hanc statum castrorum formam lociq; naturam, Mutius &

PAULI IOVII HISTOR.

nonnulli duces Heluetij speculandi gratia in editiorem ag-  
geris partem equis prouecti animaduenter ant, subindeq; no-  
tauerant ad dextram, locum castris opportunum relinqui,  
ubi satis ad humilitatem depressa planicies perpetuo riuo,  
qui ad frumentarias molas defluebat, ab duobus ferme lateri-  
bus cingebatur. Eo in loco ut castra facerent, & refectis  
quiete ciboq; corporibus, nihil temere de praelio cogitarent,  
suadere conabatur, monebant, sicuti uictoriam à consilio, ita  
pœnitendos atq; irritos conatos ab inconsulta uirtute profi-  
cisci, eosq; sepius aduersos praeliorum exitus sentire consue-  
uisse, qui audacia atq; impetu potius, quàm utili mora et ra-  
tione, hostem superare confiderent. Postremò testabantur  
aduersus auspicia prouocari hostes, quòd uetere gentis ob-  
seruatione is hebdomade dies in fastus foret, qui inchoante  
anno cesorum ab Herode infantium memoria celebratus,  
toto anni circuitu uerteretur. Incidebat enim is dies in Idus  
Septembres. Sed quum furor & fatalis insania, quod nun-  
quam antea Heluetijs in castris acciderat, & militi obsequi-  
um, & ducibus auctoritatem abstulissent, pugnacissimi  
quiq; procurrerunt, & cum Vasconibus atq; Germanis atro-  
cissimum certamen contraxerunt. Triuultius atq; Borboni-  
us, qui multum antea de aduentu hostium certiores facti a-  
ciem instruxerant, & tormenta idoneo in loco collocarant,  
quum haud dubiè premerentur, ut obiectis flammis hostium  
impetum tardarent, simulq; eos usu ac munitione domorum  
priuarent, uniuersa pagi ædificia succenderunt, & suos in  
patientiore locum reduxerunt. Erat, ante tormenta Gallo-  
rum fossa ingens, summo audacie periculo superada, quam  
Nauarrus cohortibus oppositis, & Germani eximie uir-  
tutis densis ordinibus tuebantur. Illuc audacissimorum uir-  
ue =

uenum globos, aliquanto certiore exitio quàm uictoria, peruadere non dubitauit. Erant ij ex omnibus Pagis florenti etate, & singulari promptitudine lectissimi, qui peruesto gentis more, ut raros ante prouectam etatem militiae honores aliquo insigni uirtutis opere edito consequantur, aspera quæque & difficilia belli munera ulro sibi deposcere, et sæpius cum exitiabili laude propositam mortem subire consueuerunt. Hos ab immoderata fortitudine, Perditos uocant, & in summo honore atq; admiratione habent: licetq; illis una uirtutis prerogatiua uexillum ferre, & ducere ordines, & duplicata per omnem etatem stipendia accipere. Neq; alio foelicis audaciæ insigni à cæteris Perditi dignoscuntur, quàm candidissimis pennarum manipulis quos more ducum e pileis speciosa luxurie defluentes in tergum uertunt. Il uno agmine aduersus tormentarias pilas ingenti animo progressi, quum magna clade accepta ex iniquissimo loco diu multumq; pugnaissent, tandem pertinaci impetu pulsus loco Germanis, et reiectis Nauarrinis cohortibus, per aceros morientium ad tormenta peruaserunt. Quibus numero septem occupatis, dum spe pleni consertis iterum ordinibus cedentibus incumbunt, uniuersam primi agminis aciem perturbant. In eo discrimine Triuulcius atq; Borbonius diuersis in locis immisso equitatu, quantum uiribus adniti & consilio prouidere poterant, ad reparandam percussam aciem huc atq; illuc ferebantur. Nec suis deerat Nauarrus, increpando alios, alios interrogando, num ut tantum terga uerterent, turpissimeq; uixdum hoste conspecto, acie diffugerent, ab extremis Oceani sinibus, Pyrenæisq; uenissent: colligerent animos, & celeriter sclopettos atq; balistas expedirent, tantisperq; consisterent, dum latera nouis

PAULI IOVII HISTOR.

equitum subsidijs firmarentur, et quam ignavia, aut iniqua  
 sortis apud Rhauennam male pugnando notam subijissent,  
 ea die fortiter pugnando delendam esse existimarent. Ita uno  
 tempore irruente amplissimo equitatu, Vasconibus adhor-  
 tatione & uerecundia confirmatis, Germanis ira ac pudore  
 locum tenentibus, præliū atrox ac uarium redintegratum.  
 Impellitur horrendo tormentorum ac armorum strepitu  
 utraque acies, uexilla rapiuntur, Mox Centius ac Pelegri-  
 nus pugnantes cadunt: Priusq; prætoriana cohortis præse-  
 ritus, & quatuor cum eo signiferi maioris colubrinæ iclu ab-  
 latere consternuntur. Nec desuere laborantibus suis Helue-  
 tij qui maiore circuitu ad hostes peruenerant: nam coactis  
 in unum ad triginta cohortibus, duplici agmine animis ac ui-  
 ribus recentissimis gradum intulerunt, & ab leua cum pedi-  
 tatu cōgressi, Sciat alardum clari nominis Vasconū ducem,  
 ac Ludouicum & Georgium Hellempurgenses ex Germa-  
 nis nobilissimos interfecerunt. Ab aliera uerò parte irru-  
 entes equites laxatis aliquantulum ordinibus, in sinum ex-  
 ceperunt, ubi uaria ancipitiq; fortuna diu certatum. Nam ca-  
 taphracti, quanquam ui atq; incitatione equorum dispersis  
 ac morientibus sædè proculcatis, raros tenuesq; manipu-  
 los cum multa strage perrumperent, tamen quum densis or-  
 dinibus occurrebant, aut præ longis contis induebantur, aut  
 suffossis equis armorum pondere graues interibant. Periere  
 eo in loco accerrimè depugnantes alarum præfecti, Sanser-  
 rius è Sacro Cesaris oppido regulus: Imbercurtius eximia  
 uirtute & longa militia clarus: Busius Ambosius, &  
 Franciscus Borbonij frater, ipse quoque Borbonius simile  
 salutis discrimen adijt, ut ipse dicebat, dum cruenta ea in  
 acie uersaretur. Sed ego postea aliter ab ipso rege accepi  
 nomi-

nominatis testibus affirmante Borbonium circumuento fra-  
 tri, opem ferre minimè ausum, in actumq; retro se à conspe-  
 ctu hostium ad secundam aciem recepisse. Triuultius quoq;  
 dum circumuento ac morienti signifero suo frustra auxiliū  
 ferret, inter lanceas alabardasq; hostium conflatus, uulne-  
 rato equo, cristis galea deterfis, aliorum interuentu pericu-  
 lo se eripuit. Iamq; egre pluribus in locis prælium sustenta-  
 batur, & Heluetij quòd iniquissimam fossam transissent,  
 quòd tormenta magna uirtute cepissent, quòd pulso pedica-  
 tu, perturbatis equitibus in locum quem hostes tenuerant  
 processissent, meliore Fortuna præliabantur, quum Franci-  
 scus promotæ secundæ acie, Alanconio pari passu cum po-  
 stremo agmine subsequi iussu, dispositis per præfectos cer-  
 to in spatio pluribus tormentis, quibus à latere hostium pha-  
 langes peterentur, cum nigra legione, ingentiq; equitatu op-  
 portunissimo tempore superuenit. Ipse regali paludamento,  
 quod cœlesti colore aureis lilijs distinguebatur, generose  
 apud hostes ac suos se regem professus, in prima acie uersa-  
 ri, impigre hostem ferire, huc atque illuc incitato equo  
 periculose acerrimis hostium insultare, ac demum non ora-  
 tione tantum uel adhortationibus, sed egregia ueræ uirtutis  
 exemplo suos accendere. Tantus enim erat incumbentium  
 impetus, tanta consistendi pertinacia, tantusq; inerat etiam  
 faucijs ac morientibus uigor, ut regem in ea prælij iniquita-  
 te, & maiestatis obliuisci, & uitam contemnere, & rem in-  
 clinatam manu ac uiribus potius quàm arte uel consilio re-  
 parare oportuerit. Equites quoq; qui ad Nouariã, Taro-  
 namq; fugièdo pristinã uirtutis opinionem amiserant, ne si  
 iterũ cederent, sempiterna in posterũ ignominia notarètur,  
 aut decoramorte, aut egregia uictoria, pugnanti in omnium



PAULI IOVII HISTOR.

oculis regi suo satisfacere contendebant. Cecidere eo con-  
gressu Talamontius Tramulij filius, & Roya in Morinis no-  
bili genere natus, & Vantellius, qui extraordinarium regie  
turme uexillum deserebat, pluresq; promptissimi equites  
cum Moio nobilioris ale signifero, qui fossis uinearumq; tra-  
ducibus impediti explicare sese minime potuerunt. Ex Hel-  
uetijs autem, Rodulphus Longus ille multitudini concita-  
tor, & uetere in Ludouicum Sfortiam proditione insignis.  
Item Flechius uirtute magis quam genere clarus, & Valte-  
rius Offius. Hic ob singularem prudentiam & summam ui-  
rium promptitudinem, quae non facile in eius gentis homini-  
bus commiscetur, omnibus bellis, et Nouariensi maxime in  
pugna, magnam uirtutis opinionem adeptus fuerat. Pupna  
tum est continenter horis septem, nam in medio ardore cer-  
taminis, quum Sol occidisset, Luna eo tempore pernox cla-  
ro splendore inuecto utramq; aciem in armis continuuit. Fu-  
itq; horribile cruentissimumq; certamen, quamdiu uel tan-  
tillum luminis superfuit. Mox condita nubibus Luna, quan-  
quam lassitudine ac uulneribus fessi hebetatis armis quieti locum  
quereret, interim tamen per mutuū errorem caecis insanisq;  
ictibus socij pariter atq; hostes crudelissime sternebantur.  
Heluetijs etenim Germani armis lingua habituq; non omni-  
no dissimiles, dum uarijs in locis inter se miscerentur, pro-  
dente demum tessara, foedissimam stragem per tenebras ede-  
bant. Neq; ab tormentis tota nocte temperatum: quae sicuti  
incertis ictibus emittebantur, ita aliquantum plus terro-  
ris, quam cladis inferebant. Sedunensis, qui spe, cura, labo-  
req; suis non deerat, quum errore loci in Germanos incidisset,  
eorum linguam asperiore uoce mentitus, periculo se ex-  
plicuit, & superata fossa ad confluentes domos reuersus  
est.

est: ubi Rostius & Anglardus splendore flammarum inuivati, coeuntibus tanquam ad praetorium plurimis ducibus, signum ingenti classico proposuerant, quo sparsi errabundiq; milites ad uexilla uocarentur. Id erat amplissimum cornu syluestris Vri operoso argento in labris exornatū, quod à maioribus per manus traditum, apud Vranenses Heluetiae libertatis authores cum magna cura ac religione custoditur. Eius itaq; beneficio, quod à perito buccinatore ad humanae uocis speciem scientissimè, more gentis inflabatur, plurimi conseruati sunt, qui inter hostium cohortes uario errora delati, confundente aures tympanorum similitudine certum ad suos receptum habere non poterant. Egere utrinque mutuo timore suspensa acies insomnem noctem, animis tamen, quam uiribus ad dimicandum paratiores: Nam strenui pariter atq; ignaui, quanquam longo certaminis labore defatigati erant, diuerso tamen animorum habitu, uel nauandae operae desiderio, uel metu mortis excitabantur. Sedunensis, ac ceteri duces, tametsi eos prima opinio plurimum sefellisse uidebatur, quod hostes, ut destinauerant animis, ad primum impetum tanta etiam clade perturbatos minimè superassent, ac irrito propè conatu fortissimos suorum amississent, tamen sese non deserunt, in concilium quam plurimos uocant, & quū expectare lucem, & praelio iterū decernere cunctis placeret, quod omnibus rebus imperati aduenerāt, Mediolanum ad petenda omnis generis subsidia mittendū decernūt. Mittitur Ioannes Gonzaga, qui Maximilianum ciuesq; ad ancipitis praelij euentū sollicitos noua spe impleat: cocta in primis cibaria, et plurimos uini cados deficiētibus lassitudine ac siti militibus cōtinuò subministret, ac demum tormēta, pilas, et sulphureū puluerē, omni adhibita ce

leritate in castra trāsmittat. Duces uerò atq; signiferi digres-  
 si consilio, ut quisq; de cardinale & de prælij euentu sentie-  
 bant, uariè apud milites loquebantur. Alij decoris & uictò-  
 riæ cupidi, quum cladem, quam ipsi magnam acceperant,  
 uerbis eleuarent, suorum fortia facta & Gallorum stragem  
 in maius falsis narrationibus extollebant. Contra alij aduer-  
 se factionis, ut saluti maturè prospicerent, & cardinali in  
 summis rerum difficultatibus constituto, dignitatis & uitæ  
 periculum auerent, Mediolanum salutis cohortibus reuer-  
 tebantur. Equites quoq; pontificij, qui propter exiguum  
 numerum haud magno usui fuerant, magna ex parte metu,  
 uel desperatione adducti, relictis ducibus in urbem redierunt.  
 Ceterum Franciscus, quanquam summo timore atq; ingenti  
 periculo liberatus, tantæ uirtutis homines egregiè sustinu-  
 isse uidebatur, reliquo tamen metu & suprema ueluti cura  
 anxius, turbide noctis finem & incertæ fortune exitum ex-  
 pectabat. Neque corpori armorum pondere fesso, ac siti &  
 continuò labore æstuanti maiorem quietem dedit, quam ut  
 subducta ad spirandū galeæ buccula, dum equum mutaret,  
 tormento paululum inniteretur. Inde statim ad ducis munia  
 transgressus, Liuianum ut cum exercitu accederet per nun-  
 cios monuit. Mox ea re ab præfectis, quos in coronam ada-  
 uocauerat, equestri consilio comprobata, castra aliquan-  
 tum contraxit: & quòd locus, qui primi agminis fuerat ab  
 hostibus tenebatur, munitiore spatio supra sex milia Ger-  
 manorum in margine fossæ constituit: iussitq; eos pluribus  
 tormentis ibidem opportunè collocatis præsidio esse. Ab  
 alia parte magnum equitum numerum sibi adiunxit: monu-  
 itq; Borbonium atque Alanconium, ut utrinque pari ordi-  
 ne primam & tertiam aciem lateribus suis admoerent. Ita  
 ut

ut ipse recta fronte hosti oppositus, sicuti loci ratio postu-  
 labat, primi agminis uicem impleret, & duobus agminibus  
 leua ac dextra constitutis tanquam cornibus uteretur. Nec  
 longè ab eo loco, Nauarrus & magna multitudo Germa-  
 norum, quum per tenebras praelio dirempto, neq; castro-  
 rum formam, neque regis consilia cognoscere potuissent,  
 defixis solo uexillis confederant. Franciscus, ut qui nam  
 fossarum situs, campiq; interiacentis & publicæ uia spa-  
 tia forent, oculis ipse collustraret, in conspectum hostium  
 cum paucis equitibus progressus est, mox sensim in Auro-  
 ram abeuntibus tenebris, ad cohortandos Germanos con-  
 tendit, quos magnis pollicitationibus erectos ad conficien-  
 dum modico certamine bellum, & ad partæ iam uictoriæ  
 præmia capienda, certæ spei & alacritatis plenus accèdebat,  
 commemorans superiorum temporum iniurias, & clades  
 quas Heluetij beneficio Fortunæ potius atque iniquissimis  
 temporum & locorum conditionibus, quam uera uirtute  
 Germanis intulissent. Proinde in animum inducerent, eam  
 esse propriam atque expeditam rei gerendæ occasionem,  
 qua consanguineorum & commilitonum suorum cædes ul-  
 ciscerentur: ac simul fortibus factis declararent Germanos,  
 sicuti nobilitate fideq; præstarent, ita uirtute, bellandiq; pe-  
 ritia militarem gloriam, agrestibus atque infidis hominibus  
 minimè esse concessuros. Simili quoque usus oratione, Gallos  
 equites hortabatur, ne à maioribus suis degenerare uellent,  
 qui superioribus seculis equestri gloria omnibus gentibus  
 præstitissent. Nec minore spe atque animo apud Heluetios  
 acies instruebantur, quanquam maxima ex parte milites, si-  
 cuti diuersis in locis atque in ipsis etiam hostium munitio-  
 nibus uario casu conqueuerant, nullo cibariorum subsidio

PAULI IOVII HISTOR.

recreati, egre labantes artus ferocibus animis sustinerent. Neq; enim, quæ ab Mediolano, procurrante Gonzaga, conuehebantur breui et nocturno maxime tempore, quod omnes semper administrationes tardare consuevit, adduci expediriue poterant. Pleriq; etiam sub Auroram oblati ientaculis, quum tympanorum crepitu et fragore tormentorum ad pugnam uocarentur, optatos et necessarios fouendis uiribus cibos relinquebant. Coiuere in principiis nonnulli duces, inter quos erant Haslerius Foctius, etatis honore, ac magistratus insignibus clarus, et Chezzius Amman inter Heluetios natu maximus, qui amplius quadraginta annos centurio, aut signifer, aut tribunus in exercitu fuerat, et prelio illo memorabili, quo Carolum Belgarum ducem, eiusq; copias ad Nanseium occidione deleuerunt, singularem in prima acie laudem meruerat. Il, siue acceptæ cladis conscientia adducti, siue cognito desertorum discessu, et iam lucis beneficio perspecta locorum iniquitate, quod satis ibi existimationis, ad frangendos Gallorum spiritus hesternæ dimicatione partium existimarent, prelio abstinendū esse iudicabant. Sed quum frustra deprecando contestandoq; promotam iam signis sistere, et procedentes ordines oppositis corporibus retentare conarentur, et Fato, et libidini militum manus dederunt. Ita Rodulphus Segnius, Visembachius Vnderualdius, Vldericus Ioctius, atq; Zambronius audaces acerrimæq; uirtutis duces, ratione committendi certaminis inter se constituta, bipartito signa intulerunt. Primum ac maximum agmen, in quo Tigerini pagi signum supremæ apud Heluetios dignitatis collocatum erat, rectè aduersus regiam aciem, quam medium locum tenere docuimus, contendit. Aliud quod à dextris paulò infra conflagentis pagi tecta substiterat, ma-

iore

lore capto circuitu ad Alanconium postremo agmini præposito, deslectere cœpit, eo consilio, ut quum primi regem, et robora Gallici exercitus in se conuertissent, illi Alanconium infirmioribus uallatū præsijs, magno impetu ab latere adirentur, et perrupta eius acie, in sinistrum latus et terga regij agminis penetrarent. Aliam uerò suorum multitudinem, quæ citra uiam publicā à læua proximum campum tenebat, nullo ei certo munere capeſcendæ pugne demandato, quod ex parum, fidelibus pagis constare putabatur, dextro cornu, ubi Triuultius atq; Borbonius curabāt, interuallo trecentorum passuum opposuerūt. Sed quū ad teli iactum processissent, Galli statim displosis in aduersos uno temporis puncto omnibus regijs tormentis tantā summa celeritate cladem intulere, ut prius temeritatis pœnas dederint, qui ab audacia consilium sumpserant, quàm manus conferere, uel ad hostes peruenire potuerint. Eo casu quòd per medium facta horribili uasitate strageq; hominum, unum non erat amplius phalangis corpus, laceratis ordinibus, pars, quæ secūdos ictus timebat, terga uertere, & recipere sese cœpit, pars despectis iteris tormentis in hostes impetum fecit. U constantiore quàm unquam antea uirtute atq; audacia, pluribus & acceptis et illatis uulneribus, fossam superarunt: & cum Germanis equitatuq; regio congressi multa facinora efferæ uirtutis ediderunt. Nam quum eodem quoq; tempore Triuultius atq; Borbonius extenso cornu, et circumflexis equitibus, in sinistrum eorum latus incurrissent, duplici fronte pugnare cogebantur. Sed Germani, qui acerrimo eo certamine Iacobum Condeum, Henricum Ricurtium, & Saxeum fortissimos duces amiserant, ira ac dolore similes, illato gradu eorū impetum represserunt; & Pontinerium proceritate corporis ani-

PAULI IOVII HISTOR.

miq; uirtute inter Heluetios duces clarissimum adequitantem ordinibus, ac suos clara uoce, adiectis in Germanos contumeliji, cohortantem, sclopettorum ictibus equo deiecere: & uasti obesq; corporis adipe atque aruina patentibus plagis desfluente, cruentas lanceas spectantibus Heluetijs inunxerunt. Quæ apud Barbaros in acerbioribus odijs exacta uindictæ grauisima cerimonia perhibetur. Ibi quoque Zambronius, & Antius Encher, uasti animi & terribilis stature homines, quum ingentes gladios singulari peritia ambabus manibus regerent, & in media Germanorum acie uersarentur, detruncatis pluribus lanceis, multisq; hostium trucidatis, ad extremum tota acie in eos conuersa, oppressi sunt. Interijt & Chezzius annam cadente equo, qui tribus etiam sagittis confixus, in ea atate plures horas adhortando pugnandoq; nec optimi ducis, nec fortissimi militis munus omiserat: quum ceteri quos supra memorauimus, antequam congredierentur, tormentorum procella discerpti cecidissent. Ioannes & ipse Berrus Basiliensium uexillifer, quum multis confectus uulneribus diutius signum sustentare non posset, ne hostes eo potirentur, sericum hasta detractum minutissime conscerpfit, & occubuit. Interea quoque secunda acies quam ad Alanconium deflexisse docuimus, tantum postremo agmini terrorem intulit, ut equites magna ex parte, cadente Beomontio alæ signifero, pluribusq; eorum ad primum impetum interfectis, terga uerterint, et effusis habentis Laudensi uia cursum intederint. Quo reru tumultu factum est, ut agrestes, & pleriq; speculatores, qui in agris erant, equites Gallos inter impedimenta fugietes conspicati, quum Franciscum prelio uictum putarent, de uictoria Heluetiorum per omnem Italiam perscripserint. Et res profecto ab ea parte

parte in maximum discrimen perducta fuisset, nisi Emarus Prius, & Obigninus singularis experientie duces, qui cum Alanconio erant, fuga increpita, collectis in unum uexillis conglobatisq; militibus, summo labore pugnam sustinuis-  
sent, Magno quoq; perturbatis subsidio fuit Liuianus, qui Venetorum exercitu adducto procurrens, cum nobilium cataphractorum ala subsequenter reliquis superuenit. Is ut erat & pugnae & nauandae operae auidus, nulla interposita dubitatione, equites cohortatus, ut se uadentem sequerentur, in transuersos hostes incurrit, quem Heluetiae cohortes duae conuersis signis alacriter exceperunt: & uulneratis pluribus, interfectoq; Cepino Pitiliani filio summae indolis adulescente, acriter incumbentem equitatu longius somnouere. Eius tamen aduentu magis quam uiribus territa ea Heluetiorum manus, quod uniuersas Venetorum copias: quae in proximo erant, adesse iudicabat, saluti consulere coepit. Alij enim lassitudine, uulneribus, siti, sudoreq; confecti in proximos hortos concessere, ubi superuenientibus etiam ab regia acie subsidiarijs equitibus, magna eorum pars concisa est. Alij in proximam delati uillam, quum diu porta ac muris duce Tru-  
lerio Cefusio strenuissimo centurione se defendissent, tandem Liuiano auctore succensa uilla, tormentis flammisq; expugnati crudelissime perierunt: alios palantes, refugientesq; ac maximum suorum agmen, equitatus apertissimis campis cōsectatus, ad unum deleuisset, nisi cōsilio atq; uirtute ueterum militum, qui in ea Fortunae acerbitate disciplinae memores, sibi ac suis nunquam defuere, densata acie citra fessas uiamq; publicam ad suos se recepissent. Eodem ferme tempore, tertia Heluetiorum acies, quam contra Triuultium atq; Borbonium constitisse ostendimus, siue praelij iniquitate per-



PAULI IOVII HISTOR.

*specta, siue detestabili adducta consilio, quòd factioni atque odij, quam publicæ necessitati satisfacere mallet, cædis atq; alienæ uirtutis spectatrix, uexilla Mediolanum ferre coepit. Neque ut erant, uel perfidia consternati, uel timore percussæ prælio succedere uoluerunt: quod tamen propè necesse erat, quum uniuersam leuem armaturam equestrem in oculis haberent, & frequentibus tormentis peterentur, quæ post equitatum insidiosè occultata apertis demum turmis, ad tubæ signum per interualla sæpius emittebantur. Quibus de rebus cæteri quos apud regiam aciem pugnantes reliquimus, dum cæco furore atque ira perciti obstinatione animorum magis quam uiribus locum tenerent, & alias recentes Germanorum legiones, ad quas pugna nondum peruenerat, ad dimicandum paratis in conspectu haberent, desperata uictoria receptui cecinerunt. Magnum enim ad fossam paulò ante detrimentum acceperant, quòd è superiore loco à balistarijs Vasconibus incredibili sagittarum multitudine confangebantur, qui iuxta sclopettarios collocati, ut sclopettis implendis & tendendis scorpionibus spacium darent, ita multo recurso per centurias sibi inuicem succedebant, ut continenti telorum grandine effusa, inulta acies frustra petitis à uirtute subsidijs sterneretur. Dirèpto prælio, cum Rostius, Ronna, & Anglardus, atque alij tantæ ac tam perturbatæ multitudini monendo atque imperando succurrere, uel dum officia facile implere non possent, ipsi milites etiam omnibus incommodis conflictati, ne fungere uiderentur, in ea rerum iniquitate, sibi quod agendum erat, mira constantia singulariq; peritia præscribebant. Nam sauciorum cura habitæ, ut quisque uulneribus debilitatus erat, bini milites summa pietate lacertis atq; humeris tulerunt: reductisq; ad unum omnibus*

omnibus tormentis quæ Mediolano aduecta fuerant, nouissimum agmen recentiorum militum presidio firmarunt. Adeo autem contento passu uia publica iter est factum, ut discessus nihil fugæ simile habere uideretur. Neque enim inuadi facile poterant, quòd ab utroque uia latere præaltis atque perpetuis fossis muniebantur. Galli qui uiginti horis continenter, dubia plerunque uictoria, armati in acie constiterant, quum fluentibus sudore artubus, ac labantibus lassitudine equis, & densa eleuati pulueris caligine, & irrequieto atque horribili tormentorum reboatu oculorum atque aurium sensum penè amississent, finè sequendi fecerunt: ita tamen uictoria potiti, ut egregiè pugnando Heluetios magis uicerint, quàm eos in posterum ullis uiribus omnium opinione uinci posse docuerint. Heluetij suis hospicijs perhumanè ac liberaliter suscepti, depositis apud publicas hospitales domos grauius uulneratis, reliquum dici ac sequentem noctem recreandis corporibus dederunt. Postero die plateam, quæ ante arcem latissimè patet, tanta frequentia compleuerunt, ut nullà propè cladè accepisse omnium aestimatione uiderentur. Ibi habito inter cõsilio se quum trimestre stipendium postularent, & nisi id continuo sibi persolueretur, se abituros domum dicerèt, minimè id præstante Maximiliano, quòd tantam pecuniæ uim expeditam non haberet, Comensi porta uexilla protinus extulerunt. Nec Cardinalis, ut qui aduerso rerum successu apud eos aliquatùm pristinæ authoritatis amiserat, allocutionibus suis quicquã profecit, quo minus uersi Comum contenderunt. Quamobrem relictis tribus cohortibus Heluetijs, quæ arci presidio forent, ipse cum pontificio equitatu ac ualida manu Sedunorum Leucum contendit, superatoq; Abdua per Saxinam uallem concisis abria

PAULI IOVII HISTOR.

ptisq; montium tramitebus in Volturenam uallem penetrauit, unde mox transuersis alpinis Tridentum, atque inde in Germaniam ad Maximilianum Cesarem profectus est. Heluetij uerò, & cum his Galeatius Vicecomes, à Comensibus, quòd uicinitate regionis, & mercatura commertio magna cum his amicitie necessitudines intercedebant, omnibus officijs ac facultatibus subleuati, superato Lario per curiam Rhetiarum domum reuersi sunt. Quum cesorum ratio iniretur, Galli ex uiginti quinque milibus Heluetijs, qui in pugnam prodierant, uix dimidiam eorum partem integram supersuisse, et ex suis ad tria tantum milia cecidisse contendebant. Heluetij autem & occisorum ab se Gallorum numerum plurimum augebant, et censu domi habito, ad quinque milia fortissimorum hominum ea expeditione se amisisse fatebantur. Ceterum ea uictoria tot insignium Gallorum fune-ribus, tantoq; periculo parta, Francisco regi incomparabile decus attulit, existimationemq; regij nominis ita confirmauit & auxit, ut non immerito, quum eius noctis dieiq; euentum luculenter enarraret, effusissime letaretur. Victori-  
 am quoque nouo gaudio perfudit Claudius Guisa Antonij Lotharingie principis frater, quum interijisse crederetur, spi-  
 rans inter cadauera hostium repertus. Is enim summe spei  
 adolescens Germanis prepositus, in prima acie usque adeò  
 egregie, multis quidem acceptis uulneribus, dimicarat, ut su-  
 perincumbente Heluetia phalange, inter suorum ac hostium  
 cadentium aceros sterneretur. Eo autem duplici prelio he-  
 sternoq; presertim, quum rex ipse eximij bellatoris lau-  
 dem adeptus, consensu gratulantium procerum equestri ho-  
 nore dignissimus censeretur, eius dignitatis ornamenta dema-  
 nu Baiardi uiri fortissimi lubes accepit: quaquã adessent sum-  
 mi

mi duces, qui ex militari cerimonia conceptis uerbis, distributoq; gladio, quo leuiter sinister humerus petebatur, eum ornare percuperent. Baiardum enim ideo ceteris prætulit, quod acerrimè inter hostes pugnantem conspexerat, nec maiores duces inuidioso delectu ad id munus, tanquã inter se dignitate pares offendere uellet, simulq; Baiardum præclaro iudicij sui testimonio celebrem perpetuò sibi deuinciret, Equestris siquidem ordinis dignitas, non in otio imbellibus ambitiosè quaesita, sed fortibus testata uirtutis merito in acie parta, uiros uel infimæ fortunæ, longè nobilissimos efficere consueuit. At Mediolanenses ubi discessisse Heluetios uident, ne perniciosa cunctatione ciuitatem in discrimen adducant, ad dedendam urbem oratores in castra continuò mittunt. Erat legationis princeps Hieronymus Castilionus iuris peritia insignis, qui demississima oratione uictoris iram leniuit, deprecatus ne durius in miseros ciues animaduerneret, qui fluctuosissimis temporibus seruiuissent potius, quam ab eo uoluntaria defectione desciuissent. Eos supplices, et quæ imperasset paratos facere, si conseruasset, longè maiorem eum laudem, quam hesternæ uictoria fuis hostibus meruisset, clementia atq; animi magnitudine sibi comparaturum: quando præstantius foret amplissimum regem humaniter ac temperatè uti uictoria, quàm prælio, in quo & milites & Fortuna plurimum potuissent, foelicissime superare. Franciscus ad ea respondit, se magis pro natura sua quàm pro Mediolanensium meritis, qui toties rebellassent, & defectioni interfecto præsidio summã crudelitatem addidissent, ciuitatem conseruaturum, modò trecenta milia aureorum nummum, quam summã mulctæ nomine imponeret, intra certos dies tribus pæsonibus persoluissent. Dimissis legatis, partè exer-

PAULI IOVII HISTOR.

citus duce Nauarro ad oppugnandam arcem misit: ipse au-  
 dica Comensium legatione, qui ad dedendam urbem aduen-  
 rant, et Helucios finibus decepsisse nunciabant, Ticinum pro-  
 fectus est. At Laurentius, qui cunctando, neq; amicè neque  
 hostiliter fecisse uidebatur, quum audiret ad confluentes Pa-  
 dum & Ticinum parari pontes, quibus ad se opprimendum  
 Gallorū copie transmitterentur, ad easdem foederis conditio-  
 nes recurrit, quibus paulò ante Ludouicus Canosius Trica-  
 ricensis, & Cynthia Tiburs pacem ab rege petiuissent. Ne-  
 que animus regis ab nomine pacis abhorrebat: quanquam  
 Liuianus uictoria ferox, qui ex priuato quoq; odio ad op-  
 primendum Cardonium summa cupiditate ferebatur, inter-  
 pellari ac distineri regem in eo uictoriae cursu intempestiua  
 pacis mentione predicaret: ac se protinus Hispanorum co-  
 pias, si id sibi permissum foret, unis exercitus sui uiribus de-  
 leturum polliceretur. Tunc demum enim, quum eos hostium  
 reliquos deleuisset, faciliq; uictoria imposuisset Hetruriae  
 leges, ac Neapolitanum regnū felici cursu repetisset, regem  
 maturam uictis daturum pacem, & ueram quietē affectis  
 Italiae rebus allaturum. Sed Franciscus, qui occultiore consi-  
 lio ex foedere soceri, Ferdinandiq; regum, Hispanis parcen-  
 dum esse meminerat, & Parmam atq; Placentiam, si per  
 conditiones recipere posset, tētari armis nolebat, equissimo  
 foederi assensit, ne maiorem sibi inde inuidiam conflaret, &  
 Ludouici soceri exemplo principum animos nimia ac formi-  
 dabili magnitudine offendere uideretur. Res itaq; eo modò  
 composita, ut pontifex Parmam atq; Placentiam, quas ur-  
 bes armis tueri non poterat, Gallo occupari sineret, rex ue-  
 rò Florentinis eam pecuniae summam remitteret, quam Gal-  
 lo ex foedere quòd in societatem recepti essent, quotannis

Ludouico regi persoluere consueuissent, ac nihil Cardonio Hispanisq; militibus noceret, eosq; in pacatum regredi pateretur. Appositum quoq; disertè est, ut pontifici bellum gerenti certa Gallorum equitum auxilia Franciscus mittere teneretur, Medice. unq; familiam in fidem clientelamq; reciperet: eadem quoq; regi pontifex præstaret, si in Italia bello lacefferetur. Nec multò post Liuianus, ut eas urbes, quas Veneti superioribus annis amississent, armis repeteret, superato Abdua in Brixianum agrum profectus est, At Hicardus interea, qui cum præsidio Brixie præerat, quum haud dubiè uictores hostes totã eam belli molem in se unum breui conuersuros existimaret, singulari celeritate atq; industria, murum prioribus oppugnationibus quassatum refecit fossas purgauit, aggeribus nouisq; munitionibus muro additis, portisq; ac propugnaculis magno tormentorum numero instructis, urbem natura loci per se tutam breui inexpugnabilem fecit: mox frumenti, uini, pecoris, magna copia è proximis castellis in urbem comportata, Guelfis & suspectæ fidei ciuibus urbe eiectis, & cõmeatu omnis generis certis familijs imperato, ualidam Hispanorum manum ex his, qui Verone essent, à M. Antonio Columna, Spinelloq; Caesaris legato postulauit, contestatus, nisi ex ea copiam mature sibi subueniretur, eos postea, si acerbior casus accideret, frustra suam fidem imploratuos. M. Antonius, tametsi ueteranos milites, quos ipse paulò ante à Cardonio agrè se impetrasse meminerat, suspiciosissimo belli tempore sibi detrahi iniquo animo patiebatur, eius tamen precibus obtemperandũ esse iudicauit, ne alieno periculo minus quã suo prospicere uideretur. Itaq; delecti Morellio, Ortinsius, & Gufmanes eximie uirtutis cõturiones, cum septingentis pediti-

PAULI IOVII HISTOR.

bus, & Gothistardus uir fortis cum cohorte una Germano-  
rum, quæ summa hominum magna ex parte ex sclopettarijs  
constabat. in Verona profecti, cōductis agrestibus, qui occul-  
tiores calles ostenderent, interdium noctuq; itinere confecto  
per iuga montium, qui ad Benaciorem uergunt, saxosis ne-  
morosisq; tranitibus incolumes Brixiam peruenerunt: &  
adeo celeri improvisoq; itinere, ut Liuiani diligentiam, qui  
eos cognita profectioe, si rectis itineribus accessissent, op-  
pressurus erat, satis magno & temporis & locorum spatio  
præuerterint. Ceterum Liuianus ob eas res oppugnandæ  
Brixie cōsilio depulsus, quū multis contrā rationibus sum-  
masse capiendæ Veronæ teneretur, quod eam urbem arte  
naturaq; minus ualidam, et detractis præsidiorum prom-  
ptissimis, infirmioem esse existimabat, in supremam ualitu-  
dinem incidit. Vir enim alterum & sexagesimum natus an-  
num, quū laboriosissimo prælij die, tenue corpusculum sub  
iusto armorum pondere plurimum exercuisset, equestriq;  
agitatione uiscera penitus in herniam abiissent, incredibiles  
dolorum cruciatus sustinere nō potuit: paucisq; diebus apud  
Gbedas extinctus est. Fuit Liuianus parum liberali facie,  
& pusillo atq; incuruo corpore, plane deformis: ceterum  
ei inerat sublime ingenium ac uehemens, quod plerunq; ni-  
mio quodam uigore animi quam Imperatorē deceret, arden-  
tius et concitatius uidebatur, ita ut eum multi aliquanto me-  
liorē bellatorem, quàm ducem existimarent. Nemo tamen eo  
melius disciplinae leges percalluit, nemoq; fortius uel uigilan-  
tius singula militiæ munera obiuit: ad extremum, qui nulla  
maiorum gloria insignis, ex priuato equite ad summos ho-  
nores euaserat, omni bellica laude dignus uideretur, si in ip-  
so rerum cursu atq; negotio, consilijs eius atq; uirtutibus

Fortuna respondisset Cadauer eius exenteratum, conditumq; aromatibus, milites mœstissimi plures menses apud se in castris habuerunt, & solitum ei prætorium tetenderunt, perpetuisq; funalium flammis, & continua armatorum statione adiecta, defuncto honores addiderunt, quales uiuo tribuere consueuissent. Eo mortuo, quum ad neminem Imperij summa rediisset, & Georgij Hemi legati auspicijs exercitus regeretur, Senatus continuo ab rege postulauit, ut copijs in tanta spe conficiendi belli strenuo ac fideli duce orbatis, clarum aliquem rebus feliciter gestis Imperatorem submitteret, cui Italus miles facile pareret, & bellum summa omnium concordia administrari posset. Nec multo post Triuultius, qui unus omnium, quod uirtute atq; existimatione cæteros anteiret, ad id bellum, Venetorum ac regis iudicio destinabatur, ad exercitum cum Imperio profectus est. Interea Nauarrus dignum fama sua ratus, si nobilissimam terrarum orbis, ac munitissimam arcem intentatam antea superioribus ducibus expugnaret, circumposita militum statione ad cohibendas eruptiones, magnosq; agrestium numero, qui opus facerent mercede conducto, fossam iuxta profunditatis ab ea parte arcis, qua Septentriones spectat, breui perduxit. Vimineas turres septenos, altas pedes, quas nota ratione ac sepius à nobis demonstrata, harena implebāt, inter seq; iungebant, ante opus collocauit, erexitq; aggerem opportunis in locis in altitudinem pedum duodecim, ita ut tuto milites institutis cuniculis subterraneū opus inchoare, atq; ultrocitroq; quū res posceret, cōmeare, tormentaq; statui, ac circumduci facile possent. Quibus omnibus, nocturno maxime tempore, propter hostilium tormentorū iniuriam, munitio nibus constitutis atq; perfectis, certam oppugnandi ratio-



nem instituit, quæ pro tempore ac rerū opportunitate opti-  
 ma uidebatur: scilicet, ut turrium pinnas, & summa muro-  
 rum propugnacula maioribus tormentis discuteret, ne cui-  
 quam hostium ab ea parte cōsistendi in muro potestas foret,  
 ac simul prospelandi facultate priuarentur, atq; usu mino-  
 rum tormentorum, quorum omnis generis magnam copiam  
 in murum contulerant, hisq; cuncta pinnarum interualla, et  
 singulas de more fenestallas instruxerant. Igitur ea omnia  
 prolato ingentium cannonum & colubinarum amplissimo  
 apparatu, cōtinenti atq; perpetua uerberatione demolitus,  
 tantam earum rerum uastitatem fecit, ut à Pallancina turre  
 ad Carmelitarum propugnaculum ( ea sunt ædificiorum co-  
 gnomina ) totum pulcherrimi lateris tractum, qui ad uigi-  
 lum cōmoditatem atq; operis elegantiam, tegulis & perpe-  
 tua contignatione tegebatur, defensoribus interfectis, supe-  
 riore murorum corona defracta, bellicisq; omnibus instru-  
 mentis eadem ruina desicctis, patefecerit. Mox ad suas artes  
 conuersus, actis cuniculis succisisq; propugnaculi radicibus  
 quod arci coniungebatur, exitumq; militari portula in fos-  
 sas quàm occultum habebat, magnam eius partem funditus  
 euertit. Quo casu Nauarrini per ruinas connixi, tanta cele-  
 ritate in propugnaculū euaserunt, ut custodes metu inopina-  
 toq; periculo consternati, quū in munitiorem interioremq;  
 locum se reciperent, uix spaciū claudendæ portæ contra ir-  
 ruentes habuerint. Neq; Maximilianus ad rumorem irruen-  
 tis hostis excitatus, ut erat longo metu & curarum pondere  
 obrutus, in tanto discrimine digna duce consilia capiebat,  
 amissamq; proculdubio ea nocte arcem sensisset, quū multi  
 metu uel perfidia obsruendā tantum eam portam esse cense-  
 rent, nisi Gambarus magnitudine periculi permotus, incre-  
 pita

pita ignavia atq; perfidia, cū delectis militibus subterraneo  
 aditu ad portam descendisset, eaq; protinus patefacta, dum  
 hostes effringendæ ianue consilia inirent, occisis pulsisq;  
 omnibus, propugnaculū recepisset. Nec multo post Nauar-  
 rus, dum incautius in opere uersaretur, marmoris fragmen-  
 to caput iæus, quod hostili colubrina ab latere eam maxime  
 petente partem summa ui defraclum resilierat, oppugnatio-  
 nem ducibus suis reliquit. Periere his omnibus oppugnatio-  
 nis diebus ducenti ferme ex Nauarrinis, & magnus agre-  
 stium numerus ui tormetorum hostilium in fossis oppressus  
 est. Philippinus quoq; Fliscus, qui quondam abeunte in Ger-  
 maniam Ludouico, cum parte præsidij Pallancinæ præfue-  
 rat, & Bernardino Curtio prodente arcem, non obscuram  
 proditionis atq; auaritiæ notam subierat, dum Gallos quæ-  
 nam muri crassitudo, & quænam antiquitus internæ muni-  
 tionis uitia forent, intētiore cura perdoceret, fortuito tor-  
 menti iæu discerptus interiit: ita ut meritis cum pœnis & de-  
 stinato exitio Fortuna obijcere uideretur. Plures quoq; ex  
 fortissimis propugnatoribus Maximilianus desiderauit, et in  
 his notum equitem Aloisium Ferrarium, quum nulla diurni  
 nocturniue temporis momenta, quin utrinq; maioribus tor-  
 mentis contenderent, intermitterentur. Porrò Maximilia-  
 nus, cui Fortuna primis Imperij diebus lata omnia ac tuta  
 sponderat, quum sensim naturæ uel statis uitio imperito-  
 rum secutus consilia, parum honestis artibus se deprauādum  
 dedisset, nec facile postea imminente bello tantos curarum  
 fluctus imbecillitate atatis atq; ingenij sustinere posset, labe-  
 factatis aliqua ex parte sensibus, mente excedere ita uisus  
 est, ut neglecto priore culu, non prius interiorē tunicā exue-  
 ret, capillumue pecteret, quàm sub ortis undique pedicu-

PAULI IOVII HISTOR.

lis, pedore & foeda illuue deformis conspiceretur. Horrendæ etiam imminentium rerum species tristi animo perquietem obuersabantur: unde illi grauior morbus, quum relictis stratis, insomnes noctes perducere cogeretur. Multa cum quoq; tot curis implicitum prodigia, quæ sanas etiam mentes perturbare consueuerunt, paucis antè diebus nunciata terruerant. Nam apud Gambalottam uicum, meridiano tempore duo equites in aère humana maiores effigie inter se concurrere uisi, uictoremq; cum qui ab Gallie regione uenisse uidebatur, alterum continuò prosligasse frequentes agricolæ confirmabant. Brennio quoq; amnis Ticini socius, quem ob terræ motum corruente ingenti montium mole, lacum supra Bellizonam nunquam antea uisum efficisse memoria prodidimus, quum excrecente in immensum aquarum multitudine supra quadraginta stadia interclusæ uallis occupasset, nec iam ullis obicibus teneretur, effracta rupe, patefactoq; exitu effusus, subiectam planitiè inundauit, eodemq; impetu & lapideū Ticini pontem, & nobilissimi operis munitiōnem, quam duplici coniecto muro, & turribus admirabilè, Ludouicus sfortia interuallo decem stadiorum ab oppido in aduersos mōtes perduxerat, puncto temporis deiecit & abripuit. Inde per patentes campos horribili fragore delapsus, quū præceps Verbanū lacum peteret, cohortè Heluetiam in castra cōtendentē cursus celeritate deprehēdit: neq; miseris repentina calamitate oppressis in proximos montes euadendi fortuna spaciū dedit. Nam quū in superiora uillæ ædificia conscendissent, paulò post aucta profluentis uiolentia, conuulsis fundamentis integranate nulla deuecti miserabiliter perierūt. Qua clade pulcherrimus centum stadiorum tractus, uillis, satis, arboribus, armentis, mult

tisq;

tisq; mortalibus momento absumptis, interijt. His corporis  
 atq; animi morbis circumuentum Maximilianum, acerbio=  
 req; in dies ab infesta fortuna ictus metuentem, nonnulli ua=  
 nis sparsis terroribus, quum amittendæ arcis pericula in=  
 maius auerent, ad summam rerum desperationem perduxerunt,  
 Ioachinus ille, qui ab Agnelli colle descendentiibus Gal=  
 lis, eas angustias suspectiore negligentia omni presidio mu=  
 datas reliquerat, disseminatis sermonibus apud presidarios,  
 tristia omnibus, & certum arcis excidium ominabatur: mo=  
 liri subterraneos specus Nauarrum, quibus omnis aquæ co=  
 pia penitus auerteretur, uel corrumpetur, eumq; perfectis  
 cuniculis breui, sicuti ad Neapolim fecisset, munitiora arcis  
 loca et turres ipsas sulphureis ignibus in sublime iactas euer=  
 surum. Quæ tametsi multorum animos cogitatione periculi  
 suspendebant, à peritis tamen ut inania consutabantur, quòd  
 depressissima turrium fundamenta, quæ etiam ut humido ac=  
 cedenti in solo sublicis imposita essent, uel insano etiam labo=  
 re subterfodi non poterant: unde sibi neq; cuniculo neq; igni=  
 bus noceri posse arbitrarentur. Ea enim est horum operum  
 natura, ut tum ignes, quum solidis ac siccioribus muris &  
 cautibus inclusi fuerint, uehementissimè ad spirandum ina=  
 nos auras queritent, cunctaq; uelociter impotenti uiolentia  
 perfringant: si uerò, ut in profundis necessario accidit, molli=  
 terreno, uel modica aquarum scaturigine humentibus locis  
 cuniculi inciderent, hebetato statim puluere humoris iniuria,  
 lentescunt ignes, cassoq; labore in irritum, ut rerum magister  
 usus edocuit, resoluuntur. Igitur Sfortia, quum per eas ani=  
 mi perturbationes rerum tedio affectus omnibus suis diffide=  
 ret, & memoria paterni carceris, maiore animi molitie, quàm  
 uirum uel principem deceret, uitæ libertatisq; pericula me=

PAULI IOVII HISTOR.

tiretur, nulla dedecoris cura habita, quin se dederet, non cunctandum sibi amplius existimauit. Neq; Gambarus atq; Aquila legati, in quibus summa authoritas esse debebat, quo minus in turpi sententia perseueraret, quicquam proficiebant, quanquam grauibus cum sermonibus castigatum in spem erigere, increpitaq; degeneris animi subita consternatione, à tam foedo dementiq; consilio deterrere contenderent: ac simul testarentur foederatos principes, ipsosq; praesertim Heluetios, qui pro eius salute ac dignitate conseruanda, fratres ac consanguineos suos amisissent, iniuriam animo nunquam esse deposituros: si tam propinqua spe renouandi belli, rebus eorum atq; consilijs, intempestiua deditio-  
ne, infami praesudicio obuiam iret. At ille praesenti animo quasi sensibus receptis, egregie (inquit) ac fortiter & mihi et paternae uitaeq; gloriae uel constantissimo uitae exitu satisfacere, ut plane suadetis, nisi honestiora speciosioraq; consilia eos, qui cadentibus rebus suis pertinacius cum irata Fortuna colluctantur, plerunq; durissimis casibus reseruarent. Agnouimus enim iam pridem male auspiciati Imperij fortunam, quum seruire impotentibus foederatis cogere mur, quia tota prouincia publicis ac priuatis facultatibus spoliata, nihil mihi praeter inane principis nomē reliquerunt. Vitam ne ego ac libertatem, naturae munera, dedecoris metu, uel perniciosa uirtute despiciam, et ruentium rerum sortem iterum periclitabor, ut pro speciosis inanis & incertae dignitatis titulis insolentissimis hominibus, qui praescribunt, leges dant, & sumptus & uectigalium exquisitam rationem reposcunt, iterum seruiam? aut proditus, ac perductus in Galliam paterno in carcere, & in hisdem cathenis expirem? Imprudenter ne ego, uel ingratus, si in maiore mea iactura propriae salutis ac libertati

libertati consulero, Ferdinandi, uel Caesaris rebus præiudi-  
 casse uidebor, qui apertis consilijs, ut hoc imperium, maio-  
 rum meorū uirtute partum, nepoti Carolo adiudicarent, ali-  
 quando me extrudere cogitarunt? Quorum alter, ut qui sem-  
 per cum hoste clandestine sensisset, extremis duobus casibus  
 meis subuenire noluit. Alter, tametsi mensuris pensionibus  
 ingentes ei pecuniæ soluerentur, quum tamen bellū immine-  
 ret, in interiorem Germaniam regressus, neq; suæ dignitati  
 satisfecit unquam, neq; in meis uel miserissimi patris difficul-  
 tatibus digna Casare, uel cognato principe auxilia transmi-  
 sit: Neq; Leoni, quominus dignis pontifice conditionibus cū  
 Gallo foedus percutiat, hac necessaria deditioe impedimen-  
 to futurus existimari uelim: Qui si fallaci atq; infido Frego-  
 sio minimè credidisset, expeditioe q; consilio celerius et con-  
 stantius pristini animi deliberata peregisset, neq; ipse cū ma-  
 xima dignitatis imperijq; iactura superbis hominibus serui-  
 re inciperet, neq; ego fractis ac desperatis rebus, quod miser-  
 rimum est, apud hostem meli orē uite conditionem quaeren-  
 dam esse cēserem. Tantū uerò abest, ut publicā Heluetiorum  
 causam respicere uelim, ut illos, qui magno suo incōmodo hu-  
 ius Imperij tutelares uideri uolunt, ultro ea molestia sim li-  
 beraturus, ne si bellum renouauerint, licitatione capitis mei,  
 alteram perpetuæ infamiæ notam subeant, uel quum natura  
 factiosi atq; uenales dissentire inter se coeperint, aliam fune-  
 stiorē fortasse cladem, sicuti nuper, Dij immortales auaritiæ  
 atq; arrogantia uindices intulerunt, mea de causa contraxis-  
 se uideantur. Ita Maximilianus, ut perpetuis tandē curis atq;  
 molestijs animum liberaret, & principalem uitam nullis un-  
 quam ærumnis uacua cum priuata ac beatiore commutaret,  
 trigesimo oppugnationis die arcē dedit, his conditionibus,

PAVLI IOVII HISTOR.

ut sibi ac praefidarijs militibus res suas atq; omnem supelle-  
ctilem, praeter militarem apparatus, efferre liberum foret,  
atq; ipsi ab rege trigintaquinq; aureorū milia singulo quoq;  
anno persoluerentur, modo per publicas tabulas paterno iu-  
ri cederet, & se iniussu regis, fide data, Galliae transalpinae si-  
nes minime excessurum ullo tempore, polliceretur. Fuere ea  
tempestate multi mortales, qui Ioannem Gonzagam & Hie-  
ronymum Moronum, quorū consilijs Maximilianus innite-  
batur, ad extremum, ut rebus suis consulerent, fidem cum for-  
tuna commutasse existimarent, quod iuuenem imperitum re-  
rum, aegroq; animo fluctuantē, quem consilio atq; industria  
sanare atq; erigere potuissent, ad dedendam arcem impulsis-  
se diceretur. Quod pro uero fortasse relinqueremus, nisi tem-  
pora, quae ab euentu rerum causas aperiunt, aliquantō post  
ambos ea calumnia, Maximiliani etiam testimonio, liberaf-  
sent. Ipse Maximilianus, quum regem apud Ticinum salutas-  
set, comitantibus equitibus, qui eum liberē custodirent in Gal-  
liam profectus est. Nec multō post Franciscus, quod ante re-  
ceptam arcem suae dignitatis esse minime statuebat, Me-  
diolanum tum primū inuectus cum ornatioribus  
turmis delectisq; cohortibus, quarum duces sum-  
ptuoso apparatu instructi insigne spectacu-  
lum populo praebuerunt, de hostibus  
magnificē triumphauit.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVO-  
COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI  
*Historiarum sui temporis.*

LIBER XVI.



**I**NTEREA Triuultius ad oppugnandam Brixiam profectus, quum perspecto urbis situ, notatisq; hostium munitionibus, ad templum Euphemiae uirginis castra posuisset, aduocatis in consilium Venetis ducibus, qui sua & Liuiani cogitata in medium addu-  
erent, duplicem expugnandae urbis rationem reperiēbat. Vna erat, qua constitutis aggeribus, fossisq; perductis ad securitatem oppugnantia, tormenta subueheretur, murumq; opportuno ac debiliore in loco, maioribus tormentis ad regulam collocatis, ita diuerberarent, ut fossis murorum strage ruinaq; completis, ad subeundum facilis ascensus, & latior ad irruendum aditus armatis ordinibus praeberetur. Altera erat in celeritate posita, qua ex improviso pluribus simul in unum locum prolatis directisq; tormentis, prius murum crebris ictibus quassatū aperirent, tumultuarioq; praelio depulsis defensoribus, urbem ingrederentur, quam hostes imparati ac festinantes extruere aggerem, opportunum uē consilium in repentino negotio capere, & propugnare possent. Huius sententiae erat author Petrus Longenas equitum praefectus, uir acer & fiduciae plenus, cuius consilium pleriq;



sequebantur, qui longam ac laboriosam oppugnationem equis  
 animis expectare non poterant. Hanc, Triuultius dux uetus  
 ab longo rerum usu grauiq; ingenio ceteris prudentior, lau-  
 data priore, non probabat, ut qui ullam uictoriae partem, quam  
 tuta uel recta belli gerendi ratio promittere posset, ab auda-  
 cia uel casibus minime sperandam arbitraretur. Sed quum Lon-  
 genas propter summam locorum ac moenium notitiam, quod  
 Brixianus ciuis erat, equioribus militum auribus audiretur,  
 omnes fere in eius sententiam concesserunt. Iactabat enim ab  
 ea parte, qua Garzetta fluuiolus urbem egreditur, nullius  
 prope negotij futuram oppugnationem, si a neglecta custo-  
 dia loco nihil tale uerentes hostes adorirentur. Itaq; milites fal-  
 sis adducti persuasionibus, quod plerunq; ante periculum suas  
 atq; alienas uires iniquè estimant, et destinata consilij secun-  
 do cursu sibi successura facile credunt, prolato apparatu, an-  
 tequam dilucesceret, magna ui oppugnare coeperunt, uel ob  
 id ardentius, quod loci sollicitate impulsus, ab eodem exeuntis  
 Garzetta ostio, quum Galli frustra obsisterent, Gritto &  
 Auogario ducibus, in urbem irrupisse meminerint. Tanta ue-  
 rò murorum strages edita est, ut patefacto aditu per ruinas  
 transcensuri uiderentur. Sed contra ab Hispanis atq; Germa-  
 nis, qui summa promptitudine quod agendum foret sibi op-  
 portune, diuisis inter se muneribus, praescribebant, cuncta  
 ea, quae Veneti quam celerrimè perfici posse crediderunt, di-  
 ligentiore industria tardabantur. Enimuerò ne deessent, qui  
 uno tempore & aggerem comportarent, & moenium hiat-  
 us obstruerent, ac simul in perpetua statione consistendo è  
 muris propugnarent, per mutuas cohortes sibi inuicem al-  
 ternis horis succedebant. Vbi autem subitario munitionis ge-  
 nere, satis abundè periculis prouisum fuit, ab Nazaria

et porta, quæ latus oppugnantium ab inferiore parte respicebat, admonitu Annibalis Lanæ Brixiani colubrina directæ est, quæ, tametsi quominus certis ictibus in hostes emitteretur, crassior nebula superfusa terris, ut hyberno matutinoq; tempore accidit, prospectum impediabat, ad primum tamen ictum, uel æstimatis coniecturæ mœnium spatijs, uel ipso casu, qui bellicis in rebus ratione efficacior existimatur, tres simul tormentorum libratores interfecit. Vnde mox displosis uno tempore omnibus sclopettis cæterisq; tormentis, in eas cohortes quæ ad fossæ marginē sub signis temere progressæ fuerant, occisis amplius trecentis militibus, tantum terrorem cum insigni clade cæteris intulerunt, ut Malatesta Baleonus & Ioannes Conradus Ursinus, qui ante alios Longenæ auspicijs primas irrumpendi partes deposcerant, deserere trepida fuga omnem apparatus, celerimq; regressu suos recipere cogerentur. Quo casu Hispani atque Germani è muro stragem fugamq; hostium conspicati, quin eruptione facta perturbatos inuaderent, minime dubitarunt. Neque Hicardus insidias ueritus, neque Rodolphus Hala Germanorum dux, qui, maioribus portarum spatijs aggere obstructis, angustissima portula nequam erumpendum esse iudicabant, reprimere ardorem militum potuere. Ita duce Morellione scutis gladijsq; contenti quum euolassent, aliquot interfectis & captis, occupatisq; omnibus tormentis, uniuersos in fugam coniecerunt: maioreq; incommodo ac metu hostes affecissent, nisi Triulcius, quem falsus rumor ab extrema castrorum parte ad propinquã spem capiendæ urbis euocauerat, oppositis equitibus eorum impetum retardasset. Hispani siquidem tormentorum suorum, quæ in muro constituta fuerant, præsidio

PAULI IOVII HISTOR.

confisi, ob id aliquanto audacius perterritos insequerentur, quod si hostis forte urgeret, tutum receptum sibi dari intelligebant. In eo tumultu Hispani, ne quæ ipsi dudum ceperant, acriore hostis impetu reciperentur, omnem tormentarij pulueris copiam succenderunt: excussereq; curribus maiora tormenta, defractis eorum rotis atq; axibus, ne reduci possent: minora uera humeris impulsa in fossam precipitarunt, esse ad unum incolumes in urbem receperunt. Reliquo autem diei tempore, quæ intacta remanserant, è muro directis colubrinis ita oppugnata sunt, ut aliqua percusso metallo frangerentur, alia disruptis curribus inutilia redderentur. Eadem die Marcus Calaber equitum præfectus, quum in ipso oppugnationis ardore incautius in muro uersaretur, tormento ictus interiit. Nocte uero, quæ secuta est, Veneti per densiores tenebras extinctis ignibus, ad tormēta silenti gradu redierunt, tredecimq; ex minoribus nullo accepto incommodo reducerunt, quod hostes sulphureum puluerem cuius penuriam maximè premebantur, incertis ictibus minimè sibi absumentum esse iudicabant. Maiora autem tormenta numero decem, et ex his unum elegantis ac miræ magnitudinis, quod Liuiani Cometes appellabatur, obsessi postera die ductarijs funibus per trocleas, ergatarum artificio, è fossis in summa moenia sustulerunt. Triuultius, post id detrimentum paucorum temeritate acceptum, è conspectu hostium recedendum ratus: ut aliquo temporis spatio instaurato apparatus recreatisq; militibus, rursus ad oppugnandum reuertetur, ad tertium ab urbe lapidem copias reduxit: ac simul Veneti, ne irritò incepto abscederent, ab rege auxilia postularunt. Missusq; extemplo Brixiam Bastardus Sabaudius Caroli Alobrogum principis patruus, qui tum cognatione et gratia

gratia regis pollens potensq; magnam apud Gallos auctoritatem obtinebat. Erant cū eo supra tria milia equitum & sex milia peditum Germanorum. Sed quum superato Abdua ab Balneolum oppidum peruenissent, Germani, conspiratione facta, recusare militiam, atq; obstinatē subsistere cœperunt, quod aduersus Casarem & consanguineos suos minime se profecturos dicerent, quibus neq; bellum neq; iniurias inferre ueteris sacramenti religione tenerentur. Ceterum quæ iam capta essent se tutaturos, & aduersus quascumque gentes, si bellum ultro Gallis inferatur, promptissimam in propulsanda iniuria operam præstituros. Ea res Venetorum animos uehementissimè permouit, quod Franciscus parum Syncero consilio eius generis auxilia transmisisset, quæ ambigua fidei uiderentur, quum nullis præmijs uel obtestationibus flecti possent, quin in proposito detrectandæ militiæ perseuerarent: ac simul omnibus maleficijs tanquam in hostico forent, regionem diuturno bello exhaustam prædarentur. Quibus de causis, Franciscus, ut apud Venetos omni, fraudis uel commutatae uoluntatis, suspicione uacaret, fidemq; suam erga socios inuiolabilem esse testaretur, reuocatis Germanis, Nauarrum cum decem Vasconum cohortibus Brixiam transmisit. Is enim sicuti curato uulnere conualuerat, ita maximè ante alios, propter ueterem ac recentem gloriam mirabili operum artificio, oppugnandiq; scientia apud Mediolanum cōparatam, à Venetis petebatur. Erant enim, qui in expugnabilem arcem, eius uiri artibus omnino cessuram fuisse existimarent. Nauarrus adulta iam hys me Mediolano profectus, quum Venetis castris iam appropinquaret, in hostiū equites incidit, qui per causam prædandi omnē eam regionem repetitis excursionibus infestabant:

PAULI IOVII HISTOR.

Vixq; ut erat paucis familiaribus comitatus, in eo periculo amissis impedimentis atq; omni castrensi suppellectile, equi uelocitate eorum manus effugit. Interea Franciscus quū Heluetios uindictæ auidos, quos fremere, & bellum Italia minitari intelligebat, ullis uel amplissimis etiam conditionibus pacare non posset, ac subinde Ferdinandus & Cæsar impulsis Heluetijs, & Henrico Britannie rege sollicitato, coniuurare inter se & renouare belli consilia nunciarentur, ut imminētibus malis occurreret, colloquium ab Leone pontifice postulauit, ratus se eo congressu arctioribus fœderis uinculis eum sibi obstricturum, suspicacesq; regum animos, iniecta abditi consilij suspitione turbaturum: quod Heluctij ac socij reges, qui Leonem iniuriæ memorem, uetere partium studio minimè commutato, seruire temporibus magis quam cum Gallis ex animo consentire putabant, magnā spem in eius pecunia atq; autoritate ad cōficiendas res maximas collocare uiderentur. Et Franciscus religione etiam permotus, ad gloriam quoq; pertinere arbitratur, si Pontificem & sacrum cardinalium senatum inuiseret, simul se ipsum, qui tantus in acie fuisset, totq; regulos ac duces ad splendorem Gallicæ amplitudinis ulterioribus populis ostentaret, Leo tametsi complures principum legati & in primis Cardonius, qui ad eum uenerat, nec cum Gallo colloqui uellet obnixè precarentur, multis tamen de causis minimè sibi respuendam conditionem esse existimauit. Ita maximo illustrium sacerdotum comitatu Florentiā profectus est, ubi totius Ethruviæ concursu, magna atq; incredibili hilaritate, Florentini, ut tantū ciuem pontificemq; debebant, exquisitissimis honoribus exceperunt. Inde transgressus Appennium, quod Ethruriam Gallis aperire nolebat, gelidissimo anni tempore

Bononiã peruenit. Nec multo post Robertus Ursinus Rbe-  
 ginus, & Pompeius Columna Reatinus nobilissimi antisti-  
 tes, qui Francisco Parma digresso occurrerent, eumq; de-  
 ducerent, transmissi: quo tempore Tramilius quoq; & Lo-  
 trechius procerum clarissimi ad pontificem iussu regis per-  
 uenerunt. Postero die Franciscus cum sex milibus equitum, co-  
 mitante cardinalium senatu urbem ingressus, pontificem in  
 prætoreijs ædibus sella sedentem, exosculatis de more pedi-  
 bus, adorauit. Neq; pontifex eum regem, qui prisco cogno-  
 mine Christianissimus diceretur, ad pedes procumbere pas-  
 sus est, nam uenerabundum dextra motuq; corporis alleua-  
 uit: deductumq; in secretiorum ædium partem humanissime  
 complexus est. Erat Franciscus procera corporis statura,  
 colore lacteo, uiuacibus oculis, serena prorsus ac regia fa-  
 cie, omnium qui adessent eius ætatis formosissimus. Idq; illi  
 in primis incomparabilem gratiam addebat, quod nemo uel  
 seuerus in eo sepe imberbi grauitatem regijs moribus neces-  
 sariam desideraret, quum uersicolore ac intercisâ ueste, pi-  
 leoq; diffluentibus pennis redimito, ac licentiore sermone a-  
 pud suos palam uteretur: omnesq; tamen in castrensi comita-  
 te regiam dignitatem agnosceret. Leo sequenti die Petronia  
 no in templo, rege altaribus ministrante, sacra celebrauit,  
 ac mox quum aliquot dies secretioribus colloquis impendis-  
 set, constitutis inter se belli & pacis conditionibus, quas me-  
 moriæ prodere necessarium non putamus: Hadrianum Ardu-  
 ri Boysiui fratrem purpureo galero decorauit. Erat Boys-  
 siuius regis nutricius, atq; omnium consiliorum moderator:  
 cuius impulsu Franciscus colloquium appetisse dicebatur.  
 Regi quoq; concessum est, ut citeriore ac ulteriore in Gallia  
 sacerdotiorum redditus binis exactionibus decumaret, & con-

PAULI IOVII HISTOR.

tra permittente rege pragmatice iuris prerogatiua tollere-  
 tur: qua ( ut suo loco memorauimus ) sacerdotia, tota Gallia,  
 collegiorum arbitrio adiudicari consueuerunt. Pontifex  
 quoq; in gratiam obnixè petentis regis, Georgium Sopra-  
 saxum magnæ apud Heluetios authoritatis carcere emisit.  
 Is domi Gallicæ factionis princeps extiterat: & propter  
 cruentas atq; acerbissimas similtates, quas cum Sedunenſe  
 cardinale omnibus temporibus exercuerat, capitali iudicio  
 cõuiſtus in mole Hadriani, teterrimo in carcere ſeruabatur.  
 Precibus item pontificis, Franciſcus Proſpero Columnæ li-  
 bertatem ſe daturum pollicitus eſt: remiſſurumq; ei, ut po-  
 ſtea factum eſt, tertiam impoſitæ pecuniæ partem, quum  
 Proſper acerbitate, ducum, in quorum poteſtatem deuenie-  
 rat, triginta ſeptem milibus aureis nummis ſe redimere coge-  
 retur. His rebus ſex dierum ſpatio conſtitutis, Franciſcus Bo-  
 nonia proſectus Mediolanum peruenit, donauitq; pontifex  
 abeuntem aurea cruce prætioſiſſimis gemmis exornata, qua  
 fruſtulum Chriſtiane crucis includebatur. Ipſe non multo  
 poſt, quum per aliquot dies Carneualibus ludis, perſonatus  
 choreis & matronarum amoribus indulſiſſet, et crebris ſub  
 inde rumoribus afferetur Heluetios ac Ceſarem Ferdinando  
 & Henrico obnixè iuuantibus, conſentire in unum, atq; ar-  
 ma parare, magnis itineribus in Galliam contendit. Hiſdem  
 ferme diebus Triuultius atq; Nauarrus ad Brixiam amplio-  
 re adducto exercitu, atq; omnibus rebus ad oppugnandum  
 comparatis, ab ea parte conſederunt, qua Paulum Baleo-  
 num Obignino incluſo, urbem oppugnaffe memorauimus:  
 perpetuisq; munitionibus circumductis, trina templa, Apol-  
 linaris, Floriani, & Saluatoris, latiore ſpatio complexi, ca-  
 ſtra munierunt. Neq; per plures dies diurni uel nocturni  
 labo-

laboris quicquam intermissum est ad perducendas fossas extruendosq; aggeres, quibus tormenta aduersus hostium iniurias tegerentur. Nec multò post, nullo propè uulnere ac cepto, tota ea murorum pars, quæ ab imis montis radicibus ad arcem pertinebat, magna ui tormentorum pinnis propugnaculisq; nudata est: actiq; subinde cuniculi uarijs in locis, quibus intromisso puluere fundamenta murorū euertent, uel subterfossis mœnibus per occultissimos specus in priuata urbis ædificia penetrarent: atq; inde sensim coacta militum manu, urbem in opinantibus hostibus occuparent. Sed Triuultius diuersa ac nota omnibus ratione mœniū partem ad longitudinem pedum ducentorum, succisis radicibus, longa tibicinum serie fulcire, suppositisq; ignibus, excindere singulari studio contendebat. Fossores enim perpetua concameratione amplioris cuniculi, qui ad mœnium longitudinem secundum fundamenta proferebatur, dum opus perficerent, occultabantur. Ii murum paulò supra radices maleis uestibusq; perfringebant, subtractisq; sensim lapidibus, tigna bipedalia, crassitudine humani cruris modico pariq; interuallo inter se abiuncta supponebant: atq; ita continuo opere, totus murus perpetuis tignorum ordinibus innixus suspendebatur. Ea mox interualla, aridis uirgultis ad concipiendā flammam pice atq; oleo preparatis, tormenta rioq; puluere cõpersis implebant, quibus postea ad ducis signum uno temporis momento succensis, quū eodē igne tibicines ac tigna supposita cõsumerentur, necessario eæ mœniū partes repentina atq; ingenti ruina corruerēt. Hæc quū singulari ducum solertia atq; incredibili studio ac labore militum pararentur, per uiginti octo dies Gallica, Venetaq; tormenta nunquam cessarunt, magna introrsus murorum uasti-



PAULI IOVII HISTOR.

tas facta, magnus timor hostibus iniectus, multiq; milites utring; occisi: & inter alios Annibal Lana, qui tutissima in parte moenium resilientis pile iactu percussus occubuit. Interim milites quotidiana consuetudine inter se colloquebantur, quod prima castrorum munitiones adeo moenibus subiectae erant, ut telum e muro facile in eas adigi posse uideretur. Galli enim ac Veneti obsessis famem omniumq; rerum inopiam, atq; omnis auxilij desperationem obieciabant, ac mortem aut uincula comminabantur, quod eos, si per conditiones deditioem facere uellent, minime se recepturos esse iureiurando confirmassent. E contrario Hispani Venetis ignauiam exprobrabant, quum se iterum omnem eorum apparatum adempturos eruptione facta denunciarent: magnopere uero se Gallorum uicem dolore dicebant, quodeo anni tempore, qui in tepentibus & bene cultis Insuorum domibus, pellicea ueste et largioribus epulis uti consueuissent, niuis ac imbrium atq; aquilonis iniurias pro aliena causa paterentur. Quum per hunc modum milites facete contumelijs inter se contenderent, Nauarrinus miles, ut linguam iactantiamq; Hispanorum, iniecta cuniculi suspitione reprimeret, Hispani ce loquutus, commilitones, inquit, qui extremis etiam rebus uestris tam secure iocamini, caute ne a uobis contumeliarum rationem reposcamus, quum Gallina pede scalpere ac fodere humum aliquando desierit. Quae uerba acuti & perspicaces Hispani, qui in muro erant, sanis auribus acceperunt, eaq; altius interpretati, Nauarrum pro Gallina specus cuniculosq; moliri, quod peculiare eius hominis artificium foret, ab sua gentis milite perlusum caute sibi significari iudicauerunt. Nec mora ea res pluribus simul signiferis ac centuriobus comunicatur, ad Hicardumq; concurritur. Ille qui pro-

pter

pter loci moeniumq; naturam atq; eius hostis ingenii, qui in his artibus maxime inniti consueuisset, hæc eadem multum antea accidere sibi posse cogitabat per eam urbis partem quæ proxima castris & subiecta periculo uideretur, diligentissimos homines circummittit, qui cuncta explorent, priuatas domos, templa, cœnobîa ingrediantur, scientissimiq; perquirant, an aliqua cuniculorum uestigia reperiri possint. In id quum omnium militum animi summo studio intenti essent, alij passim omnibus silentibus strati, ut terræ motum notarent, aurem solo applicabant: alij tympana militaria solo deposita, si concussis leuiter membranis, uel tenuissimè personarent, contemplabantur: alij capacissimas pelues, uasq; aenea omnis generis aqua repleta, si remulis motibus agitarètur, intentissima cura omnibus locis obseruabãt: quibus argumētis subterranei operis motiones necessariò deprehenderètur. Nec multò post certo in loco animaduersum est terræ superficiem manifestè cōmoueri. Quam ob rem singulari omnium letitia contrarium illi cuniculum instituerunt. Erant multè in urbe milites horum operũ peritissimi, qui artem superioribus temporibus præceptore Nauarro didicerant, pluresq; Germani, quibus omne genus cuniculorum notissimò erat, propter argentarias secturas, quæ apud eos ad Hercyniæ regionem sunt frequentes. Ex his nonnulli etiã inter Gallorum præsidia Bononiæ fuerant, & se Nauarri artibus cōtrarijs cuniculis feliciter occurrissè meminerant. Quibus de causis continuato labore, ac pluribus simul perductis cuniculis, facillè per obliquos meatus ad hostium opera peruenerunt. Quo causa leti milites ab opere desistunt, relictiq; in extrema cuniculi parte paruis foraminibus quibus introspicere possent, silentio adduces reuertuntur.

PAVLI IOVII HISTOR.

Disputatur in consilio, an sulphurei pulueris cados, qui in eum locum ab hoste conferebantur, ex occasione discessus eorum subtrahere furtim, asportareq; deberent, quod magnam eius rei inopiam diu antea sentire cœpissent, an opperiri tempus præstaret, horasq; captare, quibus Triuultius atq; Nauarrus gratia inspiciendi operis in eum cuniculum se demittere consueuissent, ut illos iniectis ex improviso igniuomis globis, miserabili morte concremarent. Sed Dij immortales, qui ut præditos insigni uirtute homines diutius seruent, plerumq; imminentis Fortunæ impetum benignitate præuertunt (ut sæpe antea fecerant) illos ea quoq; die protexerunt. Nam miles, qui subeuntes expectare debebat, cuique perficiendi negotij cura fuerat demandata, quæ aliquos & in his cuniculi magistrum cultiore ac serica ueste indutū uersari in cuniculo per ambiguas tenebras conspexisset, ut qui se destinatos duces enecaturum existimabat, moræ impatiens, iudicioq; deceptus, ambustis aliquot hominibus totam adiuuenti cuniculi rationē hostibus patefecit. Neq; tamen Triuultius atq; Nauarrus, tametsi multorum dierum labor puncto temporis interiisset, quicquam ex alijs operibus remittendum sibi esse iudicarunt, quod obsessos, necessarijs rebus magna ex parte consumptis, sublata spe stipendiorum, auxilijs desperatis, extremas rerum difficultates non esse toleraturos intelligebant. Iam enim Hispani atq; Germani quum inceleritate, uel diligentia Cæsaris nullam spem collocarent, quod eum incertis tardioribus consilijs momēta Italici belli respecturum arbitrarētur, stipendiū procacius atq; arrogantius, quàm in obsidione deceret, efflagitare, miseros ciues uiolatis hostitij iuribus præde loco habere, ducibus atrociam comminari, Cæsaremq; maledictis & probris incessere

re cœperant. Quin etiam, quum Gurcensis Cardinalis ad sis-  
 stentandam eorum spem, uentura ad certam diem auxilia  
 pluribus literis significasset, neque ea post modum compa-  
 ruissent, morionem a sello impositum Imperatorij insigni-  
 bus atq; aquilis exornatum, lagenas collo suspensas deferen-  
 tem, per urbem deduxerunt, & pro Cæsare, ueluti ipsis au-  
 xilio superuenisset, tumultentius quàm quisquam crederet,  
 fœdis acclamationibus salutarunt. Neq; abditi duces ac plu-  
 rimum de salute solliciti, detestabilem ac nefandam eorum pe-  
 tulantiam auctoritate castigare, uel ulcisci suprema Imperij  
 potestate, ne seditionem miscerent, audebant. Hisdem ferme  
 temporibus, Cæsar in Vindelitiam redierat: imperatisq; mili-  
 tibus, qui Brixianis auxilio mitterentur, ad quindecim co-  
 hortibus armauerat: maiusq; bellum, ad uictoriam Gallorum  
 excitatus, ingenti animo moliebatur. Superiore enim astate  
 quum Franciscus tantis coactis exercitibus aduersus Helue-  
 tios bellum pararet, ipse, ueluti neglectis Italiae rebus Vien-  
 nam in Pannoniæ fines abscesserat, ut cum duobus Septentrio-  
 nis regibus colloqueretur. Conuenere enim Vladislaus Hun-  
 gariæ, & Sigismundus Poloniæ reges, atq; ipse Cæsar in pa-  
 tentibus campis, nemoq; fuit paulo notioris nominis Sarma-  
 ta, nemo illustris Pannonius, nemo è tota Germania, qui toga  
 uel armis clarus esset, quin regem suum cum ornatiore tur-  
 ma equitum minimè fuerit comitatus. Aderant Thomas Stri-  
 gonienfis, & Longus Gurcensis Cardinales, aderant Dano-  
 rum & Gothorum regis legati, Bohemorum & Marcoman-  
 norum Senatus, & totius deniq; Europæ principum orato-  
 res. Multa eo concilio, quæ ad rerum quietem pertinere ui-  
 debantur, pertractata: actumq; in primis de Moscouitis, qui  
 infesti Lithuanis, etiam tum Smolenchum uicaptum retine-

PAULI IOVII HISTOR.

bant: quibus Caesar propter affinitatis necessitudinem, quæ sibi cum Basilio corum rege intercedebat, fauere uidebatur: magnosq; omnium studio deliberatum est de auertendis Turcarum incursionibus, quibus finitimæ Illyricæ & Pannoniæ regiones euastabantur. Visaq; est sed non capta ipsa rerum occasio gerendis bellis efficacissima, quum Selymum aduersus Aladolum regem cum omnibus copijs in Minorem Armeniam profectum esse cognouissent. Pacem subinde ac foedera inter se percussa, arctissimis cognationibus additis, obstrinxerant. Nam Caesar Ludouico Vladislai filio, Mariam nepotem suam Philippo filio genitam, collocauit. Carolum uerò, aut certe Ferdinandum alterum ex nepotibus, Ludouici sororem, quem nubilis foret in matrimonium ducturum recepit. Bona quoque Ioannis Galeacij Sfortiæ filia, cuius amitam ipse Caesar antea duxisset, Sigismundo regi desponsata. Secretiora denique de maximis rebus inita fuere consilia, quæ sicuti ipso rerum exitu nihil memoria dignum pepere-  
runt, ita ea nos literarum monumentis minime tradenda esse censuissimus. Sed dum cohortes in Vindelicia, commeatus, pecunieq; parantur, qui Brixie presidio erant, quod minorem iam cura absentis occupatiq; Caesaris, & difficultate alpino-  
rum iterum angustiora sibi in dies futura omnia existima-  
bāt, de deditioe cū hostibus agitare cœperūt. Erāt ij nonnul-  
li ante alios signiferi ac centuriones, qui spe amplioris pecu-  
niæ, quæ à Venetis offerebatur, et tædio diuturnæ obsidionis  
adducti manipulares suos deprauarant, actūc maximè, ut se  
dederent, et laboris præmia, quæ certius ab hoste, quàm à Cæ-  
sare promerentur, accipere maturarent, habitis per con-  
tubernia conciliabulis adhortabantur. Neque gregarij mer-  
cenarij; milites, qui parum decori ac gloriæ, quæstui uerò  
plurimum

plurimum student, tamen si paulò ante iactarant se non prius  
 de deditioe cogituros, quam omnes obsidionis acerbitates  
 pertulissent, uoluntati centurionum suorum desuerunt: pu-  
 blico namque consilio decretum est, ut legati ad Triuultium  
 de deditioe mitterentur. Postulabant ut uiginti dierum in-  
 duciae forent, intra quod tempus, si auxilia à Cesare minime  
 mitterentur, urbem dederent. Trimestre uerò stipendium  
 singulis praesidiarijs militibus ab hoste persolueretur, quibus  
 liceret, quum urbe decederent, uexilla praefere: tuba ac  
 tympanis more militari uti atque omnem bellici apparatus  
 suppellectilem asportare. Neque Triuultius eas conditio-  
 nes, tamen si inflatius quàm pro dignitate duorum exercitu-  
 um foret, ab obseis proponerentur, respuendas esse iudica-  
 uit, quod parari auxilia in Germaniae finibus per Venetos  
 exploratores audiebat, & satis ad laudem profectum arbi-  
 trabatur, si eos hostes, & in primis Hispanos qui pro laude  
 ac gloria in perferendis belli difficultatibus patientissimi exi-  
 stimari uolebant, ad extremum intempestiua ac celeri rerum  
 desperatione compulsos, ad deditioem perduxisse diceretur.  
 Sed uix dum Bonualles Gallorum equitum praefectus ad tra-  
 ctandas deditiois condiciones à Triuultio ad Hicardum  
 missus, re perfecta tabulisq; confectis ab urbe in castra redie-  
 rat, quum frequentibus nuncijs allatum est Cesarianos Rhe-  
 ticis culminibus digressos aduētare: eosq; biduo post cum ar-  
 mentis, commeatu, ualidisq; auxilijs affuturos. Quibus co-  
 gnitis Triuultius, ne repentino Germanorum aduentu, ac si-  
 mul uno tēpore subita Brixianorū eruptione aliquod incom-  
 modū ancipiti cōtentione distractatus acciperet, castra con-  
 traxit: admonitisq; praefectis atq; omni ordinū centurioni-  
 bus, ut paratos ac intētos milites continerent, tormenta, quae

PAULI IOVII HISTOR.

sub muro erant, reduci ad Euphemiae uicum, atque id ociose admodum & quiete administrari iussit, ne concursatione & frequentia militum, callidus et arrectus hostis in aliquam uel noui consilij uel concepti timoris suspicionem adduceretur. Hispani tamen è muro, quòd tormenta reducerentur, admirati, quum nullum interea per pactionem telum utrinque mitteretur, eius consilij causam à Venetis Gallisque requirebant, & crebrò num timerent, uel acceptae fidei induciisque diffiderent, notos quosque appellando sciscitabantur. Contra illi, quòd multorum dierum inducias concessissent, & clausis niue geluque alpibus, nulla eis ab Cesare uentura auxilia manifeste perspicerent, ueluti perfecto negotio, instrumentum omne bellicum se colligere respòdebant. Interea Guilielmus Rochandulphus multis militiae experimentis apud Germanos clarus, cum Ludouico Lodronio, qui propter multas Alpinarum gentium clientele, atque opportuna castella quae in Tridentinis obtinebat, montium locorumque omnium naturam, & inuisitata quaeque itinera apprime nouerat, per niuosos atque abruptissimos tramites cum auxilijs Ansum peruenit. Id erat castellum trigesimo ab urbe miliari petrae impositum, ubi coeuntes inter se montes, asperum conuallem, insuperabilesque angustias faciebant, quod Ursatus Priulus Patricius Venetus cum mediocri praesidio tuebatur. Is tanta, ut belli insolens erat, Germanorum multitudine perterritus, quum illi horrendo ac truci ululatu, nisi portae statim aperirentur, omnia mox uictis extrema supplicia denunciarent, repugnante Tonsio Bagnacaballo forticenturione, arcem continuo dedit: unde illi non multò post exitium partum. Nam qui insani metu territus uita pepercisse uidebatur, timoris ac ignauiae reus, Veneto in foro ca-

pite

pite multatus est. Rochandulphus castello atque angustijs  
 celeriter potitus, inde mouit: nihilq; intermisso itinere, prius  
 signa ac copias è proximis collibus ostendit, quàm Brixiani  
 quicquam de eius aduentu nuncijs uel fama compertum ha-  
 bere potuerint: quòd tanta diligentia Veneti itinera locaq;  
 omnia dispositis præsidijs obseruabant, ut qui mandata uel  
 literas deferrent, sine manifesto uitæ periculo commeari non  
 possent. Montani quoque homines qui pertinaci fide Vene-  
 tum nomen omni tempore coluerunt: neminè impunè trans-  
 ire patiebantur, eòq; bello supra quadraginta notos specu-  
 latores, qui è Brixia Veronam, uel è Germania in eas urbes  
 mittebantur, deprehensos necatosq; arboribus passim nulla  
 interposita dubitatione suspenderant. Quæ res insperatum  
 repentinumq; Rochandulphi aduentum fecit: et manifestam  
 hostium tormentis salutem attulit. Rochandulphus quòd plu-  
 res boues, et aliquantum pecuniæ in stipendium, magnamq;  
 sulphurei pulueris copiam, & septem milia peditum addu-  
 xerat, summa omnium gratulatione exceptus est quanquam  
 multi tacitè aduentum eius molestè ferrent, quòd sublata de-  
 ditionis occasione, certa spe præmiorum quæ ab hoste pro-  
 ponebantur, manifestè decidissent. Erant plures, quum aduo-  
 cato statim concilio, sententiæ de belli ratione dicerentur,  
 qui cibo ac modico somno recreatis militibus, eadem nocte  
 erumpendum, atque ad oppugnanda castra hostium con-  
 tendendum esse censerent. Id Hicardus ipse & Rodulphus,  
 Hala ac Vbertus Gambaræ ueteresq; milites probabant, qui  
 celeri audacia, factòq; uirtutis periculo deleri imparatos ho-  
 stes, & bellum facile confici posse iudicabant. Triuultius  
 enim paulò ante cognito Germanorum aduentu, ut equita-  
 tum, quem magno usui minimè sibi futurum asperis præci-



## PAULI IOVII HISTOR.

fisq; in locis intelligebant, in patentiores campos educeret,  
 ad Ghedas ita se receperat, ut eum ueluti loci distantie confi-  
 sum, & à fesso ac fatigato hoste ea maxime nocte nihil tale  
 uerentem oppressuri nocturno impetu uiderentur. Sed Ro-  
 chandulphus, quum iniussu Caesaris dubij atque audacis con-  
 silij fortunam, quæ, ut bellici ferunt casus, uel mediocri etiam  
 clade illata resurgentes partium uires, & maiora iam Cæsa-  
 ris consilia perturbare & euertere possent, se tentaturum  
 negaret, prolatisq; Cæsar's mandatis quibus ille præscri-  
 pserat, ut Brixia metu liberata contentus foret, omnes eius  
 consilij cogitationes interrupit. Nec multò post, quum du-  
 riores de se rumores audiret, quod multitudine suorum mi-  
 litum aliquantum plus famis, quam pecunie uel comæatus  
 intulisse diceretur, ad parandam pecuniam, qua militi stipen-  
 dia soluerentur, duabus cohortibus in præsidij supplemen-  
 tum Brixie relictis, in Germaniam reuersus est. Iam enim  
 Germani æquæ ac Hispani, impellente uel coniuente Hala,  
 qui uetere odio atque emulatione Rochandulpho tacite in-  
 sensus, omnem eius authoritatem militari petulantia, commi-  
 nui ac lacerari magnopere cupiebat, fremere cœperant: nec  
 à maledictis minisq; palam abstinebant, quod sine stipendijs  
 in ea rerum omnium inopia, quum per occasionem explo-  
 ratæ uictoriæ diuturnum simul bellum & longam duramq;  
 militiam finire possent, ipsa illa tot periculis cognita uirtu-  
 te, inutiles muro inclusi, & uinctis planè manibus timidissi-  
 mi cuiusq; ductis imperio tenerentur. Mox gliscente insania,  
 quæ deterrimus quisq; seditionis facies accèderet, quod sum-  
 motis hostium castris erumpendi prædandiq;, ut quotidiana  
 exercitatione consueuerant, facultatem amississent, summa  
 procacitate atq; licentia, debitas sibi pecunias ab ducibus ef-  
 flagitare

flagitare coeperunt, atq; in Hicardum, qui ut tumultuantes  
 auctoritate pollicitationibusq; sedaret, concionem aduoca-  
 rat, inclinatis intentatisq; cuspidibus impetum fecerunt: Ac  
 nisi circumstantes de more signiferi trepidantem superiectis  
 vexillis contexissent, quæ ferro tangere fas non ducunt, &  
 ueluti sacrosancta etiam scelestissimi uenerantur, proculdis  
 bio sceleratas manus nefaria ducis cæde maculassent. Eum ta-  
 men metu exanguem, hastarumq; ictibusq; uiolatum discer-  
 pta ab humeris ueste, ut maiore contumelia afficerent, in do-  
 mum adamatae nec arridentis matronæ captiuum pertraxe-  
 runt: neque centuriones, aut alij duces, qui ab initio tumul-  
 tus ut saluti suæ cōsulerent secretioribus se locis abdiderant,  
 tot consternatis atque minacibus occurrere uel prodire au-  
 debant. Quum tamen aliquo temporis spatio præseruida se-  
 ditionis insania refrixisset, atque ipsa cogitatione sceleris tur-  
 bidorum atque ferocium animi sanarentur, gregarij præci-  
 pue milites poenitentia et pudore confusi suos duces, qui me-  
 tu tanquam à sceleratis diffugissent, sic animo atq; oculis re-  
 quirebant, ut dubitantibus ac pavidis publicā fidem darent:  
 ac nihil in posterum eius nocituros esse, interposito iureiur-  
 ando pollicerentur. Centuriones posito timore è latebris ad  
 cohortes rediere, Hicardus quoq; pristinae dignitati restitui-  
 tus, quod unicum sedandæ seditionis remedium relinqueba-  
 tur, pecuniam miseris ciuibus imperauit: eamq; per omnes  
 modos acerbissime extortam militibus diuisit, ut alienatos  
 ab se animos aliquo donatiuo deliniret. Quæ res Vberto Gã-  
 bare in primis ceterisq; Cesarianæ factionis principibus,  
 qui cogendæ pecuniæ rationē inueneran, magnam conflauit  
 inuidiam: quod illi, ut bellicis difficultatibus insana quadam  
 ambitione subuenirent, utq; in Casarem præclariorum eorum

## PAULI IOVII HISTOR.

studium uideretur, neque priuatis opibus suis, neque calamitate  
 tose ciuitati, euerseque propemodum patrie pepercissent.  
 Dati subinde militibus obsides, Alexander Balbianus uirtute  
 bellica & natalibus clarus, & Iacobus Tropius, qui in fini-  
 bus Noricorum, propter amplissimas facultates summam  
 auctoritatem obtinebat. Ii pro Cesare atque Hicardo rece-  
 perunt, promiseruntque: si id minime prestaretur, de suo om-  
 nibus stipedia persoluturos: Hicardus etiam sacramento ada-  
 ctus iurauit se non prius urbe decessurum, quam ab eo prin-  
 cipe in cuius potestatem futura esset, siue Cesar, siue hostis fo-  
 ret, Trimestris stipendij pecunia numeraretur. At Rochan-  
 dulphus quum in Germaniam ad Cesarem peruenisset, expo-  
 sitis Brixiani presidij difficultatibus, pecunias ut promise-  
 rat, quanta maxime poterat celeritate coegit, eundemque Lo-  
 dronium, qui deferret, cum quinque cohortibus misit: sed Lo-  
 dronius non eadem itineris foelicitate usus est: Nam Veneti  
 cognita eius profectio, Ioannem Conradum Ursinum cum  
 ualida manu peditum, qui Germanis occurreret, ad angusti-  
 as praemisissent. Iam Germani ad Ansum peruenierant, quum  
 Ursinus qui eos longius abesse putauerat, eodem ut in pago  
 consisteret, atque eas angustias tueretur, multa nocte super-  
 uenit. Re inopinata uehementer animo perturbatus, quod  
 se in eum locum inexplorato demisisset, unde cohortes sine  
 detrimento uel infamia se recipere nequirent, quum se om-  
 nibus partibus inferioribus, si lucem opperiretur, futurum in-  
 telligebat, noctem, quam casus obtulerat, ad consilium uer-  
 tit, adortusque semisopitam multitudinem, priusquam arma  
 capere, uel coire in ordines possent, caesa statione uniuersos  
 in fugam dedit. Ioannes Stennius militari uirtute atque pru-  
 dentia insignis, qui cohortibus praerat, dum pertinacius ir-  
 ruentibus

ruentibus resistit, obruncatus est. Lodronius in potestate  
 hostium uiuus deuenit, cæteri scæda in tenebris fuga per sa-  
 lebrofam conuallē ardentibus casis quas tenuerant, niuosos  
 montes petiuerunt. Desiderati sunt ex Cæsarianis paulo mi-  
 nus trecenti milites, in quibus fuere supra quatuordecim ho-  
 nestiore loco nati, quorum cadauera à conquistoribus Tri-  
 dentum delata sunt. Quæstorē uerò cum ipsa pecunia fugi-  
 entem, quod unum ad summū Veneti militis foelicitatem de-  
 fuit, nox iusto obscurior, notaq; itinera, & proxime palu-  
 dis nauigium è manibus insequentium eripuerunt. Eodem  
 quoque tempore Hispanorum cohortes duæ, minimè cogni-  
 ta Conradi atq; hostium profectio, ut tutior uenientibus  
 Germanis accessus redderetur, Ansum Hicardi iussu con-  
 tendebant. China enim antiqua è specula, quæ Culmea ho-  
 die dicitur, Lodronius fumo atq; ignibus significatione sa-  
 eta, Brixianos de suo atq; auxiliorum aduentu, ut inter se  
 constituerant, fecerat certiores. Sed Hispani quum iam ap-  
 propinquarent, ac propè in manibus hostium essent, sorte  
 quadam ab ignaro rudiq; agricola seruati sunt, qui illos si-  
 militudine armorum deceptus, ex Nauarrinis esse iudicans,  
 è præcipiti conuallis ripa tarditatem eis per iocum obiectan-  
 do illudendoq; quòd præde minime interfuissent, rem uti ge-  
 sta fuerat explicauit. Quibus cognitis è uestigio: ut necesse  
 erat pleniore passu Brixiam regressi & de periculo suo, &  
 de Germanorum cæde nuncium pertulerunt. Sublata spe Cæ-  
 sarianæ pecuniæ, quum milites se omnibus necessarijs re-  
 bus egere dicitarent, & prolixè pollicerentur, quum sti-  
 pendium accipissent, se protinus hospitibus, ac creditoribus  
 suis præsentī pecunia satisfacturos, noua indies onera ex-  
 haustis affectisq; ciuibus imponebantur. Ipsi quoq; Ger-

PAULI IOVII HISTO.

mani ac Hispani equites peditesq; commesti, ut inopiam industria sublearent, publico & privato consilio interdium noctuq; portis erumpebant, & uicinam hostium castris regionem prædabantur. Contra Triuultius & Veneti duces, quòd uera ui atq; oppugnatione parum profecerant, obsessos, à quinto ab urbe miliari, fame ac inopia rerum expugnare contendebant. Quibus de causis quotidie pluribus in locis equestri ac pedestri prelio certabatur, noueq; in dies ab utrisq; insidiarum rationes reperiebantur. Paucorum enim dierum interuallo Mercurius cum Epirotis equitibus, Franciscum Hicardi fratrem, qui alæ præerat incaute cum paucis in insidias prolapsus interceptit. Ex aduerso Hispani equites ad Balneolū matutina excursione progressi, Villanouam Gallorum equitum præfectū cum amplius triginta equitibus, commisso certamine uictum comprehensumq; Brixiam perduxerunt. Nec multò post quum Malatesta & Camillus Martinengus, ut redeuntes à frumentatione hostes intercluderent, cum ualida equitum manu opportuno ac depresso in loco consedissent, ad emissarij pontem acerrime dimicatum est. Quæ pugna pauci Hispani equites leuis armaturæ, qui bucculatis galeis, solidisq; thoracibus & crassioribus hastis, cataphractorum more, uti didicerant, magnam hostium multitudinem loco pepulerunt, & falsa specie aduentantium Germanorum peditum perturbatis Venetis, capto canillo, Malatesta fugato, pluribusq; equitibus interceptis, uictores in urbem redierunt. Paucos autem post dies Camillus & Franciscus Hicardi frater permutatione facta, suis utrinq; restituti, Gallus autem pecunia se redemit. Per eos quoq; dies centum ferme Hispani atq; Germani pedites, qui sine uexillo præditum exierant, & maioris pecoris

coris non paruum numerum, pluresq; captiuos Brixiam adducebant, sexcentos amplius hostium equites magna contentione prædam recipere conantes, egregie sustinuerant. Nam in Garze torrentis, qui tum forte exaruerat, alueum demissi quum ripis ab lateribus munirentur, & circumpositis sclopetarijs promptissimisq; hastatorum in fronte ac in tergo collocatis prædaq; in medium recepta, quiete admodum regrederentur: nemo hostium tam fortis uel insanus fuit, ut de spectâ eorum paucitate accedendo irruendoq; conserere manus auderet. Ita cum magna laude Valastichim ducis, qui auctor profectiois extiterat tribus horis continenter, circumfusis insequentibusq; hostibus eminus pugnando, ad unum inuolumes Brixiam peruenerunt. Hisdem quoq; temporibus. M. Antonius, qui cum præsidio Verone præerat, diurnis nocturnisque excursionibus Venetos fatigabat. Expedito enim equitatu, quum patentes campos percurreret, ac sepius cum præsidio currilium tormentorum atq; ampliore cohortium turmarumq; numero in speciem iusti exercitus, ex occasione repentinas faceret expeditiones omnem circumiectam regionem impune populabatur. Commeatus sulphureum puluerem, impedimenta q; rerum castrensiu, quæ in Venetia supportabantur, intercipiebat. Alieniaci enim arcem per eos dies tormētis secundo amne ratibus deuectis, sub ita oppugnatione adortus, deditibus sese ad primum uitæ periculum præsidarijs, occuparat, ibiq; propter magnam loci opportunitatem suarem Hispanum cum præsidio reliquerat. Quibus de causis, neq; milites, neq; tabellarij, neq; ullius generis negotiatores, nisi furtim, magnoq; cum periculo, commutare audebât. Ob ea Triuultius, ut regionem itineratq; omnia maioribus præsidijs tueretur, Paulum Mansroniũ, et

PAULI IOVII HISTOR.

Mercurium Epirotam cum magna parte equitatus, cuius operam in oppugnanda Brixia minus necessariam iudicabat ad Mincij ripas prae miserat. Quorum aduentu, Veronensium eruptiones aliquantū repressae quod ex equato utrinque periculo, Antoniani late excurrere, uel impune uagari non poterant. Sed dum singulari studio utrinque insidiae struerentur, ac uterque per idoneum locum, & certam ad nocendum occasionem enisus speculatoribus circumspectaret, M. Antonius consilia conatusque hostium nocturna expeditione praue nit. Enimvero quum delectis cohortibus, tormentisque & ueterano equitatu Verona eductis, confectoque per noctem itinere, Vallegium contendisset, hostes qui tum forte ad se opprimendum, Mincij pontem transibant, adeptus est. Quo casu Veneti aduentantiū pedum uexilla è proximo conspicati, quibus tamen si equitatu longè superiores erant, se impares futuros arbitrabantur, citra pontem se recipere coeperunt. Antonius ne dum dardius subsequentes cohortes suas expectata, hostis è manibus elaberetur, leuis armaturae equites qui distinerent, & contracto certamine abeuntes demorerentur, celeriter immisit: mox ipse quum Veneti egregie impetum sustinerent, cum cataphractis insequutus sum motos loco pepulit, & perturbatos ultra annum refugere coegit. Erat in argine ripae pons sublicius et angustus, & lacer, qui in lateritium maioremque pontem transmittebat, cuius lateritij extruendum caput Galli ingruentibus Heluetijs ( ut suo loco monstratum est ) fuerant demoliti. Per eum Antoniani quatuor primo equites insignis audaciae, mox alij atque alij quin peruaderent non dubitarunt: et ad propugnaculum usque perterritos toto pontis spatio propulerunt. Obstitit irruentibus aliquandiu egregie. Iulius Mansionius Pauli filius im-

piger iuuenis cum globo cataphractorum ab oppido in primam aciem transgressus, pugnatumq; est acriter medio in ponte crescentibus uirinq; subsidijs. Ceterum superueniente Antonio, qui appropere pedites, & displodere tormenta ad incutiendum terrorem centuriones iusserat, Veneti foeda fuga disiecti, fugatiq; sunt: Iulius suffosso equo captus est, & cum eo amplius ducenti equites, binaq; alarū signa intercepta. In eo certamine Petri Francisci Columnæ in primis, & Caesaris Phileti alæ præfecti, Succariq; Belgæ, & Traiani Staffe Perusini, uirtus enituit, qui grauiter in facie uulnerati discesserunt. Paulus qui per patentes campos diuerso itinere speculatum processerat, simulq; Mercurius, qui Hispanos pedites ab extremo agmine dum pugnetur frustra adortus fuerat, cognita suorum fortuna saluti sibi fuga consuluerunt. Antonius quoq; non multo post Iacobum è uico Varonis, qui cum Liuiani alarijs, Græcisq; ali quot equitibus Cabilloni supra Benacū incuriosius agebat, improuisò adortus, multis eū insignibus equis maioreq; alæ uexillo, ac omni militari suppellectile spoliavit. Post id factum M. Antonius longè lateq; pabulatoribus suis cãpos aperuit, finitimisq; hostium præsidijs terrore illato, liberius q̃ antea censuerat, circumiectam regionem peruagatus est. Dũ hæc ad Brixeam gererentur, Caesar & Heluetij iunctis inter se uiribus, aduersus Gallos expeditionē parabant. Seducensis enim cardinalis, quo nemo in fouendis partium studijs flagrantior, nemo in gerendis rebus uehementior fuit, pagos oppidaq; percurrrens, ad capeffendum bellum uindicandosq; fortissimos uiros, qui pro dignitate Heluetij nominis cecidissent, magnam eius gentis multitudinem suscitabat: quanquam pagorū magistratus nihil publicè de bello Gallos



PAULI IOVII HISTOR.

co decreuissent, ut qui multis de causis communi consilio sua  
 scipere bellum nollent: & iuuentutem tamen stipendia face  
 re, atq; aduersus proprios hostes, Caesaris auspicia sequi in  
 ea rerum occasione paterentur. Henricus quoq; Britannus  
 per Richardum Paccum legatum, eos, ut arma ceperent, ob  
 nixè fuerat adhortatus: ac tum maximè ingentem pecuniam  
 in bellicos sumptus pollicebatur. Defuncto enim Ludouico  
 quum uetere odio Gallis inensus, prosperis eorum successi-  
 bus inuideret, nec Franciscum immiscere se Scoticis rebus  
 & quo animo pateretur, Maria sorore in Britanniam reuoca-  
 ta, ueluti scederibus morte ipsa dissolutis, ad antiquam re-  
 gum amicitiam se receperat. Siquidem Franciscus, qui Sco-  
 tiæ regnum, sicuti semper in clientela Gallorum fuerat, haud  
 dissimulante Gallicis auspicijs regi atq; administrari ma-  
 gnopere cupiebat, ut Britannos, qui quotannis populari  
 fremitu arma Gallia cōminabantur, domestici belli metu in-  
 iecto, ab inuadenda continente deterreret, Ioannē Stuardum  
 Albanæ regulum in Scotiam destinarat. Erat Albanus Iaco-  
 bi regis, qui Tylensi in pugna occubuit, patruelis, multosq;  
 annos cum laude Gallicis in castris militarat. Is postquã cum  
 Gallorum manu in Scotiã uenit, ut nouam per suæ factionis  
 homines regni administrationem constitueret nonnullis qui  
 magistratus obtinebãt gradu pulsus, Hunc cum ipsum pace  
 belloq; clarissimum, pueri regis nutriciũ, ac regni procura-  
 torem capitali supplicio affecit. Margaritam reginam quæ  
 Gulielmo Angosio uni ex proceribus nupserat, adempto ei  
 filio rege, quòd cum in Angliam furtim asportare uelle dice-  
 retur, Ildeburgo regia aufugere coëgit: uirumq; eius &  
 quos sibi suspectos arbitrabatur, proscripsit. Quæ omnia  
 Henrici animum haud mediocriter ab amicitia Gallorũ alie  
 narunt,

narunt, tamesi ille sororem Margaritam oderat, quod uix-  
 dum absterfis ab regis funere lachrymis, priuato consilio  
 uirum imparem regie stirpi, suspecta parum pudici amoris  
 impatientia, quasiuisset. Eum etiam Ferdinandus socer plu-  
 rimum impellebat, & per legatos ac literas hortabatur, ut  
 Taroanne Tornacoq; prospiceret, quando ea continentis  
 urbes parua manu exiguaq; pecunia contineri possent si Gal-  
 lus aliarum gentium bello destineretur. Ferdinandus enim  
 Petro Durrea ad Heluetios misso, Casarem ad id bellum ani-  
 mo erectum, magna spe auxiliorum impleuerat, classesq;  
 Neapolitanam atq; Hispaniensem primo quoq; tempore ad  
 nouandas res in Liguriam se transmissurum promiserat. Si-  
 quidem, ut erat rerum Europe arbiter & moderator, quæ  
 exæquata omnium potentia regum uires cautè ac pruden-  
 ter expenderet, sicuti angustissimus ac perditis propè  
 Gallorum rebus urgente Britanno atq; ingruentibus ad  
 Diuionum Heluetijs, uires suas (etiam ex professo hostis)  
 ad lacerandum Ludouici Imperium conferre noluerat, ita  
 attollere sese rem Gallicam, & nimio plus crescere minimè  
 patiebatur. Sed dum intentus in id bellum è Celtibera in Be-  
 tiam, ad delectus habèdos, & ad classem, quam nouæ Car-  
 thagini comparabat, exornandam, proficisceretur, Madri-  
 galetij in Agro Toletano, non longè à Guodalupeo Mariæ  
 uirginis templo, quod summam religionis in illis partibus  
 obtinet claritatem febre correptus interijt. Ferunt eum,  
 quum iam quintum & sexagesimum ætatis annum attigis-  
 set, assiduo ac laborioso uenandi studio, quod per aduersas  
 etiam tempestates, quo minus feras longissimè peteret, nullis  
 cœli iniurijs terreretur, intemperatioreq; subinde Vene-  
 ris usu, usq; adeo senescentes corporis uires afflixisse, ut iam

PAULI IOVII HISTOR.

exhaustæ & collabentes ulla reparari medicatione nequiverint. Erat corpore mediocri, sed robusto, ac in omni armorum, æquestrisq; præsertim disciplina, ultra vulgari peritiæ laudem exercitato. Per omnem autem ætatem callido constantiq; ingenio fuit, & ut erat sæpius utranque fortunam expertus, prosperos pariter & aduersos rerum successus adeò compositè ac patienter tulit, ut nulla, unquam uultus eius consiliorum uestigia deprehenderentur. Caterum qui Mauros longo ac difficili bello tota Hispania pepulerat, tot Punicas urbes à Syrtibus ad Herculeas columnas uiceperat, ac nouum inauditumq; terrarum orbem, immenso ac insuperabili Oceano mira fœlicitate perdomito, tot auitis regnis adiecerat, regum maximus uideretur, si principum amicitiam quam semper priuatis comòdis suis aperte metitus est, per occasiones belli & pacis religiosè coluisset, ceterasq; uirtutes, quæ in eo summæ erant, iustitiam & fortitudinem in tanta regnorum amplitudine, ipso splendore liberalitatis illustrasset. Pluribus ante mensibus, quam moreretur, Carolum Ioannam filia ac Philippo rege genitum, eundemq; Maximiliani Cesaris nepotem, qui postea tot amplissima auorum imperia in unum contulit, & Cesaris nomen adeptus est, testamento reliquit heredem. Hisdem quoq; diebus paulò ante quam rex uita excederet, Consaluus Ferdinandus, qui solus inter ætatis nostre imperatores Magni cognomenum egregia uirtute promeruit, dum grauantibus annis apud Illyberim in otio degeret, quartana morbo extinctus est. At Cesar & Sedunensis, tametsi importuna socij regis morte nunciata, magna spe destituti, & ueteribus depulsi consilijs, alias gerendi belli rationes inuituri uiderentur, nihilominus conscriptis iam ad ductisq; ad proximas alpes legionibus, primo statim uere

in Italiam transcenderunt. Erant supra quatuordecim milia peditum Germanorum, omnes ferme ueterani notæq; uirtutis, quos periti duces, delectibus habitis lustratisq; prouincijs, ut quemq; fortissimum fama uultuq; cognouerant, & presenti pecunia & multò maxima spe prædæ, quòd in Italiam ducerentur, sedibus suis exciuerant. Nec deerat multitudo ingens uoluntariorum militum, qui longa militandi consuetudine adducti, permotiq; Italiæ opibus, quum ad primum tympanorum crepitum arma sumpsissent, castra atq; eadem Cæsaris auspicia spontè sequebantur. Fama enim percipuerat: Cæsarem pulsus Gallis extemplo Romam esse petiturum, ut à pontifice maximo auream coronam, ac sceptrum Romani Imperatoris insignia more maiorum acciperet: eumq; regulis omnibus, ac liberis ciuitatibus, uti odio uel amicitia meruissent, stipendij nomine ingentes pecunias imperaturum. Quibus de causis Leo pontifex, qui Germanicas irruptiones urbi semper atque uniuersæ Italiæ funestas extitisse memoria retinebat, ut eam belli procellam auerteret paulò ante ad moliendum Cæsaris animum Egidium Eremitanum in Germaniam destinarat. Is tum conciliandæ pacis egregius artifex habebatur, qui quondam sacris concionibus tota Italia habitis, summam religionis, atque eruditioris eloquentiæ laudem adeptus, postea cardinalatus honorem à Leone promeruit. Sed Egidius, quum ardentibus ad id bellum omnium animis, sera etiam ac intempestiua pacis, mentione militare Cæsaris ingenium posse flectere uideretur, à militibus exulibusq; Italis, qui ut in patriam redirent reliquam spem suam in armis collocarant, non mediocri salutis periculum adiuit. Cæsar Tridentinis iugis digressus ad M. Antonium & Sedunensem, qui Heluetijs cæterisq; copijs Verom

PAULI IOVII HISTOR.

eductis præerant, cum delecta equitum ala peruenit. Is dignitate oris, & militari habitu inter summos proceres conspicuus & sui nominis auctoritate uenerabilis, acclamante exercitu, Augustus salutatur: concipiturq; omnium animis certa spes uictoriæ, quòd neque Galli, neque Veneti tanti exercitus uim laturi uiderentur. Consultaturq; inde aduocatis ducibus, an extèplò progredi sublati signis, Mediolanumq; rectà contendere expediat, ubi hostes, occupatis metu atque inopina celeritate animis, uti nullis adhuc confirmati auxilijs, & dubijs sūt auersis ciuium uoluntatibus, defensionis et fuge consiliū fluctuante agitarent: An uerò satius foret ex itinere Afulam oppidum expugnare, ne à tergo relictis hostes, commeantibus à Verona iter præciderent, & commeatus subuectiones impedirent. Id opidum Venetæ ditionis paulò supra Ollium et Chesum amnes positum est, ualido per se muro, & tum fideli præsidio ita munitum, ut sustinere oppugnationem, si tentaretur, neglectum uerò, præteruecto se stinãtiq; Casari, asidua detrimenta asferre posse appareret. Cardinalis Sedunensis, M. Antonius & Galeatius Vicecomes, atque ante alios Iacobus Stapher è Tigurino pago eximie apud Heluetios auctoritatis, summum bonum, expeditantq; uictoriæ rationem in celeritate ponebant, propterea conuolandum esse Mediolanum, ut Imperij caput, imparatis & trepidantibus Gallis occuparet. Paratos enim esse Mediolanenses superbæ gentis iugum excutere, ubi Casari uexilla conspicerent, nec Triuultium exactæ prudentiæ ducem, cui maior collega Carolus Borbonius esset impositus, admissurū fore, ut pertinacia sua diripiendæ patriæ occasionem, pro externi regis commodo imperitiq; iuuenis laude præberet. A Casar, Marco Sithio & Rochandulpho Afulam omnino expugnata

expugnandam esse censentibus, nequaquam suæ dignitatis esse statuebat quicquam hostium, quod à tergo officere posset relinquere: ne qui magna spe toto Gallie Cisalpinæ Imperio, Gallos expellendi uenisset, de expugnatione tenuis oppidi dubitasse crederetur. Admoto nanque terrore tormentorum subiendos esse prædicabat, qui insolenter temereq; initio belli portas clauderent. Quòd si studia contumacia obistere pergerent, eorum insaniam omni belli clade atque seuitia uindicandam. Neque fuit quisquam qui priorem sententiam non mutaret, & Casari tanto Imperatori non assentiretur. Verùm prolatis tormentis, Asulani accepto militari præsidio, aliquanto fortius quam quisquam crederet, uehementissimam atque terribilem oppugnationem sustinuerunt, quum Ricinius Asulinus admirabili uirtute ac uigilantia sese patriam tueretur. Ea oppugnatio tam importunè quam improspere tentata, uniuerso bello triste omen præbuit. Nam indignantes Germani, quòd contra spem Ricinius diruta tormentis non uno loco moenia intrepidè defenderet, & militari compellatione cruentos Germanorum conatus irrideret, tormenta transfuderant, sicut modo hac, modo illac murum frustra uerberarent, quum eorum multi Asulanorum tormentis sternerentur. Itaque Casar non dubio pudore confusus, ne terendo tempus, primum errorem nouo cumularet, hortatu ducum ad primi consilij sententiam recurrit, & castra mouet, superatoq; Ollio Soncinum uenit: ubi de stipèdijs exortam inter milites seditionem represit, quum sua manu Germanum militem interfecisset, qui arrepto pulsatoq; tympano, iussu centurionis milites ad excitum tumultum uocabat: Quod contra dignitatem Angusti factum uideri potuit, nisi labante iam pridem & propè euersa militæ

PAULI IOVII HISTOR.

ri disciplina, consternati exercitus presentis seueritatis remedia postulareret. Inde sedata seditione promissoq; stipendio, permotis agminibus, ad Abduam est peruentum, Gallicis ripe custodiam deferentibus. Consedit Caesar Ad Ripam altam oppidum, conscenditq; præaltam turrem, contēplatus aduersæ regionis situm, ut idoneo in loco pontem construeret, atque ita biduo conuectis lintribus, constratoq; ponte, copie omnes traductæ sunt, nullo hostium præter paucos equites Epirotas in conspectum se dante. At Triuultius atq; Borbonius per exploratores Epirotas cognito Caesaris transitu, auxilia Venetorum quibus Grūtus legatus præerat, accersunt, defendendæq; urbis consilium suscipiunt, eo maiore fiducia, quòd nemo in urbe se commouebat: Et Sedunorum eiusq; factionis Heluetiorum auxilia opportunè accita per Verbanum lacum appropinquare nunciabantur. Ante omnia Borbonius graui metu periculoq; territus, suadente Grūto, suburbana tecta impotenter atque crudeliter incendi iussit, frustra pro miseris ciuibus deprecate Triuultio, quòd illi ad repentinum edictum ardentes domos suas, in quibus nati essent, magno miserabiliq; tumultu deplorarent. Nolebant enim Galli, ut prouectus Caesar, inter ædificia singulari militum commodo castrametaretur: eminentibusq; domorum fastigijs, sese aduersus tormenta in muro disposita protegeret. Iam ad Pioltellum uicum intra sextum ab urbe lapidem, Orientali uia, quæ Martianam regionem ducit, castra locauerat, Caduceatoremq; (hunc hodie Araldum uocant) prætextam cum aquile Romanæ insignibus gestatæm, quem nefas est uiolare, uel si superbe atque insolenter mandata denunciet, ad Mediolanenses miserat. Petebat Caesar, ut sibi Romani imperij titulum præferenti, suscepturoq; ferream co-

nonam de more Cesarum portæ paterent. Foræ enim, si id  
 non cunctanter facerent, ut iniquo & superbo Gallo: um  
 domitatu liberati, optima pace fruereutur. Sed Borbonius  
 Araldum in urbem non admittit, respondens Mediolanen=  
 ses sacramentum dixisse Francisco Gallie regi, qui non ambi=  
 guo hereditaris, & recentis belli iure, Mediolanense impe=  
 rium recepisset: iustis armis eiecto Maximiliano Sfortia, qui  
 redactus in potestatem, eius imperij iuribus sponte cesis=  
 set. Addidit quoque Triuultius nullum Cesari in Mediola=  
 nenses ius esse relictum, quum totum id quod augustalem au=  
 thoritatem respiceret, iampridẽ Ludouico Sfortia, liberisq;  
 eius multo accepto auro uendidisset. Propterea uideri Cesa=  
 rem iniquè & contra nominis dignitatem facere, quòd cal=  
 lidè obliuisceretur, quibus legibus quantaq; pecunia cum  
 Ludouico rege ad Tridentum transfegisset. Itaque si proce=  
 rum comitatus presidio, non iusto instructus exercitu ueni=  
 ret sicuti superiores plerique Cesares, Henricus, & Ludo=  
 uicus Bauarus, Carolusq; item Quartus, & Sigismundus fe=  
 cissent, Mediolanenses prefectosq; regiois amicè intrantem  
 ueneraturos esse, hospitalibusq; mensis liberaliter exceptu=  
 ros. Quòd si uim moliretur, intellecturum Cesarem, quan=  
 tis opibus ciuitas pro salute sua & dignitate Francisci regis,  
 in cuius fidem tuto atque honeste conuiesceret, captis ar=  
 mis esset certatura, quandoquidem insigni clementiæ benefi=  
 cio, post fractos magna clade Heluetiorum animos, & sub=  
 actum abductumq; Sfortiam benignè se conseruatam fatere=  
 tur. Erat apud Cesarem Galeacius Vicecomes Mediolano  
 exul, primæ inter patritios existimationis. Is uana spe ina=  
 niq; uoto ad gentiliū maiorum suorum, qui per ducentos  
 annos Mediolani regnarant, Imperium aspirabat, quòd Sfor



PAULI IOVII HISTOR.

tianos dominatu pulsos conspiceret, & ciuitatem auersand  
 ab externo dominatu, sui tanquam nobilissimi ciuis & anti-  
 que stirpis hereditatem preferendis, studiosam & cupidas  
 putaret. Nihil enim optatius atque foeliccius Mediolanensi po-  
 pulo euenire posse rebatur, quam ciuem suum affinitatibus  
 utrique factioni coniunctum, ingenio lenem, popularemq;  
 in principatu Gallie Cisalpinæ conspicere: & quod diutur-  
 na securitatis interesset, Romani Caesaris autoritate confir-  
 mari. Hoc tenore intimi consilij Galeacius usque adeo sibi gau-  
 debat, ut præclara Caesaris gratia, atque eius quotidiana  
 promissione inflatus, iam planè principis personam indue-  
 ret, præcisa magna ex parte amicorum & familiarium con-  
 suetudine, tanta animi uanitate ut sæpe grauioris consilij  
 specie, in secretum solus abderetur, et in tabernaculo secus ac  
 solebat, peculiarem sibi uni parari mensam iuberet, certo in-  
 teruallo discretam ab ea, in qua uel illustres conuiuia discum-  
 berent. Qua de causa M. Antonius Columna tantæ uirtutis  
 ac dignitatis, Romaniq; fastus heros, & Ennius Philonar-  
 dus Verulanus episcopus Leonis legatus, intempestiue ua-  
 nitatis notatum irridebant. Nec mirum erat, si uir sua spe in-  
 altum prouectus insaniret, quando ei Caesar, astuto minimeq;  
 absurdo consilio, primum gratiæ locum tribuens, per amplæ  
 pollicitationis uerba dabat, ut per idoneum hominem, qui  
 summo loco esset natus, ac existimatione populari inter ci-  
 ues maximè ualidus putaretur, in amicitiam Mediolanensiu-  
 um se insinuaret eorumq; captaret studium noua liberalita-  
 te, si ipsis, pulso Gallo, Galeacius præficeretur. Apparebat  
 enim Insubres ciui splendidißimo amantiq; patriæ, luben-  
 tius atque fidelius quàm Gallis præsidibus, qui plerunque à  
 graui Imperio insolentes euaderent, esse parituros. Sponde-  
 batur

Vatur autem Galeacio principatus, titulo uicarij imperialis, qua dignitate Vicecomites antiqui principes à superioribus Romanis Cæsribus essent appellati. Ab hac liberali prædicatione Cæsar existimari uolebat eo cõsilio arma cepisse, ut Insubres Gallorum dominatu liberaret: confectoq; bello, Romanam ad suscipiendam Augustalis Imperij coronam continuo proficisceretur, quum nihil omnino præter uictoriae decus peteret, & indigenam patritium ciuem de se benemeritum, humanitate iustitiãq; præstantem, beneficiario iure Mediolani cum imperio esset relicturus. Hæc in fama apud uulgus erant, sed in arcano Cæsaris consilio id decerni nemo credebatur: quando id totum, quod uictoria parari possit, Carolo nepoti (ut in fatis erat) pararetur. Id uerò tegi dissimulariq; tum maxime expediebat, quoniam Cæsar exploratum haberet, id nequaquã probari Leoni pōtifici, aut Heluetijs quum ij ad alterum Sfortianæ stirpis spectarent, Maximiliani scilicet in Galliam ducti germanum fratrem, quem Mediolanum fratris exemplo reducere percuperent. Ille uerò ægerrimè passurus esset, ut oppulenta atque opportuna Italia pars, Germanorum & Belgarum colonia & sedes efficeretur: ad augendam scilicet Cæsarium potentiam, qui amplitudini atque fœlicitati Romanorum pontificum, ab omni animalium memoria, semper inuidissent. Cæterum in hanc consilij spem sat agente Cæsare, quum Galeacio per clientes & propinquos suos tentatis ciuium animis, nihil de excitando tumultu succederet, Araldusq; rediēs de hostium respōsis prolixè retulisset, castra propius urbem promotâ sunt, ea uicinitate, ut è summa testudine templi maximi castrorū ignes cõspicerentur: pauentesq; ciues uillas suas hostili incēdio absumere crederent, postquam à Gallis suburbana tecta ulro concre-

PAULI IOVII HISTOR.

mata considerent. Augebant terrorem agricolæ in urbem confugientes, quum tormenta maiore prouehi falso nunciarent, quibus ab hoste admodum ultimum rerum suarum discrimen adituri essent. Erat ob id in urbe inusitatum tristeq; silentium, adeoq; altè cum ciuium, tum presidij militum mentes occuparat pavor, ut illi pretiosiore suppellectilem fœdis latebris recondere properarent: ij uerò carissimarum rerum suarum colligerent sarcinas, ut trans Ticinum in loca tuta auherentur. Magna enim erat opinio apud Gallos Germanorum uirtutis, peritiæq; in toto negotio tormentorū, præsertim præsertim Maximiliano, qui à prima adolescentia multis in bellis ac prælijs maxime fortunatus Imperator extitisset. Verum Gallis admodum terribile erat Heluetiorum nomen: qui nuper incredibiliu animorum & corporum planè indomito robore, uallata Francisci regis castra adoriri: in eaq; per acruos suorum cadauerum penetrare ausi fuissent: quibus idem dux et concitator adesset Sedunensis acerbissimus Gallorum hostis. His de causis fiebat, ut plerique Gallorum, suspensio Borbonio, de urbe deferenda seruandoq; equitatu, uti nuper Palicia, & antea Ligninius atque Obegnius, recto nec deformi consilio fecissent, haud perplexè cogitarent. Quid enim stultius exituq; miserius futurum esset, si nudati peditatu, urgentis Caesaris, qui innumerabiles adduceret copias, uim atque impetū experirentur: salutemq; omnium dubiæ & territæ ciuitatis fidei committerent, singulare quidem totius Gallie detrimento, & quod Dij auerterent, funestissimo luctu? Enimuero reparari posse bellum adeo propinquis Gallie opibus atque subsidijs, & recipi urbem, eadem uirtutis fœlicitate, qua antea populo temere rebellante opportuneq; seruato equitatu, postea recuperarent.

rint. Interea Triuultius frequenti allocutione ciues confir-  
mare dubios & suspectos, ut limine se continerent intermi-  
natus poenam, adhortari: suæ uerò factionis omnes arma  
capere, beneq; sperare iubebat: per fora & compita, ne quis  
tumultus temere oriretur, custodias disponebat. Tormenta  
arce educta idoneis in locis contra hostes collocabat. Hæc in  
trepido ore administrans, Gallos uehementibus castigabat  
uerbis, quos deserenda urbe cogitare cognouerat. Et id qui-  
dem tanta seueritate, ut Borbonio diceret ipsum recte Impe-  
rij potestate usurum, si in authores turpissimi cõsilij animad-  
uerteret: descendesq; demum in consiliũ demonstrauit uiris  
qui tot stipendia meruissent, nihil omnino potius & carius  
esse debere, quàm tueri pristinum decus. Hoc enim integro  
uniuersos incolumes fore: superaturosq; omne periculum in-  
stantis belli, si innata uirtutis memores esse uellent, & se  
animo demittere, ueterano militi longè turpissimum existi-  
marent. Propterea se minimè dubitare, quin erectis & con-  
firmatis animis, ad Gallie decus urbem essent constantissimè  
defensuri: neq; opus esse ut Germanorum multitudine &  
fremitu terrerentur. Eos enim habere uehemẽtem impetum:  
sed in cursu fatiscere, hærerẽq; plerumq; solitus, uti sæpe au-  
dissent, quum hic ipse Cesar recenti exemplo cum centum  
milibus armatorum oppugnato Patauio, prostratisq; moeni-  
bus nec tentato quidem certamine, incepto abstiterit: & in-  
glorius in Germaniam sit reuersus. Itaq; deserendæ urbis,  
ignominiosaq; fugæ cogitationes abijcerent. Ipsi enim, si id  
scelus admitteretur, regiæ seueritatis in Gallia iudicium esse  
subeundum, se quidem capitali tiste atq; inimico, si desertus  
amissa patria superesset. His Triuultij uerbis cõfirmati sunt,  
qui equitatum potius quam urbem seruandam censebant:

PAULI IOVII HISTOR.

eoq; alacrius, & certius: quòd Triuultius publicū tabellio-  
 nē rogarat, qui sententiæ suæ tabulas conficeret: qua testifi-  
 catione ij, qui præsidio excedendum putarent, cū ignominia  
 damnaretur. Peropportune autē accidit, ut auxilia Sedunorū  
 atq; Bernensium in Verbano nauibus imposta, per Ticini  
 emissarium paucis horis Mediolanum peruentura, certis  
 nuncijs afferretur. Atq; ita ē medio metu periculoq; peram-  
 plā spes & certa salus cunctis oborta est. Nam Cæsar de ho-  
 stium auxilijs edoctus, quū promouere copias, & uim por-  
 tis inferre pararet, quod non inanem de Heluetijs suspitionē  
 arbitraretur, remisso & cōmutato repente consilio substi-  
 tit: incertus, an productis tormentis, cum suæ tum hostium  
 uirtutis periculum esset faciendū, an uerò tutior foret rece-  
 ptus. Primas enim spes eius pecuniæ defectus fregerat, quo  
 nihil periculosius excitandæ seditioni apud milites accidere  
 consuevit: & tum fortē persoluendi stipendij dies aderat, im-  
 portuneq; Brixiani præsidij milites Hispani argentæa mone-  
 te duas sarcinas in castra ē superiore Rhetia uenientes, inter-  
 ceperant: quæ summa pecuniæ, uti exigua, quanquam mili-  
 tarem sitim extinguere non poterat, accendebat tamen Ger-  
 manorum atq; Heluetiorum animos, quòd à sociis, prædan-  
 tium hostium more, grauem cum detrimento contumeliam  
 accepissent. Cæsarem quoq; in ea consilij deliberatione flu-  
 uiantem, diffidentemq; rebus, magnopere perculit Triuul-  
 tij dolus magno Cæsaris incommodo excogitatus. Is nactus  
 clientem suum Heluetiæ peritum linguæ, literas suo nomine  
 perscripsit sua manu, suoq; signo notatas ad Stapherum, &  
 Gholdilum primores Heluetiorum duces: ut Cæsari in eo mo-  
 mento rerū suspecti redderentur. His literis postulabat, ut  
 quæ secum pepigissent, eo biduo perficere maturarēt: se e-  
 nim

nim ad conditum instructa parataq; omnia habiturū. Nut-  
 cius premiorum spe oneratus, Casarianis excubitoribus ul-  
 tro se capiendum obtulit, quū interrogaretur, cur sine tesse-  
 ra in eum locū uenisset, probè confessus est, se Triuultij lite-  
 ras, si sibi parceretur, ad Heluetios duces deferendas prola-  
 turum. Nec mora uenie fide data, calceo insatas literas pro-  
 mit, extemploq; eæ ad Casarem deferuntur. Nec eas anxie  
 perlectas Sedunensi Caesar ostendit. Neq; enim Stapherum  
 & Gholdilum tantæ inter Heluetios autoritatis, sine per-  
 turbatione periculoq; rerum omnium, uel accusari ex Triuul-  
 tij literijs, uel (uti oporteret) comprehendi posset censebat.  
 Itaq; suspicari ingenio Heluetiorum perfidiam, atq; insidias  
 ueritus retro castra repente uertit, eoq; properantius q; Al-  
 bertum Petram, & Franciscum Georgij Soprasaxi filium,  
 Sedunensi capitales inimicos, cum uiginti peditum uexillis  
 applicuisse cognouerat. Nam Georgius opera Sedunensis ab  
 ipso sacerdotij possessione depulsi, diu Romæ in custodia  
 molis Hadriani seruatus fuerat: liberatusq; demum à Leo-  
 ne in gratiam Francisci regis, cruentas cum eo simultates  
 domi exercuerat. Sed Cardinalis æquo iure pontificiæ autho-  
 ritatis in sedem sacram, à popularibus antistitem suum re-  
 ligiosè colentibus, reductus, ita acerbo odio, & infestis ar-  
 mis contumelian uindicauit, ut in ciuitate Sedunorum ad  
 sacrum profanumq; iudicij tribunal, multis, qui Georgij  
 factionis fuerant, seuerè citatis atq; supplicio damnatis, Ge-  
 orgij domum, & opes, & clientelas conuellerit. Albertus  
 quoq; superiore anno ante prælium cum Heluetijs à rege fa-  
 ctum, ut supra docuimus, tanquam Gallica corruptus pecu-  
 nia proditoris accusatus fuerat: qua de causa deposcente eū  
 ad pœnam Sedunense, cum septem milibus peditū suum no-

PAULI IOVII HISTOR.

men secutis, ab exercitu discedens, per Verbanum lacum domum redisset: Sic ut tum conuersa Fortuna, Soprasaxus & Albertus coniunctis sensibus communem inimicum ultimum ire properarent, & Sedunensis ipse non temere sibi timere cogeretur. Caesarem tamen, haud perplexè de receptu statuentem, dissimulato pauore alacribus uerbis, ut consisteret hortabatur, quod ij, qui auxilio Gallis uenissent, magna ex parte agrestes montariq; homines è pascuis ab lucti rudes armorum essent: et si qui militum nomine digni uiderentur, hi apud omnes seditiosi & recenti perfidiæ nota infames censerentur. Nec ora cõspectumq; suorum fide uirtuteq; præstantium laturi essent. Sed Cæsar suspicionibus suis implicitus, & amicis uel parum decora suadentibus, equo plura tribuens, consilio suo præproperè suscepto, deijci non potuit. Recordanti namq; ueteris Heluetiorum perfidiæ, Ludouici sortis in primis ab hisdem ducibus ad Nouariam nefarie proditi dira calamitas, ante oculos obuersabatur. Requiriti autem M. Antonio causam usq; adeo repetini inconsultiq; receptus, quem neq; honestum, neq; necessariū putaret, Cæsar respondit, pecuniæ inopiam, quæ fato quodam non semel conatus suos interpellatis uictorijs elusisset: plerunq; enim accidere dicebat, ut ubi uirtus superesset, Fortuna deficeret. Proinde ipsum qui Romani Imperatoris personam sustineret, pro insano esse facturum, si certis de uetere hoste suspicionibus non permoueretur. Affirmauitq; demum sibi per quietem ea nocte apparuisse Leopoldum Austriae archiducem attauum, & Carolum ducem Burgundiae socerum suum, ea torui oris specie ac eo cruento armaturæ cultu, quo hic ad Nansim, ille ad Semfac ex proditione ab Heluetijs trucidati fuissent, acri quidem sermone et gestu uertantur

stantes ipsum diutius morari, & ut se periculo statim eriperet, seuerè imperantes, atq; ita motis castris ad Abduam est reuersus : atq; eodem ponte flumine superato ad Alpes iter intendit, tanta omnium, Gallorumq; præsertim admiratione, ut qui dudum inestimabili metuendoq; copiarũ hostiliũ numero, apparatusq; tormentorum maximo territi et propè amentes erant, inopinati euentus gaudium uix perciperent. Neq; Triuultius atq; Borbonius ferè præter spem grauissimo liberati metu, abeuntium tergis institere, quòd per Epirotas præuolantes speculantesq; omnia compertum habebant nouissimum hostium agmen ualido præsidio confirmari. Quando Marcus Sithius cum delecta legione, & M. Antonius cum equitatu more militiæ incedentes paratiq; ad pugnam, terga clauderent. Nec ullo modo Cæsar generosi spiritus nunquam expers temerè laceffendus uideretur : ne dedecoris metu, aut oborto pudore extimulatus, ad primas spes gerendi belli indignèter rediret : Sedunense præsertim ex ipsa rerũ desperatione conferendæ pugnae auido, ferociq; facundia legiones concitante. Grittus quoq; altè uociferatus à uetere militiæ instituto, terga danti hosti, totũ iter aureis pontibus consternendum esse prædicabat. Eo modo compositis agminibus Cæsar, nihil laceffente Gallo, per Cremonensium fines in Germaniã dimissis Heluetijs est reuersus, nusquam memorabili re gesta : nisi quod ex itinere M. Antonius Laudis Pompeiæ arcem Gallico munitam præsidio tormentis expugnauit. Isq; inde Veronam regressus, cum Marco Sithio iussu Cæsaris in eius urbis præsidio usq; ad belli exitum permansit. At Borbonius Mediolano cum insigni Triuultij laude conseruato, Andreæ Gritto gratias egit quod operam eo tumultu eximia fide Veneti Senatus dignam præ-



PAULI IOVII HISTOR.

stitisset: præbuitq; abeuntibus eius copijs gratuito commea-  
tum. Nec multò post bellicarum, & ciuilium rerum cura  
Triuultio relicta, in Galliam ad regem est profectus, ut quæ  
gesta erant, ipse idem author & testis coram explicaret.  
Tanto autem studio propensissimi regis, & magnæ partis  
aulæ procerum est susceptus, ut meritorum, ac eximij hono-  
ris causa, summus totius Galliæ equitum magister sit declara-  
tus, qui hodie Comes stabilis uocatur, quòd eum regi semper  
adsistere ex usu bellicarum rerum expediat. Hic honos secun-  
dum regem, apud Gallos facile primus existimatur: quoni-  
am minores equitum magistri, qui in tota Gallia omnino  
quatuor sunt instituti, ipsius comitis stabilis edicto ac impe-  
rio parent. Huius autem dignitatis atq; potentiæ nomen tan-  
quam i roceribus inuidiosum, suspectumq; regibus, Ludoui-  
cus XI. lata lege sustulerat, quum fortè aduersum se coniura-  
ti Galliæ proceres arma cepissent. Quibus demum cum ma-  
gno discrimine subactis, Iacobus Lucemburgus sancti Pauli  
comes, qui tum erat summus magister equitum, perfidiæ  
conuictus, capite pœnas dedit, sic ut nemo ei postea in ma-  
gisterio sufficeretur. Ceterum uti postea compertum est, ea  
ratione Franciscus, reuocato uetere Galliæ instituto, hoc ho-  
nore Borbonium remunerari uoluit, ut in locum deceden-  
tis, Odettum Lotrechium Cisalpinæ Galliæ præfectura orná-  
ret, multis quidem nominibus magnopere sibi cõmen-  
datum, et tum supra generis nobilitatem mi-  
litari laude maxime florentem.

## PAVLI IOVII NOVO

COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI

*Historiarum sui temporis.*

## LIBER XVII.



V Mhæc in Italia geruntur, Selymus Turcarum Imperator Campsonem Gaurium Memphiticum regem, eiusq; exercitum ad Singam occidione deleuit: indeq; Syriam, Iudeam, atq; Aegyptum clarissimis uictorijs peruagatus, Mamaluchorum nomen formida-

bile Orientis gentibus, ac amplissimum Sulthatorum Imperium euertit. Cuius belli causas, ac euentus rerum gestarum diffuse narrabimus, si prius ad Persicæ historiae seriem, necessaria sribendi ratione, atq; ipsa rerum ac temporum uarietate suis locis intercisam, repetito ordine reuertamur. Selymus, qui secundum prosperam ad Araxem pugnam Persis citeriore regni parte expulsis, & Taurisio regia urbe in potestatem redacta. Orientis uictor apparuit, quum ad famam imminentis Hysmaelis subita ac celeri profectioe, fugienti similis Maiore Armenia decessisset, ad Trapezontem atq; Amasiam Cappadociae urbem exercitum in hyberna dimisit. Quibus in locis totam hyemem commoratus, delectibus per præfectos Bithynia, Ponto, Phrygia, Ciliciaq; habitis, atq; accitis in supplementum è Græcia atq; Illyrico nouis militibus, tanta celeritate atq; diligentia attritas & afflictas copias reparauit, ut primo statim

PAULI IOVII HISTOR.

uere ampliozem quàm antea exercitum, aliquanto maturi-  
 us, quàm Armenia niuali Tauro subiectæ frigora pateren-  
 tur, uel hostes fieri posse existimassent, in Persarum fines ad-  
 duxerit. Erat Ciamaassum oppidum in ulteriore Euphra-  
 tis ripa positum paulò supra eum locum, quo Melas amnis  
 Græcorum carminibus celebratus, in Euphratem euolui-  
 tur: quòd Persæ propter magnam loci opportunitatem,  
 quum Maiorem ingredientibus Armeniam primum occur-  
 reret, præsidio imposito tuebantur. Id Selymus ut proximis  
 castellis finitimisq; arcibus occupatis, ulteriorem prouinci-  
 am patefaceret, sibi omnino expugnandum esse decreuerat.  
 Eo autem tempore, quòd Sophum Hysmaëlè aduersus Hyr-  
 canos & Bactrianos, ultioresq; Caspij maris accolas, cum  
 omnibus copijs profectum esse cognouerat, facilem perfici-  
 endi negotij naetus occasionem, Euphrate ponte constrato,  
 traductoq; exercitu pene priusquam ab hoste sentiretur, sub  
 muro constitit, atq; oppidum oppugnare adortus est. Ciama-  
 massini omni spe auxiliorum in tanta temporis exiguitate de-  
 stituti, quum Turcæ, circumiecta totis mœnibus ingenti slo-  
 pettariorum & sagittariorum multitudine, murum propu-  
 gnatoribus nudaret, irrequietoq; oppugnationis genere alij  
 alijs, temporis et loci spatijs inter se cõstitutis, succederent,  
 simulq; portas dolabris perfringerent, & appositis scalis in  
 muru eniterentur, desertis mœnibus in forum se receperunt.  
 Vbi tamen uigilijs uulneribusq; confecti erant, diu tamen  
 hostium uim pertinaci constantia sustinuerunt: & ut in su-  
 premo urbis casu pro fortunis ac salute omnium debebant,  
 egregie dimicantes ad unum interierunt. Selymus expugna-  
 to direptoq; Ciamaasso, et ignobilibus alijs duobus castellis,  
 quæ incolæ metu territi paulò ante deseruerant, occupati,  
 tamen

tametsi inexpiabili odio & cupiditate gloriæ plurimum incitatus ad Hysmaëlem firebatur, ac totus Persarum opibus imminebat, tamen non prius interiorem Armeniam bello sibi tentandam existimauit, quàm Aladolum regem qui tot clades tanta perfidia sibi & copijs suis ab expeditione Persica redeuntibus intulerat, saltibus illis ac montibus expulisset. Enimvero Aladulus, ut qui magnopere sibi ac rebus suis ex merito timere cogebatur, quum Selymum mouisse ex hybernis, & ad Euphratem atq; Cimmassum contendisse cognouisset, agrestibus ferisq; hominibus repente coactis, magnas copias parauerat, quibus sese ac fines defenderet. Si uerò Selymus in Armeniam proficisceretur, consuetudine sua spectabundus ex euentu alieni belli prædandi occasionem caperet, ac obsessis itineribus, ut antea fecerat, impune grassaretur. Itaque Selymus ad Cimmassum relicto præsidio, cis Euphratem regressus ad Antitaurum, ubi hostes confedisse fama cognouerat, cum expedito exercitu deflexit. Aladulus (ut alio loco memorauimus) montanis gentibus imperitat, quæ in Tauro atque Antitauro sedes habent. Ii montes à Scordiscis iugis, & finibus Capadociæ, perpetua ueluti cathena quadã, ad Amanũ usque, & ultimos Ciliciæ terminos protenduntur. Populus uirtute bellica ferox, & numero amplissimus traditur. Cæterum agrestis est atque efferus, & sola rerum inopia insignis, ut qui prærupta atque aspera in regione parum agricultura proficiant. Herbidis tamen in locis armenta equorum & camelorum possident: & pecuariam diligentissimè exercent: cæterorum uita omnis in uenationibus latrocinijsq; consistit. Orti dicuntur ex Galatis, Cappadocibus, Armenijs, ueteribusq; Minoris Asiæ colonis, qui propter assiduas bellorum iniurias superioribus seculis, &

PAULI IOVII HISTOR.

luctuosissima præsertim Scytharum irruptione, quum Tamerlanes clades & terror Orientis prouincias omnes immani rabie deuastaret: in proximos montes relictis urbibus, tanquam in pacatum refugerint. li uallibus iugisq; omnibus perlustratis, fluminũ ac fontium opportunitates, mitiorisq; coeli naturam & conuersionum Solis maxime secuti rationem, frequentibus in locis ligneos pagos, ac mox illustria quaedam oppidula condiderunt. Vnde postea coalescentibus eorum rebus, quum fortissimi quique cæteris præessent, regium nomen sibi ambitiose admodum usurparunt, ut qui horrida uirtute censeri uellent, & timeri à finitimis, quam solui tantum undisq; rupibus imperarent. Aladoli finibus proxima est urbs Orpha, mirabili fonte oris lepram sanante per celebris, quam nonnulli Edessam esse iudicant, quod ubi adhuc extent monumenta Balduini, Latinis indicantibus literis. Is enim, Gothifredo fratre Hierosolymis politico, Edessam peculiari suo ductu capitam, Imperio tenuisse traditur. Nec multum inde distat Amida urbs uetus, quæ hodie Car. amida ab incolis uocatur, Mesopotamiæ iuncta. Hæc hodie regio Tygri et Euphrate amnibus inclusa, Diarbecha dicitur autem nobilius oppidum est, Maras, uti fas est suspicari, ita uocatum propter interfluentem è Celenæo monte nitidissimum annem, qui ex certamine Apollinis deuicti, Marsiæ nomē tulerit, multis poëtarum carminibus celebratum. Cæterum Aladulus, postquam Selymum infesto exercitu fines ingressum appropinquare uidet, equitatum omnem (erant ad quindecim milia) è montibus in conualem iuste amplitudinis deducit, pedites, quorum magnum habebat numerum, à dextra ac læuaq; occupare montes iubet, ibiq; quum edita loca atque angustias pro se stare intelligeret: lo-

to multum antea explorato atque munito, hostis aduentum expectare constituit. Porro Selymus, quanquam locorum iniquitate perspecta, uictoriam multo suorum sanguine parandam uideret, quod hostes nunquam sese apertissimis campis commissuros arbitraretur: iniquam tamen pugnandi conditionem subire non dubitauit. Itaque Synambassam eunuchum, quem interfecto ad Araxem Cassembassa Europæis equitibus præfecerat, quadrato agmine, quod extendere aciem, & cornibus uti non poterat, hostem inuadere, & primam eorum frontem percurrere iubet: ipse uero cum prætorianis, atque Asiatico equitatu subsecutus, subsidiariam aciem pugnantibus suis ostendit. Nec Aladolite sibi ac in oculis omnium pugnantem regi suo defuere, nanque emissis statim sagittis Turcarum impetum egregie sustinuerunt, cominusque distri-ctis gladijs, & collatis equorum pastoribus, quum è superiore loco ingruerent, tanta uiribus subeuntes propulerunt, ut ueteranus equitatus nihil iam multitudine aut uirtute sua proficere posse uideretur. Ab lateribus enim Turcæ propter loci angustias hostem circumire non poterant, & ab peditibus, qui utrinque latera montium infederant, & sagittarum nu-berem mediæ conualli superfundebant, uehementissimè ladebantur. Selymus ubi uidet Aladolum, contra ac ratus erat, fortiter resistere, & magna uiribus contendere, cohortes sclopettariorum ex acie ac phalange sua detrahas, subsidio laborantibus mittit, ac simul lectissimos prætorianorum conscendere montem iubet. Quorum uim, Aladolite sclopettorum procella consternati, sustinere minimè potuerunt, extemploque effusi in fugam, notis tramittibus montes suos proximas sylvas petiuerunt. Plurimum cædis in pedites fuit, qui, quum pulsum equitatum uiderent, et succedentibus prætorianis per arduos atque

PAULI IOVII HISTOR.

impeditos calles agrè in montem enitterentur, sicuti plerunque accidit, ut trepidos ac effugere conantes et crurium uigor, & solitæ uires, occupatis terrore animis, repente destituant: usque ad occasum Solis in fugam acti, trucidatiq; sunt. Equites ipsi cum rege insuefactos rupibus ac pernices equos nacti, paruo detrimento accepto, in ulteriora ac munitiora mōtium loca se receperunt. Aladulus post id factum, quod se omnibus rebus tanto hosti longè inferiorem intelligebat, ducendum atque trahendum sibi bellum esse iudicauit. Itaque quum Turcæ passim incensis mapalibus abeuntes persequerentur, ipse in alios atque alios montes refugere, nullam pugnandi occasionem præbere, ac plurimum asperitatibus locorum se tutari quibus de causis Selymus, ne in sterili, aspera, ac ignota regione, si totis copijs insequi uellet, commeatus inopia laboraret, uel in insidias prolaberetur, septimo die insequēti finem fecit. Castrisq; idonea in parte eius regionis collocatis, Sinambasam cum expedita parte exercitus misit, qui allatis secum aliquot dierum cibarijs, cediūm uestigijs insisteret, & quantum celeritate ac bellicis artibus fieri posset, ipsum maxime regem sectaretur. Quum autem Selymus ex captiuis agrestibus quæreret, quænam uires, quæuē consilia ad sustinendum bellum Aladolo superessent, reperiebat eum lectissimos quosque equitum & peditum secum duxisse: ceteramq; agrestium turbam, ut solitudinem hosti faceret, decedere pagis iussisse, & statiuis castris apud quamdam petram constitutis, quo magnam uim commeatus contulisset, non prius totis uiribus decertare uelle, quam hostem ad insuperabiles locorum angustias deduxisset. Eius consilij eam esse causam, quod præfecti equitum consanguinei sui, cui Saxouarogli nomen erat, maxime perfidiam timeret, à  
 quo

quo in ipsa pugna initium fugæ factum fuisse comperisset. Cuius defectionis atque odij signa ab iusto dolore proficisci uiderentur, quod ipse patrem eius quondam propter affectati regni suspicionem per insidias interfecisset. Selymus his omnibus cognitis rebus, captiuos cathenas detrabit, eos donis pollicitationibusq; onerat ac dimittit, ut Aladoli præfectum adeant, & secreto redditis ei literis atque muneribus, hominem moneant, ut in ea rerum occasione paternam cædem ulcisci uelit. Id si aliquo insigni facinore edito perficiat, eum et summum gratiæ locum apud se, & regnum, quod Aladulus latronum inmanissimus obtineret, adepturum. Agrestes, ut præceptum erat, eius rei consilio cum Sinambassa communicato, paucos post dies mandata perficiunt, breuiq; præfectus & spe regni, & muneribus, quæ uindictæ cupiditatem exauebant, ad amicitiam Selymi facile pellectus, quum suspectanti insidias Aladolo, omniaq; explorati aliter nocere non posset, cum magna parte equitum apud quos summam obtinebat autoritatē, ad Sinambassam transfugit: à quo postea alij atque alij ex his qui remanserant, propositis præmijs ad defectionem sollicitati sunt. Circumuētus his malis Aladulus, qui, ut sui ad turcas deficerent, fieri posse non putarat, reliquam spem salutis in fuga posuit. Sed illum paulò post fugientem per asperos montes, antris nemoribusq; se occultantem, Sinambassa & Saxouaroglis persecuti, specu abditum montantibus indigenis eruerunt. Aladulus ad Selymum perductus, in custodia paucos post dies interficitur, caputq; eius, ut omnibus ludibrio foret, per totam Asiam circumlatum: ac mox quoque in testimonium partæ uictoriæ Venetias ad senatum scæda ostentatione transmissum est occiso Aladolo, Selymus eius regnum in prouinciæ formam redegit, diuisitq; in



PAULI IOVII HISTOR.

tres præfecturas, quæ totidem Sanguachis, Turcarum more tribuerentur, sic tamen ut Saxouaroglis omnibus præesset: cui cuncta præter regium nomen concesserat. Ipse relicto Sinambassa, qui reliquum æstatis in his locis moraretur, ac de- mum constitutis prouinciæ rebus, ut ad Iconium in hyberna concederet, modico comitatu Byzantium reuersus est. Nam dum Hysmaëlis & Aladoli bello in Minore Armenia implicitus esse diceretur, à Pannonijs finitimam Mœsiæ prouinciæ partem incursonibus uastari audierat. Quibus de causis, ne Sanandriam amitteret, quòd situm ad Danubij ripas, Mœsiæ Traciæq; propugnaculum, propter magnam eius loci oportunitatem existimatur, octo milia equitum instruxit, qui duce Iunusbassa (is tum Illyricæ Bosphinæ præfectus erat) Sauum flumen transirent, & in Croatiam ad Cetinum usque, per Illyricum penetrarent. Aliam uerò Turcarum manum improviso Danubium ratibus transuectam, ulterioris Pannoniæ fines populari iussit, ut uno tempore Pannonij anticipiti belli periculo distracti, rebus suis timere cogerentur, ac simul doceret, quæ uires & quantæ facultates ad bellandum Othomannis forent: utpote qui magni interesse & tum, & in reliquum etiam tempus ad perterrendos suspendendosq; Christianorum animos arbitraretur, si tot tantosq; exercitus commodè expediteq; alere, & diuersissimis terrarum regionibus grauisima bella se gerere posse foelicibus ausis ostendisset. Exitu eius anni Selymus, quum Pannonios duplici incurfione repressisset, hyemem quæ proximè secuta est, maioribus quam unquam antea apparatibus belli intentus, Hadrianopoli, Byzantijsq; transegit: Enimuerò potentissimos Septentrionis reges finitimos suos, Maximilianum Casarem, Vladislaum, & Sigismundum celeberrimo conuentu habito,

bito, in colloquium deuenisse, & coniuratione facta, indu-  
 Etisq; Germaniæ. Pannoniæ, ac Sarmatiæ Gentibus, contra  
 se ingens bellum parare audierat. Sed postquam per certos  
 speculatores, quos magno sumptu in omnes Europæ partes  
 dimittebat, ac obseruari in aulis regum, & cuncta diligen-  
 ter explorare iubebat, renunciatum est concilia illa Christia-  
 norum, nihil præter magnificas conciones, sumptuosaq; con-  
 uuiua certantium inter se regum & procerum habuisse, ua-  
 no solutus metu, rursus ad Orientem se conuertit. Ne tamen  
 absente se aliquod incommodum acciperetur, si forte Chri-  
 stiani reges ex discessu suo atque exercituum aliquam ad ge-  
 rendum bellum occasionem arriperent, finitimas prouincias  
 ualidissimis præsijs confirmauit. Quanquam sciret Sigis-  
 mundū proprio belli distineri, quod Mosconitæ Lituaniæ  
 etiam tum nouis incursionibus exagitarent, et Casarem atq;  
 Vladislaum intelligeret nihil aduersum se eo præsertim tem-  
 pore molituros: quorum alter etate grauatus, ac aruine  
 pondere suprema ualitudine conflicteretur, alter quod op-  
 portuna Ferdinandi regis morte, noua omnibus bellorum  
 materia præberetur, magnis comparatis exercitibus, aduer-  
 sus Gallos ac Venetos Italiæ totus immineret. Itaque Soly-  
 manum filium egregiæ indolis adolescentem, cum iusto pro-  
 pè exercitu, ut Græciam Mœsiamq; tueatur, Hadrianopoli  
 relinquit, Pyrrumbassam magni consilij ac eximia uirtutis  
 ducent, Byzantio præesse iubet. Natione hic erat Cilix, &  
 sanguine Mahometano progenitus, quod mirum uideri po-  
 tuit, quum alioqui purpurati ferme semper ex Christiana  
 progenie deligantur. Chersæoglim uerò, cui uni plurimum  
 ob ueterem beneficij memoriam fidebat, cum copijs ad Prus-  
 siam in Bythinia collocat, classemq; quam magna impensa

## PAULI IOVII HISTOR.

& singulari studio paulò ante deduxerat atque exornauerat, Zaffero eunucho attribuit. Ipse paucos Bizantij moratus dies, ut tyrones, qui in pratorianos legebantur, inspiceret, ab ea urbe proficiscitur, & in Lycaoniam ad ueteres exercitus peruenit. Quo quum uenisset, cognoscit Campsonem Gaurium, magnis copijs tota Aegypto Iudæaq; ductis, in Syriam descendisse: eumq; profiteri se praesidio Persicis rebus futurum, persuasurumq; in Ciliciam infesto exercitu, si Sophus Hysmaël socius atque amicus rex, Turcarum armis oppugnaretur. Quibus rebus Selymus uehementer commotus, ne si ipse ad Euphratem progrediretur, propinquus hostis à tergo nudatam praesidijs Asiam per Amanum irrumperet, Iconij subsistit, protinusq; ad Campsonem legatos cum muneribus mittit. Cuius legationis principem locum obtinebant, Iachis uir militaris, & Gadilescher maiore sacerdotio, & sacrarum literarum cognitione insignis. Hic postea huius belli commentaria conscripsit, quae nos Italico sermone donata perlegimus. Summa legationis fuit, ut Campsonem orarent, & quàm subiectissimè deprecarentur, ne sibi nocere uel impedimento esse uellet, quo minus Hysmaëlem bello persequeretur, qui tot tantasq; Asiae calamitates intulisset, inductisq; nouis superstitionibus, Mahometanae religionis certissimas leges deprauare dilacerareq; contenderet. Quòd si ille persisteret, & nullis conditionibus flecti possèt, darent operam, ut uires atque eius consilia diligenter cognoscerent: & quàm primum ad se reuenterentur. At Campson, tamen si atate ingrauescente & florentibus rebus suis, tranquillitati atque otio potius quàm armis, uel alienis contentionibus sibi studendū esse arbitraretur, multis tamen de causis, profectionē illam & expeditionē necessariam existimabat:

bat: utpote qui multò antea Selymum propter nefariam hominis crudelitatem plurimum oderat, atq; ob eam causam, ut fœdus quòd sibi cum Baiazete intercedebat, cum eo renouaret, nunquã adduci potuerat: & tum maximè audaciam eius prosperis fortunæ successibus longius prouectam reprimere frenareq; cuperet, qua ille tantam sibi potentiam atq; uirtutis opinionem, secundissimo rerum cursu uendicasset. Siquidem Selymus, Tauristo capto, uictis acie Persis, Aladolo superato atq; interfecto, & magnus & formidolosus esse coeperat. Nec deerant qui eum alterum serè Alexandrum interpretarentur, quod sinentibus dormitantibusq; cæteris regibus, totius orbis imperium sibi animo destinaret. Sed Campsonem maximè impellebat Syrie in primis, & totius mox amittendi imperij metus, quo nullum acrius telum ad excitandos suspicaces regum animos reperitur. Quando ea prouincia superbo atq; impotenti Mamaluchorum dominatu oppressa, ob idq; infida Aegyptijs regibus, si aliquo infelici prælio contusa Persarum uires forent, ad Turcas finitimos protinus defectura uideretur. Ob hæc Campson ab initio Persarum legationibus sollicitatus, cum Hysmaële fœdus amicitiamq; percusserat, Aladiniq; Achomatis filij miserissimi adolescentis calamitate permotus, in animum induxerat, suis atq; Hysmaëlis uiribus, Asiam, Græciamq; exturbata illa inmani bellua posse liberari. Aladinus enim, quem patre apud Horminium interfecto, ad Campsonem profugisse docuimus, in Memphitica aula lachrymis, & squallore miserabilis, tres annos uersatus fuerat, & ad uindicanda tot scelera. Mamaluchorum animos aduersus Selymum patrum omnibus artibus concitabat. Peropportunè etiam Aladoki filius natus maior, florenti ætate iuuenis, orbatum patre,

PAULI IOVII HISTOR.

& in simili quoq; miseria, regno fortunisq; omnibus exutus,  
 quum Memphim confugisset, tanta ira atq; indignatione  
 omnium mentes ex atrocitate noui sceleris inflammauit, ut  
 Mamaluchorum principes Campsonem ulro adirent, ob=  
 secrarentq;, ut bellum suscipere uellet. Quòd si ipse senecta  
 inualidus obire ducis munia grauaretur, ipsos per se bellum  
 gesturos, & sceleratissimi hominis audaciam repressuros  
 esse testarentur. Erant Mamaluchi non tantum uirtute, ut  
 qui robore corporis, equitandi peritia, & armorum gene=  
 re præstarent: uerum etiam magnitudine animi atq; opibus  
 Turcis hominibus minimè comparandi. Sed in primis me=  
 minerant se duce Caitbeio ualidissimos Turcarum exercitus  
 in Cilicia, semel ad Adenam iterũ ad Tarsum, per exigua ma=  
 nu prostrigasse, Mesithe Paleologo, & Cherseogle Baiazetis  
 genero ducibus captis. Vnde sibi ex ea uictoria tãtos spiritus,  
 tantã arrogantia animorũ uanitate desumpserant, ut sibi  
 unis præcipuam rei bellicæ laudem deberi, ac neminem esse in  
 terris, quem armis superare non possent, existimarent. Ma=  
 maluchi ferè omnes, Getæ, Zinchi, Bastarnæq;, sunt nati in  
 Ponto, & circa Maotidem, ab ea præsertim parte, qua Co=  
 rax amnis in Euxinum effunditur. Regionem recenti uoca=  
 bulo Cercasiam uocant à Cercitis populis, qui in Colchidem  
 uergunt. Hos Valachi antiquitus Mysi, qui Istro adiacent,  
 & Tartari, qui Tauricam ad Dromon Achillis inhabitant  
 aliæq; finitimæ gentes, Padolij, Sarmatæ, ac Roxolani, ab u=  
 beribus matris raptos, alijsq; exceptos casibus, mercatori=  
 bus uendunt, à quibus postea delectu habito, si qui eorum  
 corporis et uirium indole, uel animi uigore præstiterint, na=  
 uibus Alexandriam, atq; inde ad Memphiticum regem per=  
 ducuntur. At Memphi uetere gentis instituto, lanistis sta=  
 tim

tim præceptoribusq; traduntur, qui magna cura ludo incli-  
 sos erudiunt. Vbi autem per ætatem arcum fortius tendere,  
 sagittas emittere, digladiari, hasta clypeoq; scienter uti, e-  
 quum in gyros flectere atq; acrius incitare didicerint, tunc  
 stipendia facere incipiunt, lectiq; in prætorum morum nume-  
 rum ad equum rescribuntur. Qui indociles ignauiq; fuerint,  
 fortibus perpetuo seruiunt. Ita quum in una militari uirtute  
 cuncta posita, honores, premia, magistratus, manifestè con-  
 spiciant, tanta omnes diligentia tantoq; ardore certatim mi-  
 litie studijs uacant, ut connixi, per gradus sepe numero nudè  
 sordissimiq; ab initio serui, ab infimis equitum ordinibus, ad  
 supremam principatus fortunam euaserint. Mamaluchi Chri-  
 stianæ religionis desertores sunt omnes, à captiuitate Ma-  
 hometanis initiati sacris. Nemo enim Mahometano uel Iu-  
 deo patre genitus, in equitum numerum legi potest: propte-  
 rea ad Mamalichorum filios dignitatis equestris iura non  
 transcunt, quanquã illi paternam suppellectilè, prædia, ac  
 domos hereditate consequantur: qua etiam ratione ad filios  
 Sulthanus Imperium non transmittit. Vnde è nostris quoq;  
 prouincijs perditæ uitæ homines, damnatiq; iudicijs eo con-  
 fugiunt, qui statim eiurato Christi cultu, decisiq; præputijs,  
 si bello idonei fuerint, ad amplissimos honores prouehuntur:  
 sicuti ætate nostra in Tangari bardino uidere licuit: qui Hi-  
 spani nautæ filius, uirtute atq; ingenij artibus tantum sibi au-  
 thoritatis ac diuitiarum comparauit, ut cuncta propè con-  
 silijs suis apud Campsonem administraret: & ad Baiaze-  
 tem, Senatunq; Venetum missus grauissimarum legatio-  
 num munere fungeretur. Ad extremum tamen Deos sui sce-  
 leris ultores sensit, quum inuidia atq; emulatione proce-  
 rum gradu pulsus, & coniectus in carcerem, miserrimus in

PAULI IOVII HISTOR.

pedore atq; compedibus expirarit. Neq; mirum esse debet, si Mamaluchi ad eas opes, atq; eam uirtutis existimationem perueniant, quum Syri atq; Aegyptij ab his miseranda oppressi seruitute, neq; arma tractare, neq; equos alere permittantur: neq; ullis adhibeantur consilijs. Magnitudine etenim tributorum facti inopes, & quotidianis equitum iniurijs exagitati, mercaturæ mechanicisq; artibus & agriculturæ se dedunt. In hos eadem omnia sunt iura, quæ dominis in seruos. Nam uulgo regij equites insolentius, quæ cuiquam credibile sit, miseros indigenas contumelijs atq; uerberibus afficere, bona omnium, ut lubet, prædæ loco habere: uxoresq; eorum & liberos illata ui constuprare consueuerunt. Aegyptij trecentos ferme annos enumerant, ex quo ipsi liberi ac nobiles, magno fortune ludibrio, uilissimis mæcipijs seruire coacti sunt. Quomodo autem libertate Imperioq; exciderent, satis latè monstrabitur, si quam uarijs bellorum casibus nobile illud Imperium iactatum sit, distinctè retulerimus. Aegyptus post interitum Romani nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus cecit. Sed non multis inde annis, Aegyptij, quum sibi omni tempore à Græcis superbe auareq; imperitatum existimarent, euocatis in auxilium Saracenis atq; ea ui Græcis subinde expulsis, Caliphum Saracenorum ducem sibi regem delegerunt. Is à Mahometæ pseudopropheta, qui Mahometanæ superstitionis nouas ex Arrij sectæ & Iudaica disciplina commixtas leges Orientis gentibus dedit, originem ducebat. A Calipho ceteri reges, qui eum uaria successione secuti sunt, omnes ueluti repetita Ptolemæorum consuetudine, Caliphi nomen acceperunt. Ultimus regum eius nominis in id tempus incidit, quo Christiani, Gothifredo & Boëmundo ducibus, Asiam ac Syriam uictoribus

tibus armis peruagati, Hierosolymitanum regnum conderunt. Is ab Almerico, qui Hierosolymis Balduino successerat, armis lacesitus, quum tantam belli molem ægre proprijs uiribus sustineret, à Sultano Syriæ rege auxiliares copias, & Sarraconem in primis fortissimum ducem accersit. Sed Sarraco tam insidius quam impiger, repressis Almerici conatibus, Caliphum nihil tale expectantem custodiæ tradit, regnumq; occupat. Exinde postea Caliphi amisso rerum Imperio, sacris tantum præfuerunt: penes quos confirmandi regis potestas erat: sicuti à pontifice maximo Romanos Casares diademate insigniri inueterata consuetudine uideamus. Sarraconi filius successit nomine Saladinus, qui Christianos in Syria & Palestina sæpius acie prosligauit, & ad extremum afflictis eorum opibus, Hierosolymitanum euertit Imperium. Post Saladinum, qui moriens fratri regnum reliquit, plures filij nepotesq; ex eadem progenie Aegyptum usq; ad Melechsalam tenuere. Melechsala liberorum regum postremus, cum Christianis continenter bella gessit, Quum ueteranos, ut accidere tot prælijs fuit necessarium, & fortissimos suorum amisisset, Aegyptiorum ingenijs atq; opibus suis diffusus, noui generis auxilia ex uenalijs seruis sibi comparauit. Tartari enim Scythica gens sub id tempus Armeniam atq; Asiam per Cassias portas inuaserant, Comanosq; populos, qui ad Cappadociam pertinent, prælijs uictos iure belli sub corona uendiderunt. Ex his Comanis, Melechsala egregiam manum haud magno coemptam pretio in Aegyptum traduxit, & militaribus armis instruxit. Quorum fortissima opera usus, non solum postea regni fines egregie tutatus est, sed & Ludouicum Gallorum regem ad Damiatam, quæ Heliopolis siue Pelusium fuit, statiuus



PAULI IOVII HISTOR.

in castris obsedit : & mox memorabili praelio superatum  
 uiuum coepit. Sed non multò post Melech sala conspiran-  
 tibus seruis, in ea uictoriae foelicitate trucidatus est, prom-  
 ptissimúsq; Camanorum Turquemenius, Imperium & Sul-  
 thani nomen arripuit. Verùm Turquemenius, dum ex co-  
 fastigio pristinae conditionis oblitus, conseruos, qui prin-  
 cipatum detulerant, elatiore animo despicit, à Cotho pa-  
 riter Comano equite domi obtruncatur. Cothos eodem im-  
 petu & Rex & Imperator ab exercitu salutatus, quum in  
 Syria Tartaros ab Hyalone relictos late cecidisset, simili  
 quoque oppressus fraude concidit : summaq; Imperij inter-  
 fectori eius Bandocaderi delata est. Fuit armis insignis  
 Bandocader : eiusq; ductu Comana seruitia Ricardum Bri-  
 tanniae regem, & reliquas Christianorum copias tota Sy-  
 ria depulerunt. Post Bandocaderem, qui ueneno sublatus  
 est, Elpis, & post eum Melech Vstrephus Imperio potiti  
 sunt. Quorum alter Tripolim Christianis ademit, alter Pto-  
 lemaidem, quae una omnium reliqua ciuitas Christiano praes-  
 sidio tenebatur, magnis copijs adortus expugnaui. Secun-  
 dum eos longa serie plures eius conditionis uiri fortes re-  
 rum Imperio potiti sunt : quorum nomen obscurius fuit,  
 quòd praeclearae eorum res gestae nullis literarum monumen-  
 tis ea tempestate mandarentur. Sed patrum nostrorum me-  
 moria Caitbeius opibus & belli gloria longè clarissimus  
 fuit, qui accepta per manus à maioribus disciplina, diligen-  
 tius ac liberalius, quàm quisquam antea seruilem militiam  
 adauxit, & excoluit : ita tamen, ut graui cura sub seruo-  
 rum multitudini prospiceretur. Qui paulò ante, coniura-  
 tione facta, atq; arreptis armis, ipsi regi, & equitibus domi-  
 nis suis difficile ac periculosissimum bellum conflauerant.

Hic est ille Sulthanus, qui, quum principes Christianos, ut quemq; magnificentia atq; animi uirtute prestare audierat, singulari beneuolentia prosequeretur, inter cetera munera Camelopardalim admirande altitudinis animal, Laurentio Medici Florentiã misit. Is Turcis in Cilicia superatis, & Persis qui è Mesopotamia Syriam inuaserat, magna uirtute repressis, domitis quoq; Arabibus, ad Mecham usq; ultimosq; Felicis Arabiæ terminos promotis armis, Maximi cognomen adeptus, trigessimotertio Imperij anno uita excessit, sub id ferè tempus, quo Galli ad Tarrum cum Venetis conflixerunt. Mortuo Caitbeio, Achbardinus & Campsomia, qui summos magistratus obtinebant, quum magnis inter se opibus de principatu funestissimè contendissent, & diductis in factiones Mamaluchis, cuncta tumultu atq; armis miscuisent, Mahometo Caitbeio filio usurpandi Imperij occasionem præbuerunt. Sed biennio post Mahometes, qui contra leges et ueteris instituti consuetudinem, paternam sedem inuaserat, à Cercasio inter epulas obtruncatus est. Ipse Cercasius, quòd publicam seruorum causam respexisset, & ius dicendi regis atq; obtinèdi Imperij Mamaluchis restituisse uideretur, Sulthanus summo omniũ fauore saluatur. Hunc Giapalatus, qui Damasci Syriæq; præerat, Memphim cum exercitu profectus, regali fastigio deturbauit, & coniecit in carcerem. Giapalatum autè crudeliter atq; auarè imperantem aduersè factionis Mamaluchi, duce Tomombeio expugnata regiã comprehenderunt, & in arce Alexandrina custodiæ tradiderunt. Eo confecto negotio, Tomombeius Giapalato suffectus est. Is quum initio statim principatus nihil antiquius duceret, quàm Giapalatum, quem ipse clam strangulãri iusserat, immanitate, auaritia, atq; omnibus sceleribus

## PAULI IOVII HISTOR.

superare, breui tempore tantum sibi odium concitauit, ut publico consilio Mamaluchi eum extemplo capiendum puniendumq; decreuerint. Ita Tomombeius octauo Imperij mense, quum obsessus in regia fugam per cuniculum desperata salute moliretur, ab amicis Giapalati contrucidatus est. Occiso Tomombeio, aule proceres, ut cruentissimis Mamaluchorum seditionibus occurrerent, quibus ad internitionem prope eorum nominis per quatuor annos fuerat dimicatum: Campsoni Gaurio homini iusto & forti atq; in primis minimè ambitioso Imperium detulerunt. Is recenti tot regum calamitate perterritus, quos paucis mensibus exitabili ambitione cecidisse meminerat, quum inuito similis procerum ac militū humeris alte sublatu, in regiam deferretur, abnuere Imperium coepit, reluctariq; demum grauiter, & se tanto fastigio imparem dicere. Demum obortis lachrymis amicos ac principes deprecari, ne se priuata contentū uita in manifestum uite periculū conijcere uellent, quando neq; pecuniam haberet expeditam ad donatiuum militi persolendum, ut ceteri consueuissent, neq; tantum consilij atq; auctoritatis, quantum necesse foret ad frangendos seditiosorum impetus, in ea rerum omnium confusione esset habiturus. Contrā proceres monere hominem, ne presentis fortunæ occasionem stulta obstinatione animi, inaniq; modestia negligere uellet, capesseret rempublicā affectam intestinis malis labantemq; atq; ipsum regū nomen, quod uno omnium studio sibi deferretur. Postremo omnes iureiurādo polliceri, se neq; manu, neq; industria, neq; opibus ei ad sustentandam regiam dignitatem esse defuturos, militesq; non antè petituros donatiuū, quàm ex regijs uectigalibus prouinciarumq; portorijs, publicani & quæstores exactam publico nomi-

ne pecuniam coëgissent. Quibus confirmatus adhortationibus Campson, se regem salutari & quo animo patitur: administrandi imperij curam suscipit. Is postea quum decies centena milia aureorum nummum militibus donatiui nomine diuisisset, & singulari eius moderatione eximiam de se probitatis atque prudentiæ præbuisset opinionem, tanta industria, paucis qui res nouas moliebantur ueneno sublatis, turbatum agitatūq; ciuilibus procellis rerum statum composuit, ut per sexdecim annos Syria, & Aegyptus nunquam tumultus uel belli nomen audierint. Dignus profectò Campson foelicis atque optimi nomine, si qui tam bonam pacem tranquillitatis & opulentiæ plenam egregia uirtute conderat, conuiuiscere, atque otium pati, quam sumptis temerè armis belli fortunam periclitari postea maluisset. Igitur Iachis et Cadelescher Iconio profecti ad Campsonem, is tum ad Orontem amnem, qui hodie Farfar dicitur, habebat castra, paucorum dierum itinere peruenerunt. Quibus liberaliter magis, quam amicè, uel humaniter susceptis, aliquanto post, quum senatus in prætorio datus esset, ipsiq; demissa oratione mandata exposuissent, Campson in hanc sententiam respondit. Veterem esse Sulthanorum consuetudinem, quòd principem in religione locum obtineant. Mahometanos reges, populosq; omnes in pace, cuius ipse in primis semper fuerit studiosus, omni cura atque industria continere: Proinde se in Syriam prouinciam suam uenisse armatū, ut pacem Selymo persuadeat. Quòd si in ea inferendi belli pertinacia persistat, atque Hysmaëlem, quem foederis atque amicitiae necessitudine sibi coniunctum sciret, oppugnare pergat, se dignitati suæ ac existimationi consulturum: nec passurum ulterius, ut unius insolentis ambitiosiq; hominis libidine ac furore,

PAULI IOVII HISTOR.

humana diuinaq; omnia permisceantur. Nouisse se iam pri-  
dem Selymi ingenium, quàm uasam quàm atrox, quàm in-  
quietem foret, postquam Baiazete patre optimo, tantæq;  
uirtutis fratribus, ac tantæ spei atque indolis septem impube-  
ribus consanguineis per summum scelus enecatis, totq; ami-  
cis, ac fortissimis ducibus crudelissimè trucidatis, immunitati  
atq; audaciæ nunquam finem uel modum imposuerit. Pro-  
pterea Selymo denunciarent unam atque extremam esse pa-  
cis conditionem, si ab Hysmaclis prouincijs abstineret, &  
Aladoli filio paternū restitueret regnum: quod in Sulihano-  
rum clientela ac fide semper fuisset. Id si faceret, ut rectè face-  
re deberet, præter suam gratiam atque amicitiam, quæ ei ma-  
ximo usui atque ornamento esse posset, ipsum longè maio-  
rem ex tuta pace, quàm ex ancipiti bello laudem esse relatu-  
rum. Legati tametsi Selymum non destitutum incepto, aut  
arma positurum ulla periculi denunciatione intelligebant,  
tamen quo maturius dimitterentur, & de repentino Cam-  
psonis aduentu ad Selymum celeriter nuncium perferrent,  
dixerunt sibi magnopere pacem placere, sperareq; se iustis  
adhortationibus flexuros animum Selymi: quoniam aditum  
ad intima eius consilia, & summam ad persuadendum au-  
thoritatem haberent: ac facile futurum, ut ea incendiorum  
initia opprimerentur, quæ integris adhuc rebus nondum ue-  
ram belli flammam concepissent. Ita cum muneribus dimissi  
continuato die ac noctu itinere, ad Selymum, qui Cesareans  
peruenerat, redierūt. Campson quoq; promotis ab Oronta  
castris in Comagenem uenit, & ad Aleppum celeberrimam  
urbem cōsendit. Eam ex ruinis antiquæ Hierapolis edifica-  
tam ab Alepio Iuliani Caesaris præfecto, qui in ea prouincia  
p̄ reclaras bello & pace res gesserit, & nouæ urbi nomē in-  
diderit,

diderit, pluribus coniecturis existimamus. Proxima est Sin-  
 gæ anni, qui è Pierio monte per Comagenem tortuosus &  
 leuis haud magnam aquarum molem trahens, in Euphra-  
 tem euoluitur. Hanc urbem Hyalō Scytharum rex ea tempe-  
 state, qua Christiani cum Aegyptijs regibus, de Syria & Iu-  
 dea possessione decertabant, quum tota Asia uasitatem fe-  
 cisset, resistere ausam expugnauit, & incendit. His tamen  
 ruinis etiam deformata, propter magnam loci opportunita-  
 tem, frequenti mercatorum concursu incolitur. Vix enim  
 quinque dierum itinere ab proximo Syriae littore distat, ubi  
 Tripolis et Berytus emporia: finitimaq; est Turcis ac Persis,  
 unde Orientis opes, quas gentes hinc, Amanō Syriam ab Cili-  
 cia dirimente, illinc Euphrate finiente Mesopotamiam, am-  
 plitudine Imperij ad Byrtham urbem Sulthanus attingit. At  
 Selymus, quum per legatos qui cuncta diligenter Aegyptijs  
 in castris explorarāt, de aduentu numeroq; hostium, simul et  
 de Campsonis arrogātia, qui sibi adeo tumide atq; insolenter  
 prescriberet, certius cognouisset, alia ratione ac instituerat,  
 bellum sibi gerendum existimauit: quod neq; tutam fore pro-  
 fectionem rebatur, si oblato nouo hoste in Armeniam cupi-  
 dius penetraret, neq; suæ dignitatis esse statuebat, ad superbi  
 uanissimiq; hominis nutū desistere incepto, expeditionemq;  
 dimittere, quam tanta impensa tantoq; studio parauisset. Igi-  
 tur in ancipiti negotio egregiū ac necessarium ab animi ma-  
 gnitudine consilium capit, simulat se restā, ut constituerat,  
 aduersus Persas progressurum: impedimētaq; & copiarum  
 partem, ut certior eius consilij fama ad Campsonem deferre-  
 tur, Suasiam urbem premitit (hæc olim Sebastia fuit) Sita est  
 in finibus Hysmaëlis, ubi Euphrates Tauri montis occur-  
 su fractos, ac mox rapido aquarum impetu uictor, perru-

PAULI IOVII HISTOR.

ptis ualibus in Mesopotamiam effunditur. Caterum conuerso in dextram itinere, transcendere Taurum montem, & celeri in Comagenem irruptione facta hostes imparatos adoriri constituit. Itaque concionatus apud prætorianos noui consilij rationem exponit, docetq; facilem atque expeditam esse uictoriam, si adhibita celeritate, priusquam retrocessisse ab Aegyptijs sentiantur, eniti in aduersa montium iuga, atq; eas itineris difficultates ingentibus animis superare uellent: neque inani timore adducti uana Mamaluchorum nomina horrerent. Interisse enim iam pridem eius gentis robora: illosq; ueteres equites qui Caitbeio duce aliquid existimationis ac nominis militiæ meruissent. Occursuros tantum in acie splendidos quosdam equorum domitores uerius quam milites, qui scire ad spectantium uoluptatem ludicra arte præstigiari in equis sciant: depugnare uero, & uulnera ferre non possint: ut qui longa pace, ac luxu, urbanisq; delicijs corrupti, nunquam castra uel armatam hostium aciem uiderint, nunquam tubarum sonum nisi in ludis atque spectaculis audierint. Proinde eos nulla tormentorū copia instructos, nullis peditū uallatos præsidijs cōtemnerent, et sicuti sacrarum legum & religionis interpretes, sacris ritē peractis, omnia prospere cessura pronunciaissent, ita ipsi spe pleni atq; alacres ad certam de superbo hoste uictoriam proficiscerentur. Solere enim Deos immortales his, qui iusta ac necessaria arma induerint, & belli causa præstiterint, certam uincendi occasionem proponere. Caterum superare hostem potiriq; uictoria in dextris eorum situm, qui, quàm pro decore gentis ac salute Imperatoris occumbere, nihil in tota uita pulchrius atque præstantius existimarint. Prætoriani alacri fremitu inter ordines suborto, statim acclamauere, duceret ac raperet

ret quo uellet, se cunctas forti audacia peruasuros locorum  
asperitates, omnesq; labores ac belli incommoda æquissime  
toleratueros. Ergo Selymus exploratis per montanos homi-  
nes iueneribus, tres semitas traducendo exercitui destinat, ad-  
hibitaq; triplici Asapporum atque incolarum manu, qui an-  
gustias repurgatis callibus aperirent, confragosa quæq; &  
inequalia itinerum transuehendis tormentis communiari &  
exæquari, asperioresq; transitus quæ iumenta ducerentur,  
subitario opere consterni iubet: Ac simul ut milites ad labo-  
rem accenderentur, donatiuum illis ex presenti pecunia pol-  
licetur, qui in traducendo tormentorum apparatu, extraor-  
dinariam operam nauassent. Vnde mox tormenta omnia,  
quum minoris generis essent, nec maiorem Medico malo pi-  
lam ferrent, facili tractu impulsuq; humeris militum per iu-  
ga & conualles transuecta sunt. Factum est incredibili studio  
militum, qui nouo bello aperiri sibi ad prædam opulentissi-  
mas prouincias uidebant, ut quinque tantum diebus in eo la-  
bore absumptis, omnis exercitus cum impedimentis & cur-  
ribus superato Tauri dorso, in Comagenæ campos descende-  
rit. Neque enim taurus, ubi Amani montis nomen assumit,  
qui locus ferme medius est inter Euphratem secantem Tau-  
ri iuga atq; Isicum sinum, qui hodie Aiaccius dicitur, ascensu  
arduus est, uel insuperabilis, mitescit namque, quum exte-  
nuatus ad mare prouehitur, & se multis in locis colendum  
atque habitandum præbet Cilicibus montanis, asperisq; ho-  
minibus duro labori assuetis, qui hodie Caramanni appellan-  
tur: Ea uox nigri montis accolæ significat, quod Amanus ab  
exustis cautibus procul nigrescere uideatur. Saxouaroglis  
Aladoli proditor, quem paulo ante Selymus euocauerat, ut  
statim in hostium fines descensum est, cum ualida suorum



PAULI IOVII HISTOR.

equitum manu regionem omnem, quæ ad Amani Tauriq; rã  
dices pertinet, celeri cursu percucurrit: ut simul ubi nam  
Campson cum exercitu constitisset, ex incolis captiuisq; co-  
gnosceret, obsessisq; itineribus, quantum equitum diligentia  
effici posset, prohiberet, ne de Selymi aduentu ad hostes fama  
deserretur. At Campson, qui uanitate atque superbia indu-  
ctus, sola auctoritate, atque amplitudine nominis terreri Se-  
lymum, & ad præscriptũ coërceri posse putauerat, non pri-  
us adduci potuit, ut Tauri culmina transmisisse hostes crede-  
ret, quàm eorum castra, in quæ supra centum milia arma-  
torum erant, bidui tantum itinere abesse nunciatum est. Itã  
ignarus belli, improviso metu territus, quum in ipso tanti di-  
scriminis negotio consiliũ capere cogeretur, ut qui suas atq;  
hostium uires tum primum expenderet, fluctuare animo cœ-  
pit: estuandoq; uehementer modò in spem erigi, modò metu  
ac pudore agitari: Postremò decoris atque salutis suprema  
cura anxius, hæsitare, num cedere infestis rebus, ingruenti-  
busq; procellis, & detrectato certamine in pacatiora resu-  
gere præstaret, an forti animo consistere, atque ipsam iniqua  
etiam conditione prælij fortunam periclitari: quando longè  
honestius foret maiorum exemplo, qui armis atque ausu par-  
tum imperium sibi tradidissent, armatum egregie mortem  
oppetere, quam propagatum per trecentos amplius annos  
eius militiæ decus turpi atque insolita fuga defœdare, uel se-  
ipsum uideri nimio uitæ desiderio septem & septuaginta an-  
norum ætatem dignitati atq; omni existimatione spoliatam,  
dedecori ac sordibus reseruari uoluisse. Erant è ducibus qui  
tuta consilia speciosis anteferrent: & ante alios Iamburdus  
cognomento Gazelles, magni Caitbeij alumnus, uir fortis &  
militari prudentia insignis, qui Amani, Apamiæq; præerat.

Is sicuti cum numerofo uetereq; hostium exercitu tantulis co-  
 pijs confligere calamitosum arbitrabatur, ita expedito agmi-  
 ne retrocedendum, & sedem belli ad Damascum deligendam  
 esse differebat. Quando pedestris & curruum impedin-  
 tis tardus ad insequendum Turcarū exercitus, tutum et faci-  
 lem receptum daret. Interea accitis in supplementum ceteris  
 omnibus Mamaluchis, qui in Iudæa atque Aegypto in presi-  
 dijs forent, proximisq; Arabibus mercede conductis, in hye-  
 mem trahi bellum, atque hostem difficultate commatus ex-  
 pugnari facile posse: nec cessurum continuo Alepum minora  
 tantum tormenta trahentibus, si uel mediocri presidio fir-  
 maretur, uenturaq; subinbe è Mesopotamia Persarum auxi-  
 lia: ipsumq; Hysmaelem Sophum, cognito Turcarum itinere,  
 in minorem Asiam irrupturum: nec defuturos Christia-  
 nos, qui è Cypro Rhodog; insulis, aduersus communem ho-  
 stem aenea tormenta subministrarent, si legationibus adiren-  
 tur. Quibus comparatis, exæquatisq; uiribus, non temerè  
 postea, si confligere & summæ rei aleam subire adeo pul-  
 chrum existimaret, in aciem esset descensurus. Cæterum gra-  
 uissima bella, quæ initio uehementes, repentinosq; impetus  
 habeant, prudenti aduersariorum cunctatione interposito  
 moræ spatio elanguescere consueuisse. Proinde fortuna peri-  
 culum facere ne properaret: quædo errata bellorum, quæ se-  
 pius ducum inscitia temeritateq; proueniant: lugere, ac serò  
 detestari optimi quique possint: restituere autem atque cor-  
 rigere, nec Dijs quidem immortales queant. Mouerat Cam-  
 psonem, & plerosq; alios opportuna & graui sententia  
 Gazelles, sed quo minus uera audirentur, militaris fremitus,  
 & stulta Mamaluchorum alacritas Campsonis auribus  
 officiebat. li enim, quum certiora de aduentu Turcarum au-

PAULI IOVII HISTOR.

dissent, incredibili letitia totis castris exultare, gestire præ  
 gaudio, atque inter se gratulari quod ostendendæ uirtutis, ac  
 parandæ laudis tempus uenisset. Iamq; illam tam diu exo-  
 ptam occasionem tenerent, qua Campsonem imperatorem  
 suum supratitulos & celeberrimam Caitbeij famam fusis  
 caesisq; hostibus essent elaturi. Nec deerant ex principibus  
 qui adulatione, inaniq; iactantia memorando, quanta cum  
 gloria ad Tarsum ingentes Turcarum copias nullo propè la-  
 bore cæcidissent, facilem atque expeditam de ipso hoste ui-  
 ctoriam esse prædicarent. Sed in primis Cayerbeius Alepi &  
 Comagenæ provinciæ præfectus, qui postea perfectò bello,  
 perfidiæ meritis ad summos honores euectus est, quum de stu-  
 dio uirtute atque ardore Mamaluchorum magnificè loque-  
 retur, quæ de apparatû numeroq; hostium uulgata erant,  
 eleuare uerbis, & saluberrimi consilij rationes euertere  
 properabat. Erat enim Cayerbeius haud obscuris de causis  
 Campsoni insensus, quod ipsius fratrem autoritate & for-  
 midandis opibus clarum, aliquot ante annis Campson uene-  
 no sustulerat. Vnde postea Cayerbeius, quû sibi etiam cauend-  
 um existimaret, & se iisdem quoque insidijs petitem suspi-  
 caretur, uocatus Memphim de more ad procerum conuen-  
 tus peragendos, simulata ægritudine, regio edicto parere no-  
 luerat: quæ res haud mediocriter regium animum exulce-  
 rauit. Sed Campson tacita iracundia tempus operiebatur,  
 quo hominem præferocem oblitum conditionis, ac insolent-  
 tius aduersum se ueluti è proprio regno in præfectura ag-  
 gentem capere atque interficere posset. Id commode perfici  
 posse uidebatur, si ipse occasione belli, ut tum acciderat,  
 uel simulatione adeundi Euphratis Hieropolim ueniret.  
 Mos enim erat ueteribus Sultanis, non prius se regio no-  
mine

mine uel militari laude dignos existimare, quàm ut proximè fecerat Caitbeius, productis ad Euphratem copijs, apud Byrtham emporium, quod in ripa & antiquum nomen & celebritatem adhuc retinet, consediſſent: ac ſolenni pompa equum ad potandas profluentis undas ſpectante exercitu in amnem adegiffent: ut qui ea ceremonia intelligi uellent, ſequam latiffimè imperitare, ac paratos armis oſtendere ſuos eſſe agros, qui citra Taurum uſq; ad Arabiæ ſolitudoines Euphrate omne alluerentur. Verum obſtabat ratio belli, quo minus eum primo aduentu ſtatim opprimeret: quòd incertis adhuc Selymi conſilijs, circumſpectare Turcarum & Perſarum motus, & conceptas diſſerre inſidias uſq; ad belli exitum ex uſu præſentium rerum arbitrabatur: ne atrocitate inopinati facinoris milites conſternati ſecefſionem facerent, aut in ampliſſima urbe ad rebellandum ex noua re tumultus excitaretur. Nam Cayerbeius ualidiſſimas cypias familiaritate ac beneficijs ſibi obſtrictas habebat in caſtris, & ſummam apud Hieropolitanos gratiam atq; authoritatem obtinebat: ac munitiſſima arce quæ media in urbe accliu in tumulo ædificata erat, fideli cuſtode impoſito potiebatur. Sed dum Campſon tardius & conſideratius ea moliretur, nonnulli ex intimis Sulthani familiaribus, qui officioſi quàm fideles uideri malebant, Cayerbeium ſecreto monuerunt, ut regias inſidias caueret: atq; aliquo honeſto conſilio rebus ſuis proſpicere uellet: Ille periculo cognito omnem deliberandi moram exitiabilem ratus, nuncios ad Selymum tranſmittit, qui doloris ſui cauſas aperirent, pollicerenturq; ſe in eius fidem ex occasione conſeſſurum, traditurum arma, arcem, & ſtudia ciuium erga ſe per quàm egregia: proprijq; equitatus uires, ut fraternam necem ulciſceretur, ad paran-

PAULI IOVII HISTOR.

dam de Campfione uictoriam esse collaturū. Ceterum ut promissis fides adhiberetur, obsidibus cauerent: & quæ consilia Campsonis, qualesq; eius & quantæ copię essent, sigillatim perdocerent. Postremò adhortarentur, ut accederet, & manus conferere maturaret. Nec Selymus postulatis annuere, proditorisq; uoto subscribere atq; ultrò maiora etiam polliceri dubitauit, haud ignarus explorari parariq; sibi uictoriam, si amplissimæ uires tanti uiri defectione hostibus decessissent. Itaq; Campson spreto Gazellis consilio, quod fidei ac salutis plenissimum erat, Cayerbeij proditoris, omnium militum hortatu, atq; ipsa etiam urgentis Fati uiolentia impulsus, quum Selymus appropinquare diceretur, prælio decertare constituit. Posita erant eius castra idoneo in loco ad Singam amnem, decimo fermè ab urbe miliari: ea ratione, ut milites propinquitate amnis uterentur, & semoti ab urbis tectis atq; delitijs, nihilominus ciuium facultatibus ac copijs iuuari facile possent. Mamaluchi duodecim milium numerum uix attingebant: uerum singulos, ut quisq; eorum maioribus stipendijs atq; opibus eminebat, plures serui armis & equis liberaliter instructi sequebantur. Decora certè ac insuperabilis acies, si uera uirtute certaretur. Viri prolixa barba, & minacibus oculis truces, ipso toto corpore lacertosi atq; flexibiles, tanta arte pugnam ineunt, ut post primos statim hastarum ictus, modò sagittis, clypeo in tergum reiecto, modò ferrea claua, interdum falcato ense, ut locus congressusq; poposcerint, admirabili quadam agilitate uirtuteq; depugnent. Equi eorum ualidi atq; acres, atq; Hispanicis forma celeritateq; persimiles: quodq; supra notrorum hominum opinionem esse uidetur, tanta ingenij docilitate in primis præstât, ut ad nutus, & ad certas fessorum uoces,

uoces, hastam sagittamq; mordicus terra subleuatam porri-  
gere, hostem agnoscere, atq; appetere dentibus, calcibus cun-  
cta circumsternere, nec horrere proprium cruorem, natu-  
ra cōsuetudineq; didicerint. His frena argētea, aurata ephip-  
pia, & squamosi operis ferrea colli & pictoris tegumenta  
conspiciuntur. Eques lorica, uel thorace ferreis laminis con-  
ferto, contentus est. Primorum ordinum equites, & quisq;  
diuitijs clarus galeas ferunt. Cæteri linteo capitis tegumen-  
to, quod pluribus implicatum spiris ad elegantiam intorquetur,  
se satis munitos aduersus cæsum feriētes existimant: gre-  
garij autem equites uillosis purpureisq; pileis, qui graui  
gladiatorum ictu discindi nequeunt, utebantur. Campson ex  
omnibus copijs quinq; acies instituit, prima Cayerbeio da-  
ta, quod in eius provincia bellum gerebatur. Secunda Sy-  
beio, cui ab admiranda corporis agilitate Baluano, quod eo-  
rum lingua schenobatem significat, cognomentum fuit: Is  
erat tetracha Damascenus, uir singularis fidei at uirtutis,  
qui uno tempore dextrum & sinistrum cornu Turcarum  
inuaderent. Hos Gazelles cum tertia acie sequebatur, oīs uel  
illis ubi res posceret auxilio futurus. Quartā ipse Campson,  
ultima ad præsidium castrorum relicta, auratis armis ful-  
gentem ueluti subsidiariam interuallo duodecim stadiorum  
adducebat. Selymus autē sic instruxerat aciem, ut more suo  
Asiaticū in dextro, in leuo Europeum equitatum prætoria-  
nos uerò pedites cum tormentis in medio collocatos haberet.  
Sed ante peditatum ornatissimi atq; fortissimi prætoriano-  
rum equitum, in quibus ipse Selymus eo die præter consuetu-  
dinem esse uoluit, medio in sinu frontē obtinebant. Cayerbei-  
us ut statim appropinquatū est, in speciē egregij animi acri  
impetu factō, Europeos adortus est: mox ueluti circumue-

PAULI IOVII HISTOR.

nire eorum aciem uellet, in terga longo circuitu deflexit, ubi nouissimum lixarum agmen impedimentaq; ac innumerabilem camelorum multitudinem, magno terrore illato potius, quam multa cæde conturbauit: ut fortis & proditor decori simul atq; perfidiæ satisfacere uideretur. In diuersa autem parte, Damascenus, ut ab latere aperto hostes inuaderet, ommissa fronte & circumactis in leuam turmis, in transuersos incurrit: tantoq; ardore à Mamaluchis dimicatum est, ut in genti Asiaticorum strage edita, ad uexilla quæ in medio collocata erant, in morē rapidissimi torrentis penetrarint. Nec prostratis primis Mustaphas Bellerbechus (hic Baiazetis erat gener natione Hungarus) & Imbracorbassâ regij stabuli magister, qui magna ui contra contendebant, quin diffugerunt, diutius sustinere potuerunt. Ita uictor Damascenus hostium cornu in duas partes discisso, quum ex obliquo ad pedites & terga prætoriani equites peruassisset, cuncta propè in media acie cædibus terroreq; compleuit. Erat res posita in summo discrimine, quòd Selymus incursum hostium propè abscissus erat à peditatu, in quo summam spem reponerat: quòd prætoriani à Gazelle qui Damasceni fortunam secutu iam mediam frontem inuaserat: accerrimè premebantur: quodq; Asiatici pulsatiq; disiecti nullam restituendam pugnationem inueniebant, quum Sinambassa laborantibus auxilio superuenit. Eius aduentu, quoniam nulla, uel mediocri pugna à Cayerbeio fuerat lacesitus, recentemq; equitum multitudinem induxerat, audacia Mamaluchorum retardata: auctiq; Turcarum animi: ac mox hostibus erepta uictoria, quum Selymi iussu in aduersos tormenta disploderentur. Quorum insolito fragore cõsternatos equos Mamaluchi nec regere poterant, nec ipsi singulari atq; admiranda

*randa uirtute suæ, ut erant in medio ab infinita hostium multitudine circumuenti, quicquam proficiebant. In ea tamen rerum asperitate nequaquam fracti animo, tametsi à Cayerbeio & à Fortuna deserebantur, neq; consilio, neq; uirtute sibi defuerunt. Vniuersiq; densato agmine conglobati cum strage Europeorum, & prætorianæ alæ detrimento, oppositam aciem perruperunt, & continenti cursu castra atq; urbem petere cœperunt. Tum demum acti omnes in fugam, persequente Sinambasà cum expeditis & recentissimis equitum. Namq; Selymus, qui ea die in summo æstu patientia corporis, & uigore animi, & cōsiliij foelicitate, se ipso haud dubiè maior apparuit, ut uictoriæ insisterent, & perterritos sectarentur, huc atq; illuc uolitans fuerat adhortatus. Iam Campson urgentibus fatis aciem promouerat, ut uel suis subsidio foret, aut uictoriæ, si Turcæ uincerentur interesset, quum in itinere à fugientibus cognoscit defecisse Cayerbeium, suas esse copias, nec iam omnium fugam sistiposse: tantâ esse tormentorum uim tantamq; hostium multitudinem, ut diutius sustinere nequeant. Quo nuncio elatissimus senex, qui nunquam in perpetua rerum tranquillitate alteram fortunam expertus fuerat, supremo animi dolore concepto, penè concidit. Nec multò post superueniente suorum atq; insequentium hostium turba, qui ipso cursus impetu concitati, obuios quosq; promiscuè proterebant, quum annis, & ingentis herniæ pondere grauaretur, & æstu meroreq; deficeret, in eo puluere exanimatus est. Damascenus quoq; & tetarcha Tripolitanus dum effusè omnes castra, atq; inde Hierapolim peterent, atq; ipsi à nouissimo agmine irruentium impetum sustinere canarentur, interiore. Selymus eodè in campo ubi pugnatum fuerat, paucis erectis tabernaculis,*



PAVLI IOVII HISTOR.

maiorēq; exercitus parte in statione collocata, in somnum e-  
 git noctern, ut qui uictoriae ac fortunae suae nescius, magno-  
 pere timebat, ne tanta uirtutis homines, captatis ad insidi-  
 as tenebris, ad oppugnanda castra reuenterentur, quos ipse  
 tormentorum metu magis quam uera militum uirtute pul-  
 sos, & coniectos in fugam esse conspexisset. At Gazelles &  
 ceteri Mamaluchi, quum de Campsonis morte certius co-  
 gnouissent, uixdum refectis ab lassitudine equis, de quarta  
 uigilia ab Hierapoli Damascum citato itinere profecti sunt.  
 Postero die Selymus promotae acie, castra hostium regiae o-  
 pulentiae plena militibus diripienda concessit: atq; inde ad  
 urbem progressus, Hierapolitanos duce Cayerbeio dedentes  
 sese in fidem recepit: atq; immunitatis honore profectus  
 est. Periere in ea pugna non amplius mille Mamaluchi. Sed  
 plures ex eorum seruis: maiorq; aliquantō cedes in fuga  
 quam in praelio facta, quum fatiscantibus sudore equis, &  
 siti passim emorientibus, destituti in pedes ab ignauissimo  
 quoq; equite facile opprimerentur. Magnus enim numerus  
 nobilium equorum interiit, qui ut erant praepingues & de-  
 licatius in umbra ac stabulis enutriti, quum illo praesertim  
 die cuncta immodico Solis ardore torrerentur, uehementio-  
 rem ac insolitum laborem ferre non potuerunt. Pugnatum  
 est ad septimum Calendas Septembres, eo ipso die, quod mi-  
 rum est, quo Calderanis in campis biennio ante uictoriam  
 de Hysmaele retulerat. In partibus autem Selymi supra tria  
 milia equitum caesa refruntur, ut hinc coniectari licet, insi-  
 gnem eum cladem fuisse accepturum, si ab lauo cornu, quod  
 proditoris beneficio intactum remanserat, Sinambassa, ut  
 alteri praefecto accidit, in suum & ipse Damascenum incidisset:  
 quanquam recenti atq; integro adhuc peditatus praesi-  
 dio

dio confirmatus nullū salutis uel ignominie periculū adire  
 posse uideretur. Campsonis cadauer biduo pōst à conquisito  
 ribus absq; ullo uulneris uestigio repertum est, quod Sely-  
 mus recognosci, & palam omnibus ostentari iussit, ut ea-  
 gentes, quæ illum uiuere, & ad reparandas uires Memphim  
 contendere obstinata credulitate putabant, omni reliqua spe  
 rerum nouarum deciderent: & qui fideles erant, in poste-  
 rium firmiores, sublata eius rei suspitione, redderentur. Nec  
 multo pōst, quum iam fœtore taboq; disflueret, & ad coar-  
 guendam uulgi famam, tridui spectaculo, satisfactum esse  
 uideretur, apud uetustissimum urbis templum mediocri  
 funere tumulatum est. Hierapoli in fidem recepta, Selymus  
 Iunusbasām cum expedito equitatu, qui uestigijs fugienti-  
 um insisteret, Damascum prēmisit, quò & ipse paucos  
 post dies, quū inde quoq; decessisse hostes, ac fuga Memphim  
 petiuisse cognouisset, cum omnibus copijs profectus est. Sta-  
 timq; ei Damasceni, qui morari uictorie cursum, & opu-  
 lentissime urbis fortunas in discrimen adducere alienum à ra-  
 tionibus suis existimabant, absq; ulla dubitatione portas a-  
 peruerunt. Quorum exemplo permotæ maritimæ ciuita-  
 tes, & in primis Tripolis, Berytus, Sydon, atq; Ptolemæis  
 missis legationibus, acceptisq; Turcarum præsidijs, similiter  
 deditioem fecere. Nec multis inde diebus Selymus celebra-  
 rimum conuentum in castris habuit. Ea Damasci moenibus  
 iuncta erant, ne quietæ & frequentissima urbis status, &  
 mercaturæ commercia, quæ summa omnium securitate ab  
 uarijs remotissimarum nationum negotiatoribus tractari  
 consueuerant, intromissa militū multitudine, turbarentur.  
 Quinquā ea esset in castris disciplina, seuerissimis acerrimi  
 Imperatoris legibus constituta, ut quū milites nihil sibi ex ea

## PAULI IOVII HISTOR.

*uictoria licere intelligerent, in fertilissimo autumno hortis  
 sine custodibus tuto relinquerentur. Quo metu adeo pruden-  
 ter penuriae prouisum fuit, ut Turcarum castra cunctis in  
 locis rerum omnium copia semper abundarint. Itaque adsci-  
 tis legum peritis, euocatisque eò omnium ciuitatum legationi-  
 bus, insignes Syrorum controuersias audiuit, atque finiuit.  
 Praefectos prouincijs atque urbibus dedit: recognouit uectiga-  
 lium rationes: & nonnulla ex uetere Sulthanici iuris for-  
 mula, quae iniqua uel onerosa populis uidebantur, ut sum-  
 mam sibi inde liberalitatis atque iustitiae laudem compararet,  
 antiquauit. His rebus hunc in modum optimè constitutis,  
 quum satis quietis et spatij ad recreanda iumenta, quae longi  
 & perpetui itineris labore remacruerant, exercitui datum ar-  
 bitraretur, atque ipse omnibus consilijs ac uiribus Aegypto  
 totus immineret, Sinambassam cum quindecim milibus equi-  
 tum, adiuncta his ualida manu scloppetariorum, quae ex or-  
 dine Ianizarorum & Asapporū delecta fuerat, in Iudaeam  
 praemisit, qui cuncta passim eius regionis loca exploraret,  
 atque iter ad Gazam, quod propter Arabes impeditisimum  
 fore putabatur, aperiret. Ea urbs ad mare, atque Aegypti fi-  
 nes pertinet, propinqua arenosis solitudinibus, per quas diffi-  
 cili periculosoque itinere ab Syria Aegyptus ulterior, ac ipsa  
 Memphis adeuntur. Interea Mamaluchi, qui duce Gazelle  
 Memphim peruenerant, ceterique omnes, qui e cunctis regni  
 partibus eo conuenerant, consilio habito, ut in asperis ac dif-  
 ficillimis temporibus accidit, nulla ambitionis uel inuidiae con-  
 tentione, Tomumbeium natione Cercassium regem sibi dele-  
 gerunt. Is tamen magnus Diadarius erat: qui magistratus post  
 regem primum honoris atque potentiae locum obtinebat. Cae-  
 terum si uiro tantum uigoris atque industriae inerat, ut  
 qui*

qui afflictas res, & labantem Imperij fortunam uirtute erigere posset, solus esse omnium prope Mamaluchorum opinione crederetur. Is ut statim Sulthani nomen adeptus est, ratus suam dignitatem & reliquas spes omnes in armis, & in una belli fortuna esse collocatas singulari studio arma, tela, equos undique conquirere, tormenta conflare, ex seruis qui militiae idonei uidebantur, turmas cohortesq; instruere, & ab finitimis Afris atque Arabibus auxilia mercede comparare cepit. Præterea peritos regionum magno proposito præmio, per deserta Palmirenorum in Mesopotamiam, atque inde ad Hysmaëlem cum literis mittit: qui petant atq; orent, ut minorem Asiã incursionibus exagitet, & in primis in Comagenem discessu hostium uacuam nudatamq; præsijs irrumpat. Selymum enim, qui tum in Iudææ finibus esset, duobus exercitibus facile intercludi posse, & comæatu prohiberi: quando littora nullis Turcarum classibus tenerentur, quæ terrestres copias aduectiis comæatibus subleuare, uel eas, si aliquam ex euentu belli calamitatem acciperent, et propterea de recessu cogitarent, excipere ac auertere possent. Id si faceret, ipsum & Aegypti simul rebus propter eius causam in summo discrimine constitutis subuenturum, & tot insignes iniurias, quas ab infensissimo hoste nuper accepisset, nullo prope negotio esse uindicaturum. Dum hæc à Tomumbeio administrantur, Sinambassa pluribus Arabum turmis, quæ latronum more uias obsederant, facile pulsas, patesfactoq; itinere Gazam peruenit. Eum Gazenses, tametsi Mamaluchis fidi erant, tamen quod sine præsidio militum portas claudere, & tentare defensionem periculosi & insani prope consilij esse iudicabant, deditione facta protinus recipiunt. Urbis copijs exercitum iuuant: ac simul gra-

PAULI IOVII HISTOR.

*tias agunt, quòd Selymi & Turcarum beneficio acerbiſſi-*  
*mæ ſeruitutis iugum depulſiſſent ſeq; omni tempore manuſu-*  
*ros in fide ob eius rei memoriam pollicentur. Sinambaffa col-*  
*laudato eorum ſtudio, cætera quæ ſibi uſui erant eis imperat:*  
*Sub mœnibus ad teli iactum inter hortorum munimenta ca-*  
*ſtralocat: atque eo in loco Selymi aduentum expectare con-*  
*ſtituit. Interim ut erat multis militiæ experimentis eruditus,*  
*operam dat, ut regionem, quæ paſſim infrequentia & difſico-*  
*rum & aquæ penuria aſpera incultaq; eſt, ac arenofi præſer-*  
*tim eius itineris naturam cognoſcat. Incolas donis perlicet,*  
*qui proximos Arabum duces, oblatiſ amicitiæ conditionibus*  
*sibi concilient, & quid Mamaluchi ad Memphim parent,*  
*quibuſq; uiribus conſidant, diligenter explorent, & proti-*  
*nus ad ſe reuertantur. Cõtrà Gazenſes, qui natura Turcarum*  
*hoſtes erant, & iam à præſenti exercitu quotidie rerum ſua-*  
*ſum detrimenta ſentire cœperant, Tomumbeium de Sinamb-*  
*baſſæ aduentu certiorè reddunt. Docent eã Turcarum par-*  
*tẽ, antequam Selymus adueniat, facile poſſe opprimi atq;*  
*deleri, ſi ualida Mamaluchorum manus cum peritis ducibus*  
*ad ſe tranſmittatur. Ipoſ enim, quum ex compoſito Mama-*  
*luchi intempeſta nocte ſopitoſ hoſteſ inuaſerint, eruptione*  
*facta protinuſ caſtra agreſſuroſ, & iniectiſ ſacibuſ cuncta*  
*cæde atque incendio turbaturoſ. Conſilium Tomumbeiuſ et*  
*Mamaluchi ſtatim probant: mittiturq; Gazelleſ cum ſex*  
*militibuſ armatorum equitum, & magna Arabum multitu-*  
*dine Gazelleſ enim quod ſalutaria eiſ conſilia à Campſo-*  
*ne atque alijs fuiſſent ſp̄reta, unde mox pugnae auidi tan-*  
*tam ſibi calamitatem temeritate contraxiſſent, ipſeq; in ea*  
*prælii aſperitate & prouidi ducis, & promptiſſimi equitũ*  
*officia fuiſſet executuſ, ad ſummam bellicæ uirtutis opi-*  
nionem

nionem peruenerat. Sed uixdum eo profecto, Sinambassa per Syros exploratores defertur, Mamaluchos adiunctis Arabibus à Memphi per deserta ad se opprimendum iter ingreffos esse: atque eos, quod expediti in equis absque ullis sarcinarum impedimentis exierint, ante biduum adfuturos. Qui nuncius, sicuti opportunissimo tempore Turcarum exercitui salutem attulit, ita maximo postea ad summam totius belli uictoriam momento fuit. At Sinambassa quanquam de Gazentium perfidia nihil cognouerat, tamen quòd illa eadem, ut erat prouido solertiq; ingenio sibi accidere posse suspicabatur, ne sibi cum duplici hoste negotium foret, Mamaluchis occurrere, & prælij fortunam experiri constituit. Ergo de secunda uigilia, castris silentio egressus, è conspectu urbis discedit, & Memphitica uia ad quintumdecimum miliare prouehitur. Erat in proximo humilis pagus, quo uiatores pro hospitali diuersorio, ob perennis atque largissimi fontis opportunitatem utebantur. Ibi fortè & Sinambassa sustinere uolebat, & Gazelles aliquot horis conuiuere, & suos recreare, ut noctu & maxime recentibus equis Gazam peruolaret, pari consilio cogitarat: quum uno ferme tempore ab antecurforibus eleuari ingentem puluerem, & mox aduentare copias utrinq; duci nunciatur. Gazelles improuisa re uehementer animo perturbatus, quòd se deiectum consilio, atque hosti imparem futurum, si congregi uellet, fristis præsertim equis, intelligebat, quanquam de communi omnium salute in uestigio consilium capere cogeretur, tamen animo non deficit, suos cohortatur ut arma expediant, et negotiũ, quod per insidias perficere nequuerint, id sibi in aperto uera uirtute omnino conficiendum esse existiment. Ex aduerso Sinambassa aliquanto celerius, quàm Gazelles acis

PAULI IOVII HISTOR.

instructa, quoniam milites, quæ fieri uellet si prælio certaretur, multum antea per otium edocuerat, alacriter ac diffuse apud cunctos suorum ordines concionatus est. Sed finis eius orationis fuit, ut omnino fugæ obliuiscerentur, postquam omnia circum clausa atque infesta nisi uictoribus futura essent. Illudq; in primis persuasum habere uellent, neminem ea die periturum, nisi quem certissima satorum lege Dij immortales exitio destinassent, pariq; periculo & fortes in medijs hostium gladijs salutem, & timidos in tutissima etiam fugæ inuitabili sorte mortem inuenturos. Erant sclopettarij in cornibus, quæ rara & simplici acie in longum porrigebantur, ea ratione, ut liberius sclopettis uti, & latiore spatio circumuenire hostes possent: hastati uerò medium tenebant locum, ut Mamaluchorum impressionem sustinerent. Gazelles autem appropinquans Arabum turmas ad disturbanda cornua præmisit, & quadrato agmine in mediam aciem inuectus est. Fuit prælium atrox, ac diu anceps, quoniam Turcæ etiam numero superiores uim armatorum equitum ferre non poterant, iamq; pulsî loco, atq; in diuersum irrum pentibus Mamaluchis dissecti, fugam oculis atq; animis circumspectabant, quum iubente Sinambassa sclopettarij, qui ad primam glandium procellam Arabas expellerant, rediit cornibus uniuersam hostium aciem circumuenerunt. Quo casu uiri pariter & equi à tanta multitudine eminus mortiferis glâdibus sternebantur, nullusq; in medio circumuentis uirtuti locus relinquebatur, quoniam ubi aliquis Mamaluchorum globus incitatis equis procurrebat, Turcæ leuitate sua cedere assueti, uelocissime refugiebant: undique huic rei omnibus pugnæ locis studebant, ut equos non conferrent, & solis sclopettis uterentur: Gazelles quum defatiga-

tos extrema lassitudine equos cerneret, nec dilabentibus Arabibus quicquam auxilij sibi amplius sperandum esse arbitraretur, multiq; iam ex fortissimis suorum cecidissent, aut uulnerati essent, ipseq; præ altum uulnus ceruice recepisset, cum reliquis ferro sibi iter aperiens, anisiss omnibus signis militariibus per easdem solitudines Memphim profugit. Periere in ea pugna Alexandrinus præfectus, & Orcomas Memphiticus prætor, uiri insignes, præterq; eos magnus Arabum numerus, & mille ferè noti equites. Nec Sinambassa latam aut in cruentam uictoriam adeptus est, nam supra duo milia equitum & in his aliquot clarioris nominis præfectos desiderauit. Turcæ quum à meridie ad occasum Solis protracta pugna, atque ob id exanimatis cursu equis, fugiètes persequi non possent, ipsiq; inedia ac labore deficerent, eodem in loco iuxta fontem castra posuerunt. Sequenti autem die caesorum spoliata toto campo per otium lecta, capitaq; hostium abscissa cadaueribus, quæ ab ipso barbæ habitu, quòd Turcæ cunctas corporis partes præter labrum superius radant, facile dinoscebantur, palmarum arboribus adfixere, ut impigre nauatam ab se operam testarentur: ac simul ea immanis spectaculi nouitate transituri mox Imperatoris sui oculos, ad ostentandam eius diei uictoriam detinerent. Interim Gazenses, quum ex oriente Sole uacua hostium castra conspexissent, ut qui diutius perfidiam dissimulare non poterant, rati Sinambassam cognito Mamaluchorum aduentu timore adductum, inde retro in pacatiora loca refugisse, nonnullos Turcas ex numero egrorum, ut luce facta sequerentur, relictos, impetu repente in eos facto crudeliter interfecerunt: & paulò post circiter duo milia Turcarum equitum, qui ad augendas Sinambassæ copias à Selymo submittebantur, forteq;



## PAULI IOVII HISTOR.

ea ipsa hora superuenerant, et magna cum sollicitudine nuntia  
 in ea loca cum exercitu Sinambassa peruenisset, suscitabantur,  
 hostiliter adorti omnibus impedimentis exuerunt, & in  
 fugam dederunt. Qui postea eo accepto incommodo, quum  
 Sinambassam cum uniuersis copijs aliquo aduerso casu, uel  
 hostium fraude periisse putarent, quem ad Gazam castra  
 habere ut constitutum fuerat, atque ibi Selymi aduentum op  
 periri, existimabant, & propterea trepidam fugam regrederentur,  
 ab Arabibus in itinere trucidati sunt. Nec unus eorum omnino  
 incolumis euasisset, nisi Iulebbo Achaiæ Sangiacho ad  
 Ramam urbem occurrisset. Is enim pariter à Selymo missus  
 cum ualida manu Græcorum equitum, ad Sinambassam  
 contendebat, cuius aduētū audacia persequentium Arabum  
 repressa est. Caterum Arabes, euocatis ad prædam alijs atq;  
 alijs suorum ducibus, qui proximos montes incolebant, ac  
 ingenti conflato exercitu, Turcas ad Carasbaram uicium  
 consecuti sunt: Pugnatūq; est iniquissimo Turcis loco, quoniam  
 Arabes præoccupatis quibusdam angustijs, quæ ad extremum  
 spatiosæ uallis coarctabant iter, à tergo simul, à  
 fronte, & à lateribus se ostenderant, Arabum arma erant,  
 præter sagittas, longissimæ hastæ utrinque ferro præfixæ,  
 quas ad medium agili manu comprehendunt: his summa peritia  
 in perniciousis equis utebantur, & aduersi pariter, ac fugientes  
 hostem letifera cuspide feriebant. Quamobrem Turcæ &  
 numero pauci, & hastarum genere impares, procurare non poterant,  
 circumuentiq; in orbem pugnare, ac simul iter facere cogebantur.  
 Eratq; res in magnum adducta periculum, nisi Iulebbus prolatis  
 quatuor currulibus tormentis quæ præsidij causa secum adduxerat,  
 eos qui fauces occuparant, uti erant editiore in loco cum multa strage deiecisset.

misset: apertoq; itinere inde celeriter suos eduxisset. Quibus angustijs superatis, patientiores nactus campos, meliore aliquanto conditione iter facere cœpit. Nam per sclopettarios & sagittarios eminus rem gerebat & quum hostes appropinquabant, aperta acie confertas hastatorum turmas emittebat. Vbi uerò densior atque amplior Arabum globus sese offerebat, in eos tormenta certis ictibus mittebantur. Contra Arabes dispersi circumuolare, nouissimo abeuntium agmini instare, subsequi nequeunt & uulneribus retardatos opprimere. Postremò iter morari, nec tantis difficultatibus circumuentos cibum capere, aut omnino conuiescere, pati. Hic dies Turcis longè grauisissimus fuit, nam plures eorum siti uulneribus, & cursus labore confictati, ceciderant: nullumq; iam subsidium extremis eorum rebus ab numerosa ac perimaci hostiũ multitudi- ne relinquebatur, quum magnus Turcarum numerus medio ferme itinere laborantibus ac perditis superuenit. Selymus enim Himbracorba scissa cum ualidis copijs ad tuendam Siryam atque Asiam in Persarum finibus constituto atque accitis Bizantio nouis militibus, qui magna atq; ornatissima classe in Syriam transportarentur, castra Damasco promouerat: & ut rei frumentariæ consuleret, quæ exhausta in regione angustior erat, separata suorum agmina certis interuallis singulis quoque diebus premittebat. Ita ulebbus recentium militum interuentu eo periculo liberatus, sequenti die Selymo occurrit, & quæ sibi ac primis equitibus ad Gazam ac Ramam, & mox toto itinere contigissent, quæq; ipsi coniecturis Sinambassæ exercituiq; eius, ob crebras insensissimorum hostium insidias accidisse existimarent, ordine exposuit. Quo nuncio Selymus in summam animi sollicitudinem adductus est: quod nisi exploratis &

## PAULI IOVII HISTOR.

cognitis Sinambasse rebus, in cuius fortuna totam belli rationem consistere iudicabat, minimè sibi procedendum esse arbitraretur. Sed moerore atque ea cura anxio paulò post Syri speculatores superuenere, qui rem, uti à Sinambassa gesta fuerat, retulerunt. Quibus cognitis rebus incredibili lætitiæ est affectus quoniam ea uictoria & apertam sibi Aegyptum, & bellum celerius opinione confectum esse prouidebat. Postero die exercitus Ramam ductus, proximaq; eorum Arabum mapalia, qui tantas transeuntibus iniurias intulerant, ut ceteri exempli atrocitate deterriti à latrocinij abstinerent, cum uxoribus eorum ac liberis cõcremata. Inde q; præmissis pedestribus copijs, quæ Gazam iustis itineribus contenderent, ipse ad leuam Hierosolymas deflexit, ut urbem uetustate originis, ac Hebraicæ religionis fama totius Orientis celeberrimam inuiseret. Ea tunc miserabili sacrarum ruinarum deformitate inculta atq; deserta, non à Iudeis ueteribus incolis, qui tunc toto orbe extorres in admissi sceleris poenam, nec sedem nec patriam habent, sed à paucis Christianis incolebatur. Ii cum ignominia, & graui admodum contumelia Christiani nominis, ob cõcessam uenerandi sepulchri possessionem, graue tributum Aegyptijs regibus persoluunt, nec florentes ætate opibus Europæ principes, ullis ueræ uirtutis uel immortalis gloriæ stimulis ad uindicandam iniuriam excitantur, quum religionis causam tanti nõ ducant, & intestinis bellis uel infami otio absumi, id demũ regum atq; æterna laude dignum arbitrentur. Selymus ueterum Prophetarum monumenta suppliciter ueneratus, Mahometo in primis sacrificauit: & Christianis sacerdotibus loci præsidibus, tanquam pijs probisq; hominibus, pecuniam in alimenta sex mensium largitus est, atque inde unam tantum Hierosolymis

lymis moratus noctem, Gazam ad exercitum quartis castris peruenit: quo itinere diu noctuq; cum Arabibus continenter dimicatum est. Namq; illi consuetudine sua omnibus locis insensiderant, ubi locorum angustijs iter impediatur: quod extenuari Turcarum agmina necesse erat, transuersis praelijs laceſſebant, et comminus improuisti praeliabantur. Si in ualles agmen se demittebat, ipsi è uertice collium paratos antea ingentium lapidum cumulos prouoluebant, neq; ullum in sclopettarijs presidium erat, in quibus summum fore putabatur. Nam coelum per eos dies uento & continuis imbris adeo foedum fuit, ut sulphureus puluis in laenis & cornibus seruatus, humore concepto lentesceret, et ignis passim humentibus funiculis extingueretur. Tamen uirtute pretorianorum effectum est, ne aliquod maius incommodum in conspectu Imperatoris ab nudis latronibus acciperetur. Nam captis lanceis talares succincti uestes, in aduersos montes euadebant, atq; illos deturbabant: neq; angustis in locis eos consistere, uel obsidere fauces patiebantur. At Sin. ambassa, qui Gazenses necatis defectionis auctoribus, bonisq; eorum direptis, & pecunia publice imperata, meritis perfidiae poenas dare coegerat, cognito Selymi aduentu, uiraces copias hostium spolijs exornatas eduxit: atq; obuiam est progressus. Quem Selymus multo cū honore uerborum comendauit, & muneribus sericæ uestis signatæq; pecuniae, omnes praefectos, & sigillatim fortissimos quosq; equites prosecutus est. Exinde castra quatuor tantū dies Gazæ habita, quod nullū perterritis iam hostibus, et duplici clade afflictis, moræ spatium dandum putabat, & nouū rogem auctoritate nondū collecta, ipsamq; Aegyptum situs munitione, numero hominum, & copia frumenti ualidissimam,

maioribus præsidijs cōfirmari nolebat. Quæ omnia tamen sibi proficiscendi summam celeritatem efflagitabant, atq; ipsum ad gloriam & famam naturali cupiditate properantem nouis stimulis ad maturandum accendere uidebantur, tamen & reficiendus erat exercitus ab tanto labore perpetui itineris, & magna utriusque multitudo instituenda: quibus per uastitas & fontium penuria desertas harenarum solitudines, ingentem aquæ uim toto itinere camelorum subuectionibus comportarent. Siquidem ab Gaza ad Memphim harenæ incultæ & steriles iacent, quæ, si uentis agitate fuerint, sæuentis pelagi similitudine in fluctus adeo turbidos attolluntur, ut sæpe eleuati pulueris nube cuncta undiq; obscurent: & cedente passim inæquali sabulo, incendentium uestigia salant, uehementerq; fatigent. Verum illis diebus præteritos imbres tanta coeli tranquillitas consecuta est, ut nihil ad summam traducendi exercitus foelicitatē Selymo defuerit. Namq; aër nullis turbatus procellis, quæ harenas excirent, atq; officerent oculis, perpetua serenitate conquieuit, ac simul tanta uis aquæ omnibus sermè locis reperta est, quod pluuiialis humor harenis imbibitus, fodientibus puteos ad depressionem duorum pedum occurrebat: ut frustra comportari utres, ac sitim timeri uulgo milites existimarent. Non defuere tamen Arabes, qui toto itinere ad prædam undiq; confluerent, nec quemquam hostium excedere agmine, uel remissius subsequi paterentur: cui uni malo facile duces occurrebant: nam toto exercitu distributa erant tormenta, quæ à turmarum præfectis, ut quisq; periculo proximus erat, in hostes emittebantur. Valida quoq; sclopetariorum manus nouissimum cogebat agmen, quorum præsidio, qui debiles et tardi, atq; ob id opportuni iniuriæ erant, egregie se defendebant.

Eo modo nequicquā laceſſente Arabum turba, propè Memphi  
 oſtauis caſtris peruentū, precedente Sinambaſſā, qui  
 cum Europeis unius diei itineris ſpatio Imperatorem ſemper  
 anteibat. Erat pagus ad ſextum lapidem ab urbe Memphi,  
 qui Matharea dicitur, Balaſami focunditate memorabilis.  
 Ibi enim hortulus eſt humilibus arbuſculis conſitus, unde li-  
 quor ille omnium odoratiſſimus reſudat, quum eburneis cul-  
 tellis extremi cortices inciduntur: cui propter inſignes ui-  
 res, quando id donū natura alijs terris inuiderit, morbi ho-  
 minum & oborta luxuria eminentiſſimum pretiū fecerunt.  
 In eum locum iuxta Rhodaniam uicum, Tomumbeius omnē  
 nouum ac ueterē tormentorum apparatus contulerat, foſ-  
 ſas tranſuerſas toto campo & publica uia, quæ leuibus cra-  
 nibus ac terra inequabantur, perduxerat: ipſeq; cum Ma-  
 maluchis (erant ij ad duodecim milia) magnoq; Arabū equi-  
 tatu opportuno in loco conſtiterat, eo conſilio, ut Turcarū  
 copie, quum appropinquare inciperet, priuſquam ad teli  
 iactum acceſſum foret, improuiſa tormentorum multitudine  
 ſternerentur: ipſeq; protinus cum perturbatis, in inſidiisq;  
 prolapſis, undiq; tota uiriū mole circumſuſus æquiſſima con-  
 ditione decertaret. Hæc autem adeò peritè ac prudenter in  
 tempore conſtituta atq; perfectæ erant, ut nemo omnium in  
 exercitu eſſet, qui de eius dici uictoria dubitandum eſſe pu-  
 taret. Magna proculdubio Turcis omnibus calamitas immi-  
 nebat, niſi Fortuna, quæ ſicuti Selymo ſemper fauit, ita To-  
 mumbeium aduerſa atq; inſenſa perſequebatur, paucorum  
 perſidia, operoſis Mamaluchorum conantibus occuſiſſet.  
 Erant in Salthanico exercitu ex numero prætorianorum e-  
 quites quatuor genere Epirote, qui Tomumbeium contra  
 ac ipſi comitorum die optauiffent, ad id ſaſtigij eueſtum ad

## PAULI IOVII HISTOR.

uerse factionis suffragijs agrè ferebant. Uisue ingenij pra-  
 uitate impulsus, siue spe adducti praemiorum liberaliorisq;  
 militie, quòd labantibus partium rebus, nouas ac certiores  
 amicitias sibi tentandas arbitrarentur, ad Sinambasam tan-  
 quam ad primarium ducem suæq; nationis hominem trans-  
 fugerunt. Erat enim Sinambasà ignobili Epiri uico in mon-  
 tanis Ambracie natus, quem memorabilis casus in eam uir-  
 tutis atq; opulentie magnitudinem euexit. Nam porcã quæ  
 domi alebatur, ei adhuc puero, ac fortè in umbra dormitan-  
 ti adprehensa morsu uirilia exedisse ferunt: protinusq; eum  
 ueluti eo corporis uicio nobilitatum à conquisitoribus insi-  
 gnium puerorum Constantinopolim ad Mahometem fuisse  
 perductum. Vbi eum mox Fortuna, quem paulò ante non  
 temerè, ac seua tamen sorte castrauerat, fatalis uirtutis au-  
 spicijs ad destinatos honores extulerit. Ab his equitibus Si-  
 nambasà atq; Selymus edocti, cuncta hostium consilia co-  
 gnoscunt, ac in primis quales sibi, quantasq; insidias Tomum  
 beius summa caliditate summoq; artificio tetèdisset: in quas  
 necesse foret incidere, nisi ab uia publica, rectoq; itinere de-  
 flecterent. Quum obrè iisdem perfugis ducibus in leuã ma-  
 gno capto circuitu, antequã dilucesceret, insolitũ iter ingre-  
 diuntur, atq; instructa acie, productisq; tormentis, ne quid  
 moræ ad comittendã pugnam interesset, euitata castrorum  
 fronte auersis hostibus se ostendunt. Eare animaduersa, To-  
 mũbeius ex hostium itinere, coniectura iudicans insidias suo-  
 rum proditione fuisse detectas, quanquã incorporabili do-  
 lore animi conflictaretur, quòd ea omnia quæ tot hominum  
 labore, tantoq; studio perfecisset, inuidente fortuna puncto  
 temporis deperissent, nihilominus, ut erat egregie fortis,  
 ad consilium pristinumq; uigorem sensus omnes extemplo

reuocat, accitisq; ad se omnibus præfectis, quid fieri uelit celeriter edocet. Tomumbeio in tanta rerum angustia constituto, omnia uno tempore erant agenda, signum, quo milites conscendere equos atq; arma capere iubentur, proponendū, conuertendus castrorum ordo, instruenda acies, milites cōfirmandi, & tormenta, uti casus postulabat, in contrariam partē traducenda. Quæ res, sicuti eas nisi ægrè atq; turbatè unus Imperator administrare non poterat, ita raptim atq; peruersè à pluribus simul ducibus agebantur. Sed illud in primis omnem administrationem retardabat, magna omnium concursatio ad traducenda tormenta: è quibus plura erant è ferro enormia atq; ingentia, quæ magnis inclusa trabibus, armillis, ac ferreis consibulationibus rudi & nauali ueterum artificio continebantur. Ea propter inusitatum grauitatem, nisi subditis pluribus iumentis, & scutularū ac uectium impulsu, magnoq; cum labore hominum suo loco dimoueri non poterant. Quæ uerò curribus imposita erant, quum ab incondita ac festinante turba cum ingenti clamore impellentium atq; aditentium per omnes castrorum uias traherentur, cōscendentes equos, & coeuntes ad signa milites tumultuario transitu perturbabant. Verum his difficultatibus duæ res subsidio erant, militū alacritas, & supra quàm credi par sit, eorum omnium constantia singularis. Non enim, ut in repentinis casibus accidit, in quibus ipsi etiã ueterani se penumero pristinae uirtutis obliuiscuntur, ullo timore concepto, spe animisue deciderant. Siquidè bis acie uicti maiorem fiduciam, maioresq; semper spiritus sibi desumpserant, quū non uirtutem pugnandiq; peritiam sed Fortunam sibi defuisse iudicarent. Igitur Tomumbeius instruita acie, & militibus magno ardore prælij signum deposcenti-



PAULI IOVII HISTOR.

bus, omnem Arabum multitudinem à tergo aduersariorum  
 cornua circumuenire, & tumultuario prælio laceſſere iu-  
 bet: ut Turcæ equites penè, priuſquam ipſe inductis ſuorum  
 turmis procurreret, ancipiti pugne periculo turbarentur.  
 Mox tormenta quæ iam deducta ac directâ in hoſtes fuerât,  
 diſplodi imperat. Idem continuo fecerunt Turcæ, nam iuſto  
 ab ſpatio maiora minoraq; ſemel emiſerunt, ac ruruſus omni-  
 bus celeriter impletis, eorum curruſ ad ſagittæ iactuſ pro-  
 mouerunt: certatumq; diu eſt hinc atq; inde ſolis ac frequen-  
 tibus tormentis, dum acies appropinquarent. Qua conten-  
 tione Aegyptij libratores ferme omnes interfecti, pluraq;  
 eorum tormenta ui pilarum hoſtilium curribus excuſſa, per-  
 fractaq; ſunt. Nam Turcæ complures tormentariæ artiſ pe-  
 riuiſſimos magnis inuitatos præmijs, ex Italia atq; Germania  
 in caſtris habebant, ac multos in primis ex illa Iudeorum  
 colluuiæ, quæ pietate Ferdinandi regiſ omnibus expulſa  
 Hiſpanijs, in contumeliã noſtram toto poſtea Orienti hu-  
 iuſmodi rariores arteſ inſolitaſ atq; mortiferas importauit.  
 Hiſ omnibus præpoſituſ erat Iacobuſ è regio Lepidi horum  
 operum egregiuſ artiſex, qui iam pridem Turcarum mune-  
 ribuſ illeſuſ, deſerto Chriſti cultu, ad Mahometi ſacra de-  
 fecerat. Sed quum iam prælium utriq; ad manuſ adduce-  
 rent, Mamaluchi trucem atq; horribilem clamorem tollunt,  
 & tripartitò magna ui Turcaſ adoriuntur. Selymuſ enim  
 ſuperiuſ inſtitutum ſuum ſeruans, ſic incedebat, ut lunata a-  
 cie aduerſiſ hoſtibuſ appropinquaret. Præerat Aſiaticis in  
 dextro cornu Muſtaphaſ, in ſiniſtro Iunuſbaſa: ipſe medi-  
 am aciem, ubi prætoria phalanx erat, cum magna tormen-  
 torum multitudine obtinebat. Sinambaſa autem toti ſum-  
 mæ certaminis præſſe iuſſuſ, ad incertoſ pugne euentuſ, cer-

tam sibi aciem ex fortissimis equitum ab una quaq; ala detra-  
 ctis delegerat. Quibus ex Selymiana phalange & uirtutis  
 & uelocitatis eximie quingentos pedites sclopettarios ad-  
 miscuerat, ut ab omni pugnae loco, quantumlibet subitis ca-  
 sibus paratus, ei suorum parti subsidio foret, quae ab hosti-  
 bus maxime premeretur. Ita uno ferme tempore quum To-  
 mumbeius in medio contra Selymum constitisset, & iam Ma-  
 maluchorum alae cum cornibus pari fronte concurrissent,  
 ac in tergis Arabes, ut imperatum fuerat, impigre dimica-  
 rent, quatuor simul praelia distinctis in locis exarserunt. Nar-  
 rant qui huic praelio interfuere, & clamore militum, & tym-  
 panorum tubarumq; sonitu, & fragore tormentorum, &  
 pulueris nube, armorumq; strepitu, adeo omnium mentes  
 attonitas confusasq; fuisse, ut cuncti promiscue caeci furore,  
 & uecordia audacia proruentes: quum nec uoces tesseraq;  
 dignosci, nec uideri signa, nec ducum imperia exaudiri pos-  
 sent, magnam suorum pariter atq; hostium stragem per mu-  
 tuum errorem ediderint. Nunquam enim antea uille acies ma-  
 ioribus accense odijs inter se concurrerant: nunquam duo  
 maximi reges minore salutis cura pertinacius atq; ardentius  
 corporis aut animi uirtutem ostenderant: Namq; ambo pa-  
 ri suo atq; exercituum periculo, quum se uite simul atq; Im-  
 perij aeam subiisse manifeste perspicerent, nullam sibi reli-  
 quam spem, nisi quam ipsa uictoria peperisset, fore intelli-  
 gebant. Iam Gazelles decoris atq; uindictae studio incensus,  
 ut Europeis parem Gazensi cladem redderet, Iunusbasans  
 magno impetu adortus, primas ac resistetes turmas obtrive-  
 rat, uexilla prostrauerat, ac Arabibus a tergo premētibus, il-  
 las omnium bellorum uictrices copias, ubi Thracum Thessalorum,  
 ac Macedonum robora erant, terga quae nunquam ullus antea

PAULI IOVII HISTOR.

hostis comspexisset, dare coegerat, quum Sinambassa in omnem uictoriae occasionem animo ac uiribus intentus cum recenti ac ualida suorum manu in latus hostium aduolauit, & inclinatum ac foede disiectam aciem reparauit. Verum paulo post ipse Sinambassa, qui supremo uirtutis opere edito, manifestam hostium uictoriam interpellarat, conuertentibus se in nouum hostem Mamaluchis Bidone pugnacissimo duce, ante alios egregie pugnans obtruncatur. Eius quoque equites exanimem humo tollere ac seruare conati, Gazelle turmas explicante, ut rari liberius gladijs rem gererent, quo genere pugnae Mamaluchi maxime prestabant, magna ex parte ceduntur atque fugantur: egregiaque illa pratoria cohorts, quum desituta ab equitatu circumacta in orbem hebetatis sclopettis diu restitisset, tota in medio prostrata, concisaque est. In altera autem parte Mustaphas cum omni suo equitatu uehementer inuectus, sinistram Aegyptiorum alam, in qua Heylmis Diadarius, & Giapal alter Orcomas clarissimi duces curabant, acerrime perurgebat. Ii paulo ante a tormentis insigne detrimentum acceperant, quae forte ab media Selymi acie obliquis campi spatijs emittebantur. Ea re animaduersa, Mustaphas abolendae ignominiae auidus, semel perturbatis acriter insiare, disiectos, lassatosque, inductis per cuneos turmis sundere atque prosternere: ac tota acie armis uocisque conspicuus, Asiaticos adhortari, ut ueteris militiae decus, quod Hierapolitanis in campis nuper amisissent, illa die uirtute egregia, uel honesta morte recuperandum sibi esse censerent. Eodem quoque tempore Tomumbcius perrupta media equitatum acie, ad pediatum peruenerat, plura ipse clara facinora curuato ense, ut erat corpore ac uiribus ingens, ediderat, atque Arabes exteriora Turcarum agmina corona praecinxe-

rant,

rant, eosq; auersa ac duplici acie pluribus in locis pugnare coegerant: quum Selymus, quod reliquum ac certum erat in tanta rerum iniquitate subsidium, phalangem promovit, cuius impetum neq; equi acres ferroq; coniecti, neq; uiri uictores ferre potuerunt. Pars enim militum per interualla scopettis utebantur, pars preteritis cuspidibus frontem hastarum sylua ita praesepserant, ut obuia quaeq; ubi illa conferta ordine unius corporis armatorum stabilis moles incumberet, sternerentur. Pugnatum tamen est uario utring; euentu ab hora quarta ad occasum Solis, nec ulla copiarum pars extitit, quae diuersas pugnae uices alterna sorte non tulerit, adeo enim uicti uictoresq; mutua atque implacabili rabie esserati, peruicacibus animis decertabant: quum Mamaluchi ab his eripi sibi uictoriae, quos tam late cecidissent, Turcae uero tam diu sibi resistere duobus praelijs ab se paulo ante superatos, indignarentur, ut languide etiam manus, fessaq; et praegratae uulneribus corpora, quae una ira ac obstinatione animorum sustentabatur, suffectura continuis caedibus in alteram lucem uideri possent, nisi nox ipsa tantae cladi finem attulisset. Prior Tomumbeius haud dubie uictus summae rei diffidens, receptui canere iussit: ut sui qui iam phalangi pares esse non poterant, non pulsati, sed reducti uiderentur: quod ad confirmandos militum animos, et ad retinendam auctoritatem pertinere plurimum existimabat. Iam enim illa eadem fortuna, quae primas spes fefellerat Tomumbeio, ut miseri solent, meliora speranti secundos rerum euentus promittere uidebatur, si animo non deficeret: ac seruatis, quae supererant, copijs bellum instauraret. Praelio interuentu noctis dirempto, Turcae uictores potiti hostium tormentis atq; tentorijs, Mamaluchos, qui iter fugae simile Memphim intendebant, ad multam no-

PAULI IOVII HISTOR.

Etiam persecuti sunt. Pugnatum est die Iouis Nono calēdas Fe-  
 bruarias, anno à partu Virginis decimo septimo, supra Mil-  
 lesimum & quingentesimum. Captus est in fuga Diadorius  
 multis grauatus uulneribus, & cum eo Bidon, cui pila falco-  
 ne emissa traiecto equo alterum genu perfregerat. Ambos Se-  
 lymus, uel quia sanari non poterant, uel quia ita decebat, po-  
 stero die mactari iussit: scilicet ut Sinambassa manibus, quem  
 unice desleuerat, dignioribus uictimis parētaret. Erant Tur-  
 carum copie, tametsi egregie uicerant, uehementer secundis  
 etiam praelijs attenuata. Quarta pars ualetudine atq; uulne-  
 ribus erat confecta, magnumq; equorum numerum superer-  
 mensi itineris labores, eius diei fatigatio debilitarat. Quibus  
 de causis Selymus aliquid de sua uetere festinandi consuetudi-  
 ne remittere cogebatur. Nondum enim Aegyptiorum qui  
 Memphim incolebant uoluntates perspectas habebat, non-  
 dum quibus in locis Tomumbeius constitisset, quibusue con-  
 silijs niteretur, fama cognouerat. Quibus rebus nisi maturè  
 ac diligenter exploratis, suam ac totius exercitus salutem nu-  
 merosissimis incolis, urbiq; totius terrarum orbis amplissi-  
 mæ, minimè committēdam esse statuebat. Igitur hisdem in ca-  
 stris ad Mathaream, Rodaniamq; uicum quatruido mora-  
 tus, faucios cum cura reficit, suorum cadauera effosis ma-  
 gnis scrobibus sepeliri iubet: hostium uerò alitibus ac  
 feris lanienda relinquit. Indeq; promotis castris,  
 ut commodius aquaretur, in planiciem in-  
 ter Cayrum uetus & Bulachum  
 profiscitur.

## PAVLI IOVII NOVO-

COMENSIS EPISCOPI NVCKERINI

*Historiarum sui temporis.*

## LIBER XVIII.



NTEREA Tomumbeius nihil tot usq; adeo funestis, atq; asperis rerum successibus fractus, collectis undiq; Mamaluchis, loco inter Memphim nouam & Nilum annē idoneo castra posuerat: ad octo milia seruorum Aethiopum armauerat: quo genere hominum

propter antiqua rebellionis memoriam, antea usus non fuerat. Praeterea Mamaluchorum filijs, ac Mauris clientibus suis, Iudaeis atque Arabibus aperto uetere armamentario, arma telaq; tradiderat, & bellum priore maius atque atrocius aduersus Turcas impigre moliebatur. Sed quoniam multae erant gerendi belli difficultates, amisso scilicet omni propè tormentorum apparatu, & fortissimis equitum ferro absumptis, supremi consilij dubias spes, quas dira necessitas exprimeret, aestuante animo ita uersabat, ut postquam nihil aperto in campo uera uirtute proficeret, totus ad dolos bellicosq; astus uerteretur, utpote qui integris nuper copijs uires improspere periclitatus, nequaquam iterum iusto praelio contendendum arbitraretur, nec duci uel extrahi in astatem bellum posse, infirmis opibus suis, ac desperatis auxilijs, confideret. Itaque noctu adoriri ac incendere

PAULI IOVII HISTOR.

Turcarum castra constituit: cuius consilij duæ rationes esse uidebantur: quarum altera erat in celeritate posita, ut prius ipse aliquid per tenebras audacter conaretur, quàm hostes paucitatem copiarum eius deprehenderent, quæ hebetes & tumultuaria erant, uel ipse in contemptionem Aegyptiorum deueniret, qui excutiendæ seruitutis auidi, rebellandi occasione nutantibus animis expectabant. Altera erat, ut tormenta, quæ in repentinis & nocturnis maxime casibus nullo propè usui esse consuescent, noctis beneficio deuitaret, qua parte uirium hostes magno suo cum detrimento superiores esse didicerat. Verùm et hos quoq; conatus, quum iam omnia ad patrandum facinus parata essent, similis transfugarum perfidia euertit. Namq; Selymus, prodeuntibus aliquot Mamaluchis, qui despecta regis fortuna, ut in calamitate miseris accidit, quotidie transfugiebant, cognito insidiarũ ordine, exercitum arma expedire, & excitatis passim magnis ignibus intentiore cura excubare iusserat. Qua diligentia sequenti nocte peropportunè factum est, ut Tomumbeius delatus ad castra, non mediocri cum iactura temerè prouecti primi agminis repelleretur: Supremãq; inde procul dubio ea nocte cladem accepisset, nisi flammarum totis castris collucentium insolito splendore admonitus, festinantia agmina, quæ ultrò contra hostiũ tormenta citato cursu ferebantur, animaduerso prælio continuisset. Eo depulsus consilio Tomumbeius, omnium suorum hortatu Memphim ingressus est. Namq; Mamaluchi, quum omnibus uicti prælijs aliam gerendi belli rationem ineundam sibi esse censerent, ut urbem occupatis oportuioribus locis totius exercitus præsidio confirmaret, atq; ingressu hostem prohiberet, suadebant, ut qui in tanta rerum acerbitate, postquam pro focis, uxoribus ac liberis,

certandum

certandum foret, in eorum conspectu ac in ipsis domorum  
uestibulis pugnantes occumbere, decorum & pristinae uir-  
tutis gloria dignum arbitrarentur. Itaq; singuli equites do-  
mos suas digressi, familiam omnem & summa tectorum ua-  
rio genere telorum instruunt, Aegyptios suae quisq; uicinia  
suppliciter orant, ut arma aduersus communes & crudelissi-  
mos hostes capere uelint, nec se trucidari, uxores uero ac libe-  
ros in seruitutem abstrahi patiantur: quādo nec ipsis, etiam  
si medios se gerere, & neutrum contra alterum opibus suis  
iuuare uellent, parsurus esset, si semel immanis atque auarissi-  
mus hostis (quod Diu averteret) bello uictor euaderet. Quum  
uictoria libidinis atque insolentiae plena neminem agnoscat,  
nisi eum, qui minimè consilij incertus & dubius, dum Mars  
adhuic communis, re manuq; partium fortunam adiuuerit.  
Erant pleriq; ex ditioribus Aegyptijs, qui sicuti rerum atq;  
imperij commutationem, mercaturā, fortunisq; suis detri-  
mentosam, atq; inimicam fore prouidebant, ita studio atque  
opera Mamaluchis non deerant. Contrā pleriq; e media classe  
ciuium, et e plebe infima ingens multitudo, quae periculi ex-  
pers semper in alieno damno lucrum facit, quod se per tre-  
centos propè annos in luctuosa & miserabili seruitute om-  
nia extrema perpeffos esse meminerat, intenti in euentum  
supremi certaminis, foribus suis se continebant, & tacitè la-  
tabantur: quod non sine Deorum immortalium cura tempus  
aduenisset, quo nefarii impotentesq; domini tantorum scele-  
rum poenas darent, ac uindicta alieno praesertim sanguine  
peteretur, unde mox ipsi oculos optatissimo spectaculo satia-  
rent. Interea Tomumbeius intentissimo labore ac studio por-  
tas aditusq; omnes communire, singulos duces singulis pla-  
teis praepone, per omnia fora concionari, nihil remissum



in opere esse pati, ac demum quod in calamitate atq; periculo  
 difficillimum putatur, summam spem rediuuamq; uirtutem  
 intrepido uultu præferre. Ipsi uerò equites supra necessita-  
 tem, quæ extremis in casibus ignauos etiam accendere atq;  
 effrare consuevit, æmulatione incitati, impigrè officia du-  
 cis exequabantur. Nam quisque, uti eorum ingenium atque  
 industria ferebat, notioribus uicis suis fossas transversas ac  
 trabes ingentis crassitudinis perducebant, alij præacutos sti-  
 pites occultis in scrobibus, queis incautè prolapsi hostes in-  
 ducerentur, defigebant: alij in compitis ac triuijs frequentio-  
 ribus fenestras, et domorū frontem pro copia tormentis in-  
 struebant. Quæ omnia tanta celeritate administrabantur,  
 quòd nemo uel equitum splendidissimus, ligones, aut sordidi  
 operis laborem detractabat, ut non prius excogitari, quam  
 perfici cuncta uiderentur. Erant portæ certiq; aditus qui in  
 urbem ferebant, quanquam urbs amplissima atq; uetustissi-  
 ma nullis mœnibus cingeretur, quorum unus directis ac la-  
 tioribus uiarum spatijs, ab Orientali porta ad arcem medi-  
 amq; urbem pertinebat. Ceteri aditus per angustos calles, &  
 enormes uicos habebant, quibus tormenta commodè apteq;  
 deduci, uel instructæ armatorum acies tuto committi non po-  
 terant. In hunc maximè locū Tomumbeius iustas uires contru-  
 lerat, quòd necessariò ab ea parte irrupturos hostes propter  
 uicorum amplitudinem intelligebat: reliquas urbis remotas  
 regiones mediocribus præsidijs impositis tuebatur. Interio-  
 ra uerò, ubi arx erat, à ualidissima copiarum parte teneban-  
 tur, ut quò uis hostium clamorq; & periculum milites auo-  
 casset, intenti ad opem ferendam celerius accurrere possent:  
 quoniam urbs omnium maxima, ab exteriori circuitu pa-  
 tentibus ubique ingressibus, parua manu defendi non pote-  
 rat.

rat. Memphis enim vasto ambitu tres ingentes urbes com-  
 plectitur: sed hæ raris inter se iunctæ ædificijs unâ efficiunt,  
 quarum frequentissimam hodie nouum Cayrum appellant.  
 Ea in longitudinem sex miliarium, secundum Nilum annem  
 protenditur, & ab Nilo passus mille paribus semper inter-  
 uallis distat: Latitudo eius decem stadia non excedit. Media in  
 urbe arx est molli tumulto imposita, cuius amplitudinem et  
 elegantiam potius quàm munitionem nostri homines admi-  
 rantur: Sunt enim in ea nobiles horti, platea ingens cum im-  
 mensis porticibus, hippodromos, minoresq; aræ plures,  
 atq; triclinia in omnes cœli obuersa regiones. Exteriora ue-  
 rò turribus ac propugnaculis, eximijq; operis pinnarum co-  
 rona præcinguntur: unde subiectæ circumquaq; urbis spa-  
 tia, Nilus præterfluens, ipsæq; pyramides amœnissimo pro-  
 spectu cõspici possunt. Non longè ab regia lacus est, aqua ex  
 Nilo corruata manufactus, cum ædificia miræ pulchritudi-  
 nis undique claudunt: summaq; est eius loci amœnitas, quum  
 & piscari, & auibus, quæ in lacu innumerabiles degunt, in-  
 fidiari ex ipsis etiam fenestris liceat. Sed hunc alius nobilita-  
 te superat, figuræ triquetrae lacus, in extrema huius noui  
 Cayri regione, quæ Bulachum respicit. Is per emissarium la-  
 pidei operis, ubi ferreæ sunt cataractæ, crescente Nilo im-  
 pletur, eo etiam latiore canali fluuio commissus nauiculas  
 admittit, quibus interdum noctuq;, qui letioris uitæ genus co-  
 lunt, et amoribus uacant, peruehuntur. Domus ad elegantiam  
 firmè omnes ipsa fronte, lacui imminent, quarum uestibula  
 perpetuo podio & marmore leuigato circumstratis margi-  
 nibus decorantur. His cymbas errates ludibûdiq; admouent,  
 effusamq; ac captandas auras uirorum ac milierum multitu-  
 dinem, cytharis, musicisq; concentibus salutant. In Orientæ

PAULI IOVII HISTOR.

tali lacus latere, prætorium exurgit paucis ante annis Dul-  
tibeæ reginæ opibus ædificatum, quo cætera amœnissimi tra-  
ctus ædes structuræ specie atque interiore elegantia facile  
superantur. Parietes enim porphyreticis & uariëgatis in-  
crustationibus relucebant: laquearia & concamerationes  
bracteato auro, prætiosioribusq; pigmentis, & multa arte  
præcellentium artificum ornabantur: quin et tota domo tes-  
sellati & uermiculati operis pauimenta, fenestras mino-  
rumq; ornamenta portarum, ex alabastrite, & candidissi-  
mo marmore, multoq; passim ophite calata spectare erat.  
Postes ualuaq; ipsæ ubique solido ex ebore, ac internitente  
passim ebene elaboratæ, tanta artificum eruditione, luxu-  
riantibus incertos orbes nodorum capreolis, ut mirantium  
oculos detinere, nec satiare posse uideretur. Nec apparatus,  
si ad interiora peruaderes, magnificentissimis ædibus erat  
inferior: utpote qui reginæ fortune, & muliebri luxuriæ  
aptissime responderet. Quæ omnia mox uictor Selymus, uio-  
latis etiam parietibus, ut integra exquisitorum lapidum or-  
namenta detraheret, Byzantium asportauit. Præter cum la-  
cum, omnibus noui Cayri regionibus nonnullæ procerum  
& Mamaluchorum domus uisuntur: quæ à nostris homi-  
nibus maiorem amœnitatis quàm structuræ commendatio-  
nem accipiunt: Cætera urbis humilibus casis & sordidissi-  
ma plebe replentur. Extant etiam tria Christianorum tem-  
pla diuersis in locis, quorum unum multo alijs uenerabilius  
existimatur, propter cryptæ famam, ubi Maria uirgo scui-  
tiem Herodis effugiens, cum infante Deo Christo latuerit.  
Alia Barbaræ uirgini & Georgio equiti, diuis etiam apud  
eas gentes celeberrimis, nuncupata sunt. Cayrum nouum  
continuatis propemodum ædificijs Bulachum sequitur.  
Id op=

Id oppidum in urbis effigiem altioribus tectis superbum, Nilo adiacet, & à Mamaluchis cæterisq; nobilibus æstiuo tempore frequentatur: ut incrementis Nili exundationes uoluptatis causa ab editioribus locis prospiciant. Eo cuncta nauigia quæ aduerso anæ subuehuntur, applicant: cæterum mercatorum concursus nouo in Cayro celebratur. In aduersa ripa contra Bulachum piscatorum ac nauarum casæ atq; tuguria ex cratibus & palmarum folijs contecta, uisuntur. Paulo supra Bulachum Cayrum uetus occurrit, quod pariter nouo Cayro intercedentibus ædificijs interuallo uiginti stadiorum adnectitur: & præterfluenti Nilo imminet. Plurima mediocris structure ædificia utramq; ripam obinēt. Contra est insula medio in anæ hortorum & uillarum amœnitate memorabilis, ubi diuortium aquarum incipit, & Nilus ipse ingenti eius insule rostro procinditur. In ea templum est filie Pharaonis regis amore, & Moseos periculo tanti cui repetita memoria celebratum. Verum Cayri ueteris ædificia magna ex parte in hortos & squallentes ruinas abiierunt. Ibi antiquam Memphim fuisse multis coniecturis existimamus. In ripa amnis Sulthanus Campson, egregij operis turrim arcis fastigium altitudine superantem extruxit, ad hauriendam è Nilo aquam. Ea pluribus rotis & machinationibus iumentorum labore uersatis in cacumen excepta, perpetuo demum aquæ ductu per castella, & lapideos tubulos, toti regie uarijs siphonibus immittebatur. Ab uetere Cayro quinq; milibus passuum, in Africæ parte pyramides absunt, barbæræ uanitatis monumenta: quando insanas opes ostendantium æternis etiam in molibus tituli nominaq; perierint. Intus sunt conditoria Aegyptiorum regum distincta in cellas, quæ pretioso sectoq; lapide uestiuntur. Ea

PAULI IOVII HISTOR.

loc. a odore tetra sunt, & tenebrarum aspectu formidanda. Namq; propter ad crescentes rudera cumulos, angusti-  
 mo ingressu descendentibus, sæpius funalia extinguuntur, cir-  
 cumuolitantibus uestertionum agminibus. Multi in sum-  
 mitates earum euadunt, & narrant inde aspici Alexandria  
 pharum, & fluminis ostia in mare erumpentis: adduntq;  
 eas ad medium infimæ basis spatiū, ob altitudinē, sagittæ ictu  
 minime posse pertransiri. Verū miraculo pyramidum ex-  
 cepto, coactis in unum tribus urbibus, nihil admirandū præ-  
 ter incolarum multitudinē conspicitur. Populus enim, su-  
 pra quā credibile sit, per omnes uicos numerosissimus oc-  
 currit, sed magna ex parte incultus & sordidus: nam Mama-  
 luchorū metu, ostentare opes non audent, qui diuites existi-  
 mantur. Hi camelis asinisq; uehuntur, solis sibi equos usur-  
 pantibus Mamaluchis. In uniuersū plebeij pariter ac diuites,  
 ueruecina carne atq; orizæ pultarijs famē explent, nec quæ  
 aliarum gentium luxuria inuenit exquisitas dapes, uel gule  
 irritamenta nouerunt: gallinacij tamen generis pullos nobi-  
 lium admittunt mensæ, quod eorum magna sit copia Aegy-  
 ptijs, apud quos gallinæ sua oua non incubant, sed ea in cli-  
 banis, tepore sensim adhibito, ita fouentur, ut mirabili ar-  
 te compendioq; pulli intra paucos dies progignantur simul  
 & educantur. Cæterum Selymus, ubi Tomumbetum Mem-  
 phim ingressum esse, & Mamaluchos omnes coactis in unū  
 uiribus extremam belli fortunam periclitari uelle, certius co-  
 gnouit, propius urbem admouit castra: & milites adhorta-  
 tus est, ut toties uictos hostes ea die omnino uincendos, &  
 penitus debellandos existimarent, paululumq; adniteretur,  
 ut superiourum laborum atq; uictoriarum præmia caperent,  
 quæ tot ac tanta futura essent, quanta ipsi uel immodicis ani-  
 mis

nis antea concupiuiſſent. Reſtare paucos cum deſertiſſimo  
 rege, qui quum uulneribus ac timore occupati, campeſtrent  
 aciem ferre nequeant, domi in oculis & complexibus libe-  
 rorum atq; uxorū, ſupremum uitæ caſum expectare de-  
 creuerint. Vocari ſe ultro ab Aegyptijs Mamaluchorum no-  
 mini inſenſiſſimis, qui illorum excidium auidiſſimè expe-  
 ctent, & ſe ad delendam peſſimorum atq; inmanium homi-  
 num progeniem è domibus pugnaturos polliceantur. In his  
 tamen reliquijs ſuſt perterritiq; exercitus debellandis, ſum-  
 mam totius belli uictoriam conſtare, quando pro uictis cen-  
 ſeri non poſſint, qui adhuc ſperent, arma teneant, ipſaq; in-  
 terij ſede atq; urbe maxima potiantur. Proinde in eius diei  
 euentu, cum ſalutis & gloriæ, tum fortunarum omnium ra-  
 tionem & caſum conſiſtere exiſtimarent. Rem uerò nullius  
 propè negotij periculiq; futuram, ſi in nouo pugnandi ge-  
 nere, ut antea ſe duce bellis omnibus enixè feciſſent, omnino  
 ſibi peruincendum eſſe ducerent. Ardebant prædæ cupidine  
 militum animi, paratiq; & diducti in ordines irrumpendi ſi-  
 gnum expectabant, quum Selymus Baſſuela porta ingreſſus  
 equites pluribus ſimul locis ſed latiore uia prætorianos im-  
 miſit. Occurrere equitibus equites, præliumq; atrox in tri-  
 uijs, & anguſtis in callibus edidere: pedites uerò prolatis in  
 frontè colubrinis, atq; falconibus, hiſq; ubi hoſtiū agmina  
 cernrentur, repente excuſſis, compita rectis oppoſita regio-  
 nibus ſtatione deſenſoribusq; nudabant. Vbi uerò ad muni-  
 tiones foſſasq; peruentum, dum impulſu obiectas trabes amo-  
 liri, foſſasq; transcendere conarentur, contraq; Mamaluchi  
 impigre obſiſterent: tanta ui, tantaq; animorum peruicacia  
 certauere, ut nuſquam acrius uel cruentius memoria noſtra  
 ſit dimicatum. Mamaluchi enim pariter ac Turcæ uires om-

## PAULI IOVII HISTOR.

nes, & cunctas bellandi artes in id unum pugnae discrimen contulerant, haud ignari pro uita atq; Imperio, ultimo eo certamine dimicari: quando summa utrinq; praemia, aut extrema supplicia uictis atq; uictoribus, ludente Fortuna ostenderentur. Plurimum caedis erat apud munitiones, nam Turcae incautius progressi in caecas fossas, alij super alios cumulati, prementibus ultimus procidebant: alij acutissimis ualulis induebantur. Ipsae matres familias & pueri, e domibus uirili audacia in subiectos saxa ac tegulas prouoluebant. Hos contra Turcae, ut quisq; eorum in fenestris uel tectis conspicietur, destinatis scloppetorū ictibus ferire, effringere fores, unde supernè uis telorū ingrueret, intra domos uario euentu pugnare. Ipsi quoq; Aegyptij, modò harū modò illarum partium fortunam specularantes, diuerso studio utrosq; pro hostibus ducere atq; oppugnare, ut quemcumq; uictorē fors daret, illum etiam egregie iuuissè uiderentur. Erant diuersis in regionibus plura simul contracta certamina: nam transuersis uicis quum discurrerent, modò hi, modò illi, in nouos hostium globos incidebant: & qui uictores in fronte urgebant, saepe interclusi ab hostibus, in tergis cedebantur. Viæ, & quantum spatij inter tecta relinquebatur, horrendum uisu, coaceruatis passim cadaueribus, tam multo cruore madaebant, ut eleuatus puluis, qui initio densissimus erat, scdaretur. Aër nihilominus fumo & caligine tormentorum, & sagittarum nube erat obscuratus, tantusq; erat militum clamor, armorumq; strepitus, atq; ipsorum tormentorum fragor, ut terra tremere, & conuelli aedificia uiderentur. Pugnatum est continenter duobus diebus, ac totidem noctibus ancipiti Marte, ita tamen, ut Mamaluchi, qui numero pauci labori atq; uigilijs sufficere non poterant, cedendo in

inte-

interiores sensim urbis partes, desertis primis munitionibus se receperint. Tertia die Mamaluchi, quum in ipso summa rerum fortunarumq; omniu discrimine, quod supremos hominum conatus atq; animos augere consuevit, uersarentur, tanta uirtute pugnam redintegrarunt, ut Turcas ad multum spatium propulerint, & aliquot eorum falcones interceperint. Quo casu Selymus dicitur de uictoria desperasse, iussisseq; ut aedificia passim incenderentur, impellente eum ad id flagitij & crudelitatis edictum iusta penè aduersus Aegyptios iracundia, quod Iunusbassa in oculis eius è fenestra lapide caput ictus, graue uulnus paulò ante sustulerat. Iam tecta miserabilem flammam conceperant: iam ululatus plorantium & deprecantium Aegyptiorum audiebatur: iam ipsi Turca languidius pugnantes, ut receptui caneretur expectabant, quum à pluribus simul nunciatum est hostes ab diuersa parte, instante Mustapha, loco pulsos superatosq; supremum auxilium in fuga posuisse. Etenim Mustaphas, monstrantibus Aegyptijs Mamaluchisq; transfugis ad amplissimam plateam peruenerat, ubi Mamaluchi stratos frenatosq; equos collocarant: ut si quid durius accideret, eò se reciperet, atq; his conscensis, in proxima, quae statuisserent loca se proriperent. Hos omnes, Mustaphas, deiecto praesidio, quod ut in parte urbis minime suspecta ex pueris ac mulionibus infirmisimū erat, cōprehendit, & abduxit. Ea res, sicuti in grauisimis atq; inexpectatis casibus accidere solet, uigore eorū atq; impetum magnopere debilitauit. Quamobrè spe fugae sublata, quū undiq; circumuentos se perspicerent, praeliūq; nulla alia spe nullis subsidijs, sed sola uirtute sustentaretur, confessione sua uicti terga uerterunt. Multi cum Tomumbeio, qui ne uinceretur eo praelio, cunctas artes uirtutis at-



## PAULI IOVII HISTOR.

que consilij nequicquam expertus fuerat, ad Nilum propere rantes ratibus transuecti in Segesticam regionem contenderunt. Alia multitudo Aegyptiorum domibus foedisimisque latebris se condidit. Ex fortissimis autem equitibus, amplius mille & quingenti ad templum inanium Deorum tota urbe maximum confugerunt, ubi quum diu sese tanquam ex arce defendissent, quod nisi honesta conditione deditioem facere nolebant, ad extremum siti, lassitudine, uulneribus, tormentisque expugnati, uictoris arbitrio se dediderunt. Quorum pars, coniuente Selymo, ab iratis militibus in uestibulo trucidata, pars secundo anno post aliquot dies Alexandriam deuecta est. Selymus, inclinante uictoria, extemplo cohortes duas ad restringendos ignes praemisit, ac tota urbe circummissis praecombibus pronuciari iussit, Mamaluchos, qui intra duodecimam horam se dederent, omnes fore incolumes: post id tempus, deprehensis nullam fore salutis conditionem. Aegyptiis autem qui latentes proderent, se daturum praemia: contra qui occultassent, se protinus eos palo infixurum: uxori busque ac liberis uenundatis, domos ipsas esse concrematurum. Ad cuius edicti famam magnus eorum numerus prodijt, qui bus statim cathena iniecta. Itaque omnes postea contra iussum randum, quod fugae consilium cepisse dicerentur, in custodia crudelissime trucidati sunt. Nonnulli, qui fidei ac amicitiae iura proditione uiolare noluerunt, delati ab alijs uicinis ciuibus, extrema supplicia perpepsi, pro amicis quibus se deuouerant, constantissime periere. Exinde milites uictoria feroces, scrutari cuncta, protrahere abditos atque obtruncare, praedari etiam Aegyptiorum domos, nihil clausum secretumque relinquere. Erant qui uno tempore iisdem in adibus auaritia, crudelitate atque libidine grassarentur, quum quisque eò uires impetumque

petumq; transferret, quò à natura raperetur. In magna namq; licentia quisq; suis moribus facile seruit, effuseq; blanditur. Eodem die Gazelles, qui paulò ante ad cogendos Arabes conducendaq; auxilia iussu regis in Thebaidem profectus fuerat, superuenit. Is quum euersis omnibus rebus, neq; manu, neq; consilio proficiscere possët, ac Dijs iratis infestisq; belli fortunam, quæ toties partium conatus transuerso impetu perfrègisset, minimè sibi amplius tentandam putaret, ad Selymum fide accepta cum tribus Arabum ducibus, multisq; equitibus uenit: atq; ita locutus est. Si Fortuna, quam summa uirtute tibi conciliasti, foelicitati nostræ non inuidisset: hodie non haberes, postquã cuncta armis tuis subacta sunt, unde reliquos mortales animi magnitudine superares. Integris rebus nostris atq; opibus, dum pro uita ac imperio certaretur, Turcarum nomen inani uirium fiducia elati, semper cõtèmpsimus, & te uti hostem decebat, acerbissimo odio persequebamur. Facto demum periculo, omnibus uicti prælijs, quum & mirificam atq; diuinam uirtutem tuam, & secundissimas uictorias, quæ nõ sine Deorum immortalium consilio tribuuntur, miraremur, supplices ad te uenimus, ut meliorem fortunam beneficio tuo sequeremur, & tu ipse parcendo atq; ignoscendo uictis ac deditis, qua una uirtute homines cœlitibus æquantur, supra immortalis gloriæ tuæ terminos nomen & famam extenderes. Tomumbeio quàm diu ille regis nomen uiresq; retinuit, & in aliqua luce uersatus est, fidelem operam præstitimus. At quum iniquo suo fato profugus, incerta etiam salutis fama solitudinibus ineret, deserti potius quàm desertores, ad te confugimus, studium nostrum atq; operam tibi meliore conditione probaturi, si, cõmutata acerbissimarum rerum sorte nobis ui-

PAULI IOVII HISTOR.

uere, & auspicijs tuis militare licuerit. Selymus, quod Gazellem propter eximias animi corporisq; uirtutes, quibus clari uiri etiam apud hostes gratiam promerentur, apprime nouerat, quodq; Arabes, quos maxime timendos esse intelligeret, foedere atq; amicitia sibi obstringere cupiebat, omnes humanissimis uerbis excepit: & singulis stipendia constituit, hortatusq; est, ut ueteris fortunæ obliuiscerentur, & cuncta ex liberalitate sua sperarent. Nec multo post, quum ab Ahasia urbe Mauri simul atq; Arabes, adiunctis quibusdam Mamaluchis, qui eò profugerant, Memphiticum agrum incursionibus uastarent, sæpeq; frumentatores Turcas, ac muliones qui paulò longius pabularentur, interciperet, Gazelles cum parte exercitus ad debellandos eos missus est: qui celeriter expugnata, direptaq; Ahasia, & latronibus magna ex parte trucidatis, superiorum dierum iniurias cum magna sui laude Imperatorisq; lætitia uindicauit. Interea Tomumbeius in Sciectia regione, quæ trans Nilum ad Cyrenaicam uergit, his etiã tot malis uictus bellum reparabat. Venerat ab Alexandria ad eum ualida Mamaluchorum manus, quæ ab urbis præsidio literis euocabatur: multi etiam eum ex fuga comitati fuerant. Non deerant partis Africa Arabes: & Mauri quoq; regionis incolæ studium atq; operam suam pollicebantur. Præterea ab Memphi nonnulli Aegyptiorum, quorum domus ipseq; familiæ Turcarum prædæ atq; libidini cessarant, si noctu Memphim conuolaret, se tumultum excituros promittebant. Foreq; uti omnes Turcæ, qui in contubernijs essent, uno clamore atq; impetu populi delerentur: quando omnes cuncta nefanda atq; hostilia perpessi, diutius insolentissimorum hominum iniurias ferre non possent. Ipsos quoque Turcas ad contemnendum numerum ex amplissimo

plissimo exercitu redactos esse dicebant, magnam eorum partem duobus Mæphiticis prælijs interijisse: reliquos ferme omnes, aut uulneribus, aut aduersa ualetudine esse confectos. Quibus de rebus, & uires undique crescebant, & spes ipsa, quæ nunquã perditio ac profligatissimo regi defuerat, apud inuictum animum supra eius miseriæ conditionem efferebatur: ita ut Fortuna, quæ immittis atque acerba omnium mortalium infœlicissimo supremas insidias tendebat, tum primum commutatis iniurijs prosperos rerum exitus promittere uideretur. Dum hæc à Tomumbeio pararentur, Albuchomar uir Aegyptius: qui in Sciectica ceteros omnes auctoritate atque opibus anteibat, siue ut imminentis belli cladem ab agris suis auerteret, siue ut gratiam uictoris, quam, malis facilius apud reges, quàm bonis artibus homines consequuntur, proditiõnis munere mereretur, ad Selymum uenit, atq; eum de copijs ac nouis Tomumbei & ciuium consilijs certior: em fecit. Quo cognito, Selymus excubias tota urbe disposuit: Suspectos ciues, in arce, quæ deserta à Tomumbeio, deuenerat in eius potestatem, custodiri iussit: & complura nauigia tormentis atque militibus instructa, quæ aduersam Nilæ ripam obseruarent, actuerentur, pluribus locis separatim toto flumine collocauit. Verùm secum ipse reputans, quanto cum periculo toties cum acerrimis hostibus conflixisset, & quàm difficile factu foret intercipere Tomumbeium fuga extrahentem bellum, atq; alia semper atque alia per uastas & ignotas regiones auxilia comparantem, ut clementia atque animi liberalitate hominem tentaret, ad eum legatos mittere decreuit, qui suaderent, ut arma deponeret, & iam tandem uictoris fortunam agnoscere uellet, ac simul data fide pollicerentur, eum, si supplex accederet, regnum, quod tueri ar-

PAULI IOVII HISTOR.

mis nequiuisset, uictoris humanitate ac beneficio consecutu-  
 rum. At si renouare bellū pergeret, & suae imbecillitatis obli-  
 uisceretur: dijudicata belli fortuna, nullā eum postea dignita-  
 tis ac uitae conditionem ex merito apud iratos inuenturum.  
 Enimuerō Selymus, quum se in remotissimam regionem, alia  
 atq; alia inuitante uictoria, abductum conspiceret, ac tantu-  
 lis infirmus copijs timeret, ne in amplissima urbe ab incerta  
 fidei hominum multitudine opprimeretur, per conditiones  
 bellum conficere, quā ui contendendo nouis implicari peri-  
 culis malebat: quum praesertim ab incolis eius prouinciae nun-  
 ciaretur, ubique manus equitum omnis generis cogi ab his  
 Mamaluchis, qui ex fuga diuersas regiones petiuissent: clas-  
 semq; ad Suezziā portum expectari, quae Arabico sinu ad  
 Erythraeas angustias aduersus Lusitanos profecta esset. In ea  
 esse supra tria milia Mamaluchorum, & Amyrassē ac Ray-  
 salomonem peritissimos duces, magnumq; numerum aeneo-  
 rum tormentorū, unde Tomūbeius accepta incōmoda resar-  
 cire, atq; urbem uocantibus amicis repetere posse uideretur.  
 Sed eum in primis ingens cura Persicarum rerum excitabat:  
 ne si Hymbracorbasā quem ad Taurum praemiserat, Hys-  
 maelis uiribus impar foret, ipse prius ab Asia Minore ac Sy-  
 ria excluderetur, quā Byzantina classis cum supplemento  
 militum, et secundis comitatibus Alexandriam perueniret.  
 Igitur decreta legatione, uiri insignes qui sacris praerant,  
 cum hisq; aliquot Aegyptij clari nominis mittuntur. Qui  
 quum traiecto Nilo in Seiecticam peruenissent, antequam  
 audirentur, à quibusdam Mamaluchis insana ac barbara  
 crudelitate trucidati sunt. Nefarij siquidem & arrogantissi-  
 mi homines, Tomumbeio nihil tale expectanti, se gratum fa-  
 cturos putabant, si ad declarandum studium suum atq; alie

nissimam à pace uoluntatem, tanti odij ac feritatis rabiem ea  
 immanitate sceleris ostentassent. Quod factum superbè atq;  
 atrociter, omnem Selymi patientiam abruptit, & mox sume-  
 stissimum bello, ac Mamaluchis omnibus finem imposuit.  
 Namque homo, quum nullis etiam irarum fluctibus agere-  
 tur, natura & uehemens & ferox, equo animo ferre non po-  
 terat, quòd uicti fugatiq;, & mandata sua, quæ utilia atque  
 honorifica ipsis forent, despiceret: & ius legatorum apud esse  
 ratissimas etiam gentes sanctissimum uiolare ausi fuissent.  
 Quamobrem his exagitatus iniurijs, in Seiecticam aduersus  
 Tomumbeium expeditionem edicit, commeatum parare im-  
 perat: & Nilum, quòd ratibus transire, neque sue dignita-  
 tis, neque presentis occasionis esse statuebat, contractis un-  
 dique nauigijs, stabili ac latissimo ponte consterni iubet. At  
 Tomumbeius, quum parari copias & Nilum ponte iungi  
 per exploratores et Memphiticos ciues audiret, ueritus pro-  
 uincialium perfidiam, quorum animos Albuchomaris dese-  
 ctione ab se alienatos esse, propter eius uiri potentiam atque  
 auctoritatem, facile suspicabatur, illam eandem, quæ toties  
 spes suas frustrata fuerat, prælij fortunam tentare constitu-  
 it. Omnibus enim rebus inferior, extrahere bellū, uel hostem  
 expectare non poterat: neq; sibi iterum amissa dignitate per  
 ulteriores solitudines fugiendum arbitrabatur. Ergo inito  
 cum suis consilio, quod sibi Mamaluchisq; omnibus supre-  
 mum fuit, cum quatuor milibus armatorum equitum, & bis  
 totidem Maurorum atq; Arabum, è Seiectica diluculo profe-  
 ctus, continuato per diem ac noctem itinere, ad Nilū contem-  
 dit, ut Turcas, quos nihil tale de uicto atq; infirmissimo hoste  
 suspicatuos esse intelligebat, audendo falleret, et sui famam  
 celeritate præueniret, ratus se improviso aduētū copiarum

PAULI IOVII HISTOR.

partem, quæ primæ flumen transissent, priusquam eis subueniri posset, esse deleturum. Neque enim temporis spatium opinionem sefellit: Nam horarum momenta cum itineris celeritate egregiè supputata, congruerant: & ut ipse coniectura futurum putauerat, prima Asiaticorum agmina pontem traiecerat. Miliones, & cum his pueri, qui Selymo à cubiculo seruiabant, quum ad tendendum tabernaculum amœniorem locum quæreret, longius progressi, puluerem aduentantis exercitus primi conspexere: statimq; ea de re Mustaphas certior est factus, & ad arma conclamatum. Qui rumor & his, qui iam transierant, et illis qui in citeriore ripa transituri morabantur, magnam trepidationem iniecit. Tomumbeius expedientes arma, & cocuntes ad signa hostes repentino impetu adortus, primos, qui sustinere irruentium impetum ausi sunt, obruncat, alios disijcit & conuertit in fugam. Nec Mustaphas, quanquam impavidus, ante alios pugnando, atque adhortando, tota ferme prima acie prostrata, ac cæteris perturbatis, restituere ordines, aut in fugam uersos retentare poterat. In aspero enim atque inopinato negotio, cuncta concursatione, cæde, fuga, et metu, plena erant, totis ripis supra atque infra pontem, respectantium atque auxilia implorantium trepida agmina uisebantur. Multi, impellentibus hostium turmis, ad extremos redacti margines, in flumen procidebant, multi ad initium pontis, occurrentibus, qui continuè ab ulteriore ripa submittebantur, dum scandere pontem uellet, timore præpediti, & reiecti ab suis, profluentis gurgitibus hauriebantur. Erat latitudo pontis tanta, ut quaterni equites commodè recipit, & magna eorum multitudo unius horæ momento transmitti posset. Verum quum tormenta traducenda essent, minora equitum subsidia

dia, quàm periculi magnitudo, uel repentinus casus efflagi-  
 tabant, submittebantur, nec in tormentis ullum erat auxili-  
 um, quæ celeriter traduci, uel ab citeriore ripa in aduersam,  
 propter obiecta suorum agmina emitti sine detrimento non  
 poterant. Interim Selymus, qui initio tumultus ad Nilum de-  
 currerat, scaphas & fluuiatiles lembos prætorianis sclopet-  
 tarijs complet, atque equitatu per pontem accelerare iusso,  
 eos laborantibus subsidio transmittit. Quibus nauigijs expe-  
 diti nautæ, quum adhibita omni celeritate reuertentur, ac  
 rursum alios exciperent, paruo temporis spatio plures cohortes  
 exposuerunt. Quorû aduentus perturbatos & iam egrè  
 sustinentes Asiaticos confirmauit. Canoglis quoque Tartari  
 regis filius, Scytharum agmina ut Nilum transfrent cohortatus,  
 in ulteriorem ripam paucis desideratis & admirantibus  
 cunctis euasit. Ea enim gens & Tanaim & Volgam rapi-  
 dissimos maximosq; amnes, gregatim insuefactis equis,  
 transnatate didicerat. Eodem quoq; tempore, Tomûbeius,  
 quòd celerem in una ea re uictoriam consistere providebat,  
 confertis suorû turmis ad pontis caput penetrare, atq; id oc-  
 cupare conatus est, ut ad intercludēdos hostes primam ratem  
 auelleret, & rudentes, quibus ea nauium series ripæ deliga-  
 batur, præcideret: quibus abscisis, necessariò totus pons su-  
 perstantibus copijs resolutus, ipso tãti amnis impetu rapere-  
 tur. Quæ res longè periculosissimam attulit dimicationem.  
 Nam ab delectis, ac optimè armatis, qui à fronte urgebant,  
 singulari uirtute pugnabatur: & Mustaphas animaduerso  
 periculo, & signa & fortissimos quosq; in eum locum con-  
 tulerat. Itaq; tanta est contentione actum, quanta agi debu-  
 it, quum Mamaluchi, si loco potirentur, se breui negotio po-  
 stea superiores hostiû uictorias euersuros, manifeste perspi-



PAULI IOVII HISTOR.

erent: & Turca, nisi pontem conseruassent, de sua in præmiis, & reliqui exercitus, ac ipsius Imperatoris salute desperandum esse intelligerent. Sed rem obtinuit Mustaphas sclopetarijs, et Græcorum turmis, quæ iam plures transferant, prælium excipientibus: moxq; hostibus repulsis ultrò institit: et ad multū spatium eos submouit. Hic est ille Mustaphas natione Pannonius, & Baiazetis gener, qui magnificentia & perpetuæ laudis studio, ex huius uictoriæ manubijs, eximij regijq; operis, & sumptus, pontem lapideum in Symone amne construxit: quem hodie per Thraciam transeuntes, tanquam Romanæ magnitudinis æmulum admirantur. Tomūbeius, ut Mamaluchis, qui lassitudine deficientibus equis, acrius pugnare non poterant, aliquid ad respirandum spatij daret, & per eos rursus extremum prælij casum collectis uiribus experiretur, Arabes ac Mauros, ut tantisper pugnam sustinerent adhortatus est. Quod quum impigrè præstitissent, & paulo post Mamaluchi equis atque corporibus aliquantum recreatis successissent, tanta uero prælium redintegratum est, ut Selymus uictoriæ diffidens, quanquam amici eius, ne id faceret, deprecarentur, conscendere pontem, & suis auxilio proficisci non dubitaret. Eius aduentus, spe illata militibus, qui in conspectu Imperatoris, & præmia & laudem, insigni aliquo uirtutis facinore edito, promereri cupiebant, conatus hostium repressit: statimq; prætorianorum cohortium uirtute omnes in fugam uersi. Fugientes, equitatus qui prælio non interfuerat, totis campis consecutus est, & ipsi demum Scythæ, qui delati uorticibus in ulteriorem ripam ad hostes tardius ascenderant, sagittantes affuerunt. Tum uerò missi Mustaphas, Cayerbeiusq;, & Gazelles cum recenti atque expedita equitum manu, qui uestigijs fugientium

teum insisterent: nec Tomumbeium elabi paterentur. Sequenti die eum ad præaltæ paludis emissarium, ubi paulum conqueuerat, adepti sunt, conantemq; interscindere ligneum pontem, ut iniecta mora antecederet, aliquot ibi occisis & captis, rursus effugere coegerunt. Tertia die, quum amissis fermè omnibus copijs, ad Secussani reguli uillam peruenisse, & Turcæ Aegyptijs, qui eius regionis pagos incolunt, extrema supplicia denunciassent, nisi ad comprehendendum Tomumbeium, egressus omnes illarum paludium, & circumiecta loca intentis custodijs obseruarent, metu percussus paludibus se condidit: ubi eum paulo post agrestesmersum aquis usque ad summum pectus, atque inter iuncos & harundines latitantem deprehenderunt: uinctumq; miserabili habitu occurrentibus Turcis tradiderunt. Nec multo post cum aliquot ducibus amicorumq; præcipuis, Memphim perductus est. Selymus, qui propter intersectorum legatorum iniuriam, hominem necare decreuerat, eum ad se perducere uetuit, tortoribusq; tradidit: ut de Campsonis thesauris quærerent, qui secretissimo specu abditi credebantur. Ferunt eum constanti animo ac minaci uultu, nihil præter suspiria atque horribiles gemitus, in summis cruciatibus protulisse, ut ea patientia uictoris seuitiam superaret. Postero die eum uili camelo impositum, ac obsoleta indutum ueste religatisq; in tergo manibus, sicuti noxij ac latrones solent, per omnia urbis fora, & celeberrimas regiones circumduci iussit: ut Aegyptij, quem paulò ante regem adorarant, illum eundem uertente fortuna in extremas præcipitatum miseras, uitæ simul atque imperij dies fatali laqueo finitum intuerentur. Quum uerò ad Bassuellam portam peruentum fuit, ei laqueo gulam fregere, utq; trãseuntibus con-

spectui atq; ludibrio foret, unco ferreo suspensum supra for-  
 nicem reliquere. De Tomunbeio supplicium sumptum est  
 idibus Aprilis, anno à partu uirginis decimosextimo supra  
 Millesimum & quingentesimum: qui dies Lunæ dicatus,  
 Christi resurrectionis celebritatem secutus est: quum ad  
 Rhodaniam pugnatum esset undecimo Calendas Februari-  
 as, die diui Vicentij memoriæ dicato. Nec defuerunt, qui in  
 eo tam atroci miserabiliq; spectaculo, lachrymas effunde-  
 rent, tristiq; gestu & incondito eiulatu ultimi regis sui usq;  
 adeò scædam atque turpissimam necem auersarentur, uel in-  
 crepantibus sæua uoce, & mortem comminantibus Ianize-  
 ris, quòd Memphiticus populus, uti leuis, & ueteri Mama-  
 luchorum seruitio assuetus, depulsæ seruitutis beneficium,  
 nequaquam letis et gratis animis acciperet. Erat enim plebs  
 Aegyptia adhuc incerta libertatis, proptereaq; cæco suspen-  
 sametu, rebus suis timere cogebatur: quòd Turcarum gen-  
 tem bello inuictam, formidatamq; cunctis Europæ atq; Asiæ  
 regibus, nequaquam Circassijs mitiorem, imperatore præ-  
 fertim cruentissimo, superbissimè regnaturam existimaret.  
 Commouebat quoque animos mirum in modum pendentis  
 Tomunbei habitus iam indignè à Fortuna mulctati: eum  
 namq; singulis aulæ honoribus integra nominis fama gestis,  
 ad summum regij decoris fastigium, studio populi, fauoreq;  
 procerum ascendisse meminerant, ut inde urgentibus fatis  
 usq; adeò deformi ruentis Imperij, & uite exitu præceps da-  
 retur, exemplum haud dubiè inter paucissima humane ua-  
 rietatis ualde memorabile miseris pariter atque scelicibus  
 præbiturus. His quidem, ut nihil sese efferre, sibiq; adulari,  
 illis uerò, ut cuncta, quæ indigna atque aspera sors aduehe-  
 ret, constanter ferre condiscerent. Eo etiam Tomunbeius  
 commi-

commiseratione dignior apparebat, quod Maiestatem pro-  
 cერი & lacertosi corporis, uultumq; promissa & canescente  
 barba uenerabilem, cum regio folio, tum militari Imperio  
 parem attulisset. Ceteri Mamaluchorum proceres cũ igno-  
 bili etiam equitum turba, qui in custodijs erant, eandem exi-  
 tus fortunam tulerunt. Sublato Tomumbeio, atq; occisis ser-  
 me omnibus Mamaluchis, quum nulla certa hostium manus  
 in Aegypto esse nunciaretur, quæ renouare bellum posset,  
 diductis copijs, ad recipiendas ulteriores prouincias Selymus  
 duces misit. Alexandrini enim secundum Memphiticam pu-  
 gnā expulso presidio, & Phari arce, quam imbellis cu-  
 stos certa cum spe presentis premiij quàm dubio periculi e-  
 uentu, tradere, quàm defendere maluerat, facile occupata  
 multis ante diebus ad Turcas defecerant: Damiatā quoq; ui-  
 etoribus portas aperuit. Hec olim Pelusium, Aeliopolisq;  
 demum instaurante Hadriano Cæsare uocata est. Citra autē  
 Nilum, quā Aegyptus Iudææ atq; Arabiæ terminos attingit,  
 nulla ciuitas, quæ Turcarum Imperio non pareret, relin-  
 quebatur. Ipsiq; Africæ reges Cyrenaicæ finitimi, qui pen-  
 dere tributa, & Sulthanis certo foedere parere consueuerāt,  
 legationes destinabant. Reliqui erant Arabes, & presertim  
 Africani, qui Tomumbeio auxilia miserant, & Turcis, quod  
 eo bello magnum suorum numerū amisissent, minime pariti-  
 ri dicebantur. Ea gens latrocinijs potius, quàm bello assue-  
 ta, ab Euphrate quā Palmyrenorum fines alluuntur, usq;  
 ad Atlanticum Oceanum totam Aegyptum atq; Africam  
 multitudine sua repleuit. Errabunda gens est, ac innumera-  
 bilis, distincta tamen per populos & duces, qui suas urbes  
 atq; oppida singulis curribus trahunt: ut potē qui certas  
 sedes non habent, & Scytarum more tentorijs & papilio-

PAULI IOVII HISTOR.

nibus utuntur. Ipsi se gentium nobilissimos prædicant, quòd nullis unquam alijs immixti gentibus, incorruptam antiqui generis nobilitatem conseruarint. In uniuersum astu omnes atq; ingenij artibus potius, quàm corporis uiribus pollent. Frugi enim in conuiuio homines nulla cibi intemperie uires alunt, temperantia ualitudinem tuentur: multaq; exercitatione ad inuictum robur habiles artus confirmant. His magnæ curæ est uxorù pudicitia, quando nihil potius ducant, quàm incorrupti sanguinis antiquum decus. Totum autem familiæ censum una implet tenuis suppellex, quæ nobili equo Mumidico, lancea, & iaculis constat. In mundo muliebri, neq; aurum, neq; argentum uisitur, sed lanea uirgata uestis, & pro geniali thoro ex centone leuis culcitra: primores tantum, argentum uermiculato opere fabrefactum pictumq; in phaleris gestant: argenteasq; item bullas collo suspendunt, quas incluso amuleto Thabeles uocant: quarum presidio aduersus pericula se probe munitos arbitrantur. In hospites aduenas ambitiosius, quàm latronum mores ferant, liberalitate uti mos est. Sed conuiuia eorum, si uenatio non suppetat, leui pollinis & orizæ pul-ticula, fauo mellis, carica, palmæ dactylis, ac lacte acido finiuntur. Munera sunt laneæ clamides colore uiolaceo aduersus imbres à nostris expetite. Sed inter se nouas & ueteres à maioribus per manus traditas immortales inimicitias exercent, ac sepe numero in factiones secedunt, & aggregatis utrinque auxilijs cruentissimè præliantur. Quæ de causa, quum antiquis odijs, & nouis simultatibus semper studeant, & bella ex bellis oriuntur, nunquam ad expellendos Mamaluchos consentire in unum, & pari consilio bellum gerere ualuerunt. Neq; enim Mamaluchorum opes  
tantæ

ante multitudini sufficere potuissent, quando Sulthani ex aliena discordia potius, quam proprijs uiribus eam prouinciam atq; imperium retinere uiderentur. Itaq; Selymus per idoneos homines plures eorū duces data fide ad se Memphim euocauit, & summa liberalitate profecutus est: quorum exemplo fiebat, ut ceteri quotidie accederent, acceptisq; numeribus in uerba eius continuo iurarent. Aliqui tamen, quum nullis pollicitationibus ac donis flecterentur, per instidias ab alijs ducibus intercepti, ac Selymo traditi, inanis pertinacitæ atq; odij poenas dederunt. Classis quoq; paucarum nauium aduerso Nilo usq; ad Sienem, quam hodie Guagueram incolæ appellant, ascendit, omnesq; hæ gentes quæ ad Aethiopian uergunt, sicuti amicitiam potius, quam Imperium Sulthanorum agnoscebant, ita uictoriæ fama perductæ, in Turcarum fidem facile concessere. Iisdem etiam diebus ad Sueziam Rubri maris portum (is olim Arsinoës fuit) cum aliquot, turmis atq; cohortibus processum. Distat Memphis à proximo littore, ubi Suezia est & Thorius portus, trium tantum dierum itinere. Quo in portu Campson aduersus Lusitanos classem edificauerat, qui, subacta tota prope India, omnem Arabici sinus nauigationem sustulerant: & quum Indicas merces per Oceanum in Hispaniam auerterent, Memphitica uectigalia grauissimis detrimentis affecerant. Ea classis, magna impensa, & labore incomparabili uix quatuor annorū spatio perfecta, deductaq; fuerat. Nam ab Isico sinu, atque Amani soluis è Cilicia materiam petere necesse erat: eam inde transuectam Pelusium, aduerso Nilo Memphim deportabant, ubi nautæ ac peritissimi fabri non deerant, qui ab Venetis haud obscure submittebantur: quum & ipsi, eodem incommodo accepto, nobilem il-

PAULI IOVII HISTOR.

lam, & toti Europæ statis temporibus aromata partientem  
 nauigationem intermittere cogerentur. A Memphi autem  
 plicatiles ac solute naues membratim camelorum dorso Ar-  
 finonem conuehebantur: ibiq; rursus commissæ in unum  
 per partes suis clauis configebantur. Quibus constructis  
 atq; deductis, paulò ante Selymiani belli initia, Campsor  
 Amyrasem & Raysalomonem duces misit cum ualida manu  
 Mamaluchorum, magnoq; tormentorum apparatu, qui  
 cum classe ad Erythreas angustias contenderent, & cum Lu-  
 sitanis bellum gererent. Sed illi, quum Lusitanam classem  
 duce Lopo Suare ultrò ingressam Arabicum sinum cogno-  
 uissent, nec sibi tunc, multis de causis, cum totius Indiæ ui-  
 ctoribus consilgendum esse arbitrantur Gidde, qui Meche  
 Mahometi sepulchro celeberrimæ urbis portus est, medio in  
 sinu ad Arabiæ Fœlicis littus per causam reficiendæ clas-  
 sis sub-  
 stiterunt. Mox uerò discendentibus Lusitanis, qui propter  
 aduersas tempestates repulsi in Aethiopica littora, ac diu  
 flantibus euris iactati, nullare memorabili gesta, sinu exces-  
 serant, aliquot amicas urbes fœlicis Arabiæ, latronum more  
 diripuerunt: & Ademum, ut ciuibus pecuniam exprime-  
 rent, expositis copiis oppugnarunt. Sed urbs frequentissima  
 & munitissima impetum Aegyptiorum egregie sustinuit.  
 Ademum enim, quod antiquitus Ocellis emporium fuisse  
 arbitramur, opportuna in caute iuxta promontorium Palin-  
 dromium extra Arabici sinus fauces ad Leuam positum est, &  
 à tribus ferè partibus mari alluitur, murumq; habet, quæ ad-  
 tus est à terra, et complures turres in morem nostrum portui  
 ac naualibus impositas. Magna quoq; est ea in urbe, ut in no-  
 bilissimo Indici maris emporio, commercij & mercaturæ  
 causa. Persarum atq; Indorum multitudo, qui uno consensu  
 eum

cum ciuibus, ut sese atq; opes suas ab Aegyptiorum iniuria tuerentur, pro alienæ urbis salute sumptis armis propugnare non recusabant. Ita Amyrases, & Raysalomon repulsi ab incenibus & pessimè accepti, reductis copijs ad insulam Cameronis, atq; inde Giddam redierunt. Ibi quum de Campsonis morte atq; aduentu Selymi ad Memphim cognouissent, atq; alter infide permanere, alter uerò uictoris fortunam sequi contenderet, protinus inter se dissentire cœperunt: coortaq; inter milites seditione, Amyrases qui Tomumbeio fauere conabatur, Meham profugit. Verum paulò post Raysalomone eum deposcente, atq; omnia hostilia, nisi continuò sibi traderetur, denunciante, à Mechenibus, qui rebus Giddensium magnopere timebant, captus, & Giddam ad classem transmissus est. Porrò Raysalomon, ut, amulo & collega sublato, solus classis Imperio potiretur, atq; edito aliquo insigni facinore sibi aditum ad uictoris gratiam prepararet, Amyrasem noctu ad declinandam inuidiam mari demersit: & bimestri stipendio donatis militibus, hisq; Selymi sacramento adactis, paucorum dierum nauigatione Arsinoëm peruenit: & tradita classe ad Selymum profectus est. Ea uerò Turcarum manus, quæ Arsinoëm uenerat, dextro litore ad superiores prouincias ascendit: reguliq; omnes, qui Sulthanorum tributarij uel amici erant, usque ad Dauidis maximi Aethiopum regis fines, quem nostri Preteiannem uocant, sine ulla dubitatione deditioem fecerunt. Sed quoniam in mentionem Preteiannis incidimus, non iniucundum fore putauerim, si post tot cruenta prælia, & tristes rerum propè omnium euentus, amœnioris materiæ diuerticulum legendo seseis paremus, quod Aethiopiæ descriptione aptè prestare lubet: ut quæ plerisq; fabulosa uideri



PAULI IOVII HISTOR.

Solent, ad ueritatem fidemq; historie referantur. AFRICA, quæ tertia pars orbis censetur, ingentis Pyramidis figuram effingit, cuius basim efficiunt ea littora, quæ à Nili ostijs perpetuo tractu ad columnas Herculis directæ, Mediterranei maris fluctibus alluuntur. Latera autem, hinc Rubri maris sinus, illinc Atlanticus Oceanus, sensim extenuato terrarum cunco castigant, ut in oblongam coeundo desinât cuspidem, & extremo Bonæspei promontorio terminentur. Id ad Antarcticum polum uergit, æquo fastigio æquatoris, & tropici Capricorni lineas longissimè progressum: quod intentatū, nec planè antiquis cognitum Africæ caput, memoria nostra superauere Lusitanæ classes, quum in Indiam ingenti ausu petendis aromatibus prouerberentur. Id naturæ munimentum, immensi diuersiq; æquoris uastum palagus tanquam rostro findit & dirimit, quum ab ortu Solis Indici maris æstum leuo humero excipiat: ab occasu autem, dextro alterius propè Oceani Aethiopica littora pulsantis fluctus summoueat: & extrema ueluti terrarum lingua cõcurstantibus uentis, & refractis tempestatibus imperet. Media huius expressæ pyramidis, quæ sunt regiones ultra citraque æquinoctialem lineam, per arenarum solitudines innumera Aethiopum gentes inhabitant, quæ portenta naturæ existimari possunt: quòd moribus tantum ab homine distent, quantum ingenij captu brutis accedunt: quanquam auaritiæ, superbicq; bona pariter ac mala planè intelligant, quū & aurum quod effodiunt, & commerciorum utilitates agnoscant, rerumq; propè omnium inopes, pro imperio, & dominatu regum suorum cruentissime dimicent. Ex his Troglodyte, qui iniquissimis feruoribus damnati, perpetuisq; & directis Solaris radijs flagellati, cauernas inhabitant, feritate reliquos an-

recedunt. Nigritarum omnium, quos interluit Niger annis  
 hodie Gambia uocatus, Sol pro aspectu recto aut obliquo  
 gentis colores euariat. Ante alios Guinei absoluta nigritie,  
 nec repandis & contusis naribus, uultu gestuq; nobiliores  
 existimantur. Mantinge generoso ingenio fidem colunt, ma-  
 tura oleæ colorem imitantes. Manicongri ancipiti memoria  
 pollent, nam obsequia cum fide implent, & seruitij pertesi,  
 conditionis suæ fortunam, dominorum cæde sæpe uindicant.  
 Gilopi ablutis carbonibus similes, uerberum odia reseruant:  
 pigriq; & hebetes non citò mansuescunt. Zapes & sensuum  
 & corporum ignauia, mancipiorum omnium uilissimi ex-  
 istunt. Ad has gentes quotannis penetrant iustis, & compo-  
 sitis agminibus, quæ Carauanæ uocantur, proximi mari no-  
 stro Pœnorum, Numidarum, & Maurorum mercatores, ma-  
 gno quidē questu, sed aliquāto maiore uitæ periculo: quòd in  
 arenosas solitudines, et indiga aquæ loca, obsessaq; passim ser-  
 pentibus et feris delati, sæpe excitato subtiliore fabulo austrè  
 flatibus obruantur. Hæc nobis scribentibus, Muleasses rex  
 Tunetanus ab immani fratris iniuria exustorum oculorum  
 orbitate miserabilis, enarrauit, totam ferè ex Imperio eius  
 subiectis Carauanam, tantam proximè uno uentorum tur-  
 bine calamitatem subiisse, ut uix decimus quisq; multorum  
 mensum remenso itinere sospes & integer domum sit reuer-  
 sus. Tanta est auri & eboris sitis, quum hæc uilium merci-  
 um permutatione parètur, ut incerta spe lucri non planè du-  
 bia salutis iactura computetur. Caterum Lusitani Atlan-  
 tem, quem in Mauritania Clarum montem hodie uocant, et  
 Praxium promontorium, Viridesq; insulas, quas nonnulli  
 Hesperides esse existimant, annuis atque uetricibus classi-  
 bus præteruecti, insinuatiq; Nigritarum terris, pleniorum

PAULI IOVII HISTOR.

horum populorum noticiam retulerunt: quum inde captis aut coemptis mancipijs, Lusitaniam repleuerint. Legendo enim oram à Praxio ad Orientem proras uertere, quàm irrum pens Oceanus deuoratis littoribus ingentem efficit sinum, usq; ad sancti Thomæ insulam, quæ sub æquatore sita est, deserta nuper, & infesta crocodilis atq; serpentibus, quibus in eam relegata damnatorum corpora ad pœnam obijciebantur. Sed ex infami & inculta, propter benignam perpetui autumnii temperiem, facillè frugiferam, saccharoq; abundantem, Lusitani in cultura diligentes, reddiderunt. Sicuti de Fortunatis, quæ Canariæ hodie dictæ, dextrorsum numero decem in eorum uentum uergunt, & de Maderia Fonciolia Hispniæ proxima, paruo colentium labore profectum esse uidemus. Ab hac diui Thomæ insula, in qua iam Lusitanorum colonia coalescit, aliæ atq; aliæ classès recuruatis littoribus adiere nouas gentes, longissimo tractu usq; ad ipsum Bonæspei promotorium: sic tamen lustrando littorum recessus & anfractus, ut à conspectu classis, nisi iusta manu armatorum exposita, recedere non auderent, admoniti scilicet recenti infortunio Francisci Almedij Indicæ classis præfecti, qui sub promontorio Bonæspei, quum inauspicatò in terram ad conspectum fontem cœnaturus descendisset, subito ferorum hominum è nemore erumpentium impetu oppressus est, uir indignus ea calamitate, uel hoc uno, quòd magnis rebus gestis, partem Indicæ uictoriæ lauream, regi suo referre neque rit. A Bonæspei promontorio, binisq; ambientis Oceani littoribus, introrsus Magni Pretecianni imperia patecunt, quæ in quadraginta amplius regna, per immensas propè regiones certis finibus distinguuntur. Hæc nota, claraq; suis nominibus atq; opibus, peculiare habent reges, lingua, moribus,

et oris colore dissimiles, qui tributa pendunt: aut stipendiarij facti, quum bellū ingruit, Preteianni tanquam supremo Imperatori operam nauant. Præ ceteris Scœuæ regnum ubertate soli, cœliq; temperie, atque hominum ingenijs, nobilissimum existimatur. Hoc tanquam præcipuum natalis soli, rex incolit, nam in eo plures habet regias, & angustiora templa: secutusq; herbidorum locorum, & aquarum opportunitates, ad tot comitantium agminum commoditatem antecapit, & exurente etiam Sole, per uarias mansiones salubriore æris temperie perfruitur. Toto siquidem serè anno subtentorijs degit, insigni apparatu & magna aula frequentia, quanquam frequentes pagi & dificiaq; ex trabibus cancellatis, & cretaceis parietibus adfabrè constituta, non desint, quæ hospitaliter subeuntes recipiant. Regnum Scœuæ Antarticum polum duobus & uiginti gradibus eleuatum aspiciunt, fines eius à proximo Oceani littore decem dierum itinere distant: absunt autem à Nili fontibus itinere quindecim dierum. Scœuato in agro mira est rerum omnium fertilitas, frumentiq; præsertim, & ordei, omnisq; (uti apud nos) leguminis: milij uerò, panici, usque ad eò altæ segetes luxuriant, ut equitis staturam superent. Nec terra abundans pomis uites respuit, quæ uindemias largissime præbeant: quanquam ex piris, acrioribusq; malis uulgò succum exprimant, quo in potu uilior populus utatur. Ter singulis annis arant, & serunt, & perpetuo propè autumno omnis generis fructuum copia latantur. Nam ficus uirides, & melepepones sapidissimi toto serè anno conuiujs non desunt. Fabæ & cicercis siliqua uirentes cunctis mensibus apparent. Omnibus Scœuanis agris maioris minorisq; pecoris armenta, equorum nobilissimum, camelorum, & asinorum greges passim uisuntur: &

PAULI IOVII HISTOR.

inter cætera, eximie proceritatis et pulchritudinis mularum agmina. Abyssini enim omnes, quo nomine in uniuersum subditi Preteiannis appellatur, alædis perdomandisq; mulabus maxime student: quod à proceribus aulæ magno pretio cõemantur. Cæterum Sceuani, solertia ingeniorum, & morum grauitate, uitæq; & honesti cultus elegantia Abissinos omnes antecedunt: ideoq; gratia principis maxime florent. Ii siquidem, Republica prudentissimè constituta, tanta legum æquitate populos regunt, ut quum principis auctoritatem studiosè respiciant, eiusq; nomen in omni iudicio atq; actione uenerentur, non secus ac Veneti patrij regnent: apud quos principis maiestas, dissimulata, uel erepte potestatis in speciem tantum uiget. Sceuani rerum præsidēs, sacra more nostro hisdem templorum apparatibus, atque hisdem propè ceremonijs, musicorum organorum intermixtis concetibus, celebrant: iam pridem Christianis initiati sacris, uti asserunt, docentibus Bartholomeo apostolo, & Philippo diacono, Candacq; Aethiopum regina suscipiente. Sacro enim baptis-matis fonte abluuntur, quanquam aliqua ex eadenti ferro fronti stigmata super addant: nec Hebraica consuetudinis obliti planè sint: utpotè qui decidere præputia, et è pudendis etiam mulierum carunculan præcidere soleant. Qui uerò in ridicundo præfunt (uti apud nos) eadem legum seueritate in puniendis noxijs utuntur, aberrantes enim, & temerè desciscetes à religione, totius cõcursu multitudinis lapidibus obruntur. Semel uerò susceptæ religionis ritus præceptaq; temerè transgressos, & de Deo Maximo Diuisq; impie loquentes, in foro uiuos comburunt. Homicidam propinquis interfecti uinctum tradere mos est, ut pro libidine sanguinis sui iniuriam uindicerent. Nonnulli auariores deditum mercatoribus

toribus in seruitutem uendunt, quum alij plerumque à superbis & seuis per exquisita tormenta ad interitum excruciantur. Furibus oculos eruunt, traduntq; luminibus miserè captos publico mancipio, qui eos cithara & cantu cibum querètes, per omnes regiones & remota regna, ea lege perducant, ut alterum diem uno in loco permanere utrique capitale sit. Marium tentasse libidinem, quod apud finitimos Mahometanos impunè est, extremo supplicio crimè dignum censent: minora uerò delicta scriptæ legis interpretum arbitria subeunt. Nam aliqui carcere, alij exilio uel flagris, ignominiosaq; traductione mulctantur: raros pecunia aut alterius rei prætium à decreti pœnis absoluit. Nuptias solennibus epulis celebrant, uerum detectis adulterijs mutuo iure connubia dirimunt. Sed quoniam de Preteiannis stemmate, cultu, aulæq; eius consuetudine, copijs, bellico apparatu, & rebus gestis, atq; item de ortu Nili, Lunæq; paludibus, & de uarijs ferarum generibus, aliqua succinctè dicturi sumus, operæ prætiū fore putauì, à quibus hæc acceperim, ingenuè profiteri, ne fabulosa ab imperitis existimètur, quæ iam consensu multorum nota, compertaq; sunt: quanquam totam fidem esse uelim penes eos, qui hæc longa nobis et curiosa indagatiōe querentibus tradidere. Ex his fuere Petrus Aluares Lusitanus, qui in legatione Roderici Limæ ab Araquinquo Arabici maris portu, quo appulerat Indica Lusitanorum classis, terrestri ærumnosoq; itinere ad Preteiannem penetravit, alteraq; legatione suscepta, ab ipso Preteianne ad Clementem pontificè, qui tū erat Bononiæ, cum aureæ crucis munere peruenit. Is itinerum suorū atq; actionum omnium diurnos commentarios, quum Romæ decessisset, scriptos reliquit. Secundum eum Petrus Abyssinus præclaro constantiq; ingenio

PAULI IOVII HISTOR.

uir, diu in Preteciannis aula uersatus, summa comitate fideq;  
 Abyssinarum rerum memorabilia nobis aperuit, utpote qui  
 plurimum idiomatum peritus, Romæ desumpto cucullati sa-  
 cerdotis habitu, linguam nostram scite didicerit: & quos-  
 dam è nostris curiosos Abyssinam linguam doceat. Cuius lin-  
 guæ Chaldaicis elementis scriptæ, sacros libros Romæ im-  
 pressos uidemus, quos, Abyssini religionis causa ab Hieroso-  
 lymis Romam uenientes, pro insigni miraculo in patriam  
 deferre solent. Romæ siquidem Orientales peregrini Christia-  
 næ professionis, Abyssiniq; presertim, post maximi templi  
 testudinem, proprium cum domo delubrum habent, ubi suo  
 more sacra conficiunt, alunturq; pontificis sumptu, et pia be-  
 nignitate aule sacerdotum. Hic magnus Abyssinorum et Ae-  
 thiopum rex, qui à nostris corruptè dictus est Pretegiar, à  
 suis Belugian appellatur: quod est uetus cognomentum usur-  
 patum à superioribus regibus. Id nomen incōparabilis præ-  
 stantiæ, immensiq; pretij gemmam significat: proprio uerò  
 nomine, qui hodie regnat, uocatur Dauid, peculiareq; habet  
 cognomentum Atanadidinghel, quæ uox thus uirginis expri-  
 mit. Regnauit ante hunc Naus pater, nulla propter avari-  
 tiam populorum gratia. Exceptit autem regnum filius admo-  
 dum puer, tutrice Helena matre, quæ prudentia pietateq;  
 spectabilis, eum probatissimis imbuens moribus, tot regna  
 moderatissime rexit. Filij ex ætatis prerogatiua in regno pa-  
 tribus succedunt. Quòd si mascula proles desit, unus è pro-  
 pinquis uirtute præstantior, defuncti sedem implet. Præalto  
 siquidem stemmate ab antiquissimis regibus genus repetunt:  
 regiq; sanguinis incorrupta nobilitas historiarum testimo-  
 nio recensetur, Nam apud eos rerum gestarum memoria,  
 perpetuæq; regie stirpis successiones, fideli literarum custo-  
 diæ

die publico instituto demandantur, tanta cura & religione, ut præfecti notariorum, quum oportet, annorum supra mille nusquam intercisam memoriam ex archivis proferrant. Rex ipse quum negotiorum occupatione liberatur, reliquas horas evoluentis historijs sacrisq; item literis ferme totas impendit. Nam apud eos sunt ueteris & noui instrumenti codices, cum Diui Pauli Epistolis, in Abyssinam ex Chaldaica translatis linguam. Exinde modicè corpus exercet, atq; id balineo curat, & demum eodem more quo nostri reges cibum capit solus aureo in monopodio, quod nulla mappa contegitur. Ministrant ei nobiles pueri, epulasq; per ligneos gradus excelsæ mensæ inferunt: & eas quidem in paruis calathis concisas. Vinum ex aurea patera potat, & ex calice cristalino ceruisti lymphidæ genus, quod ex austeris pomis et saccaro conficitur. Suauissimi saporis uolucres, piscesq; uti apud nos, uenatioq; item multa omnis generis totius regiæ mensas exornant. Præstanti, custodiam agunt circumfusi tabernaculo trecenti ferme iuuenes ex omnibus delecti regnis: qui loco satellitum & obsidum habentur. Arma eis sunt, ensis, pugio, & hastile præpilatum, ceruices & humeros ferina pellis contegit. Quatuor porro insignes reges, qui edito euocati, per uices aulam frequentant, cum splendido procerum & minorum præfectorum comitatu, epulas è coquina uestibulo, ad regis tabernaculum honoris causa deducunt, traduntq; prodeuntibus pueris. Rex prandio contentus, quando nisi festis diebus haud cœnet, remota mensa, aliq; quot reginas, quæ ad colendam ipsius Davidis uxorem euocate, eadem conditione qua reges ad aulam ueniunt, ab eunuchis introduci iubet. Hæ iocundioris oblectamenti causa, coram rege psallere, & saltare consueuerunt. Is quatuor



PAULI IOVII HISTOR.

uxores finitimorum regum filias connubio sibi iungit, sed cum una ritè & sanctius desponsata cubat: quæ si sterilis eua dat, una è cæteris regium thorum subit. Velata facie obtento scilicet tenui sudario rex in publicum prodire, et paruam crucem argenteam dextra manu gestare solet, equitantiq; septem laureæ totidem uictoriarum præferuntur, prælongis hastis sericam umbellam excedentibus, hæc ei trophæa sunt de deuictis hostibus. Vir enim bellicosus arma continenter exercens, ingentes alit copias, quibus aduersus rebelles hostesq; imperij sui maiestatem tuetur. Difficili ante alios & periculoso bello Troglodytas uenenatis utentes sagittis perdomuit: regem Casantem prælio susum uiuum cepit: eiq; tanquam seuitia & perfidia infani caput præcidit. Is regnabat ad eam regionem, quæ uergit ad Australe Oceani littus nomine Mozambicum, quod contra spectat ingentem diui Laurentij insulam. Hæc ora Aethiopici littoris insalubris & pestilens est propter æstuaria, quæ reciprocantis Oceani alluiones, & crebris decurrentium amnium ostijs dulcis aquæ undas marinis admixtas recipiunt. Ab eo quoque Beihagæ regina, quæ regnum Bonaspei promontorio proximum possidet, præfectus bello acer & contumax, acie uictus interfectusq; est, quòd inuita regina oblitus beneficiarij iuris, tributa pendere nollet, & crebris incursionibus fidelium fines euastaret. Eadem armorum ui Manicongri regem, quem postea Christi religionem induisse constat, & Tommedam Nigritarum principem assiduo bello ita attriuit, ut auctiora tributa atq; obsides uictori dare cogerentur: geminatam uerò uictoriam uaria contentione multoq; sanguine quesitam à Selano rege retulit. Is Mahometanis Mauris imperat, iam pridem ex Arabia Foelice, per Rubri maris angustias in Aethiopia

*piæ proximam continentem ad condendas colonias trans-*  
*gressis . Ea gens Persarum more optimè instructa armis &*  
*equis, ita in dies coalescit, uiribusq; & numero hominum*  
*augetur, ut Barnecasio & Tigrinio regibus, qui regna inter*  
*Arabicum sinum & Nilum annem obtinent, & Dauidi pa-*  
*rent, magno terrori sit. Tributa quæ Dauidi regi pendun-*  
*tur, uarij sunt generis, pro facultate atq; opibus subditorum*  
*regum . Alij namque informe aurum, atque alia metalla,*  
*quorum omnium ferax est Abyssinorum terra: alij maioris*  
*pecoris greges: alij telas sericas aut laneas, quibus eæ gentes*  
*ab umbilico ad suras conteguntur: alij præterea diuersæ se-*  
*getis, & fossitij salis copiam in castrensem com meatum,*  
*alij peregrinas merces, aromata, præcipueq; piper, & man-*  
*cipia præbent. Agrestiores porrò asperis nemoribus adia-*  
*centes, certum numerum uiuorum leonum, & tigridum,*  
*aliarumq; ferarum ad regiam perducunt, quæ animi causa*  
*uiuarijs & septis includuntur. Remotioribus sola huiusmo-*  
*di ferarum tergora imperat, quibus Abyssini ad elegantiam*  
*& militarem cultum uestiuntur. Regis exercitus quum ad*  
*bellum educitur, incredibilem equitum & peditum multi-*  
*tudinem ostendit. Pedites magna ex parte iaculatores, sagit-*  
*tarij, funditoresq; sunt. Robur autem est in equite, qui lorica*  
*oblonga protegente coxas, aperta galea, & rotundo scu-*  
*to, acinaceq; adunco, & ancipiti lancea armatus in aciem*  
*prodit. Qui galeis carent, capita muniunt rubris uilosisq; pæ-*  
*leis, quibus modo Mamaluchi equites apud Memphisicos re-*  
*ges utebantur. Elephātos etiam turritos et militariter orna-*  
*tos in aciem producere consuevit. Eadem autem disciplina*  
*accipiendi imperij, ineundæq; pugne obseruatur, quæ apud*  
*nos in usu est. Tympanis æreis, & tubarum cantu Martens*

PAULI IOVII HISTOR.

accendant. Vera & spectata inter eos uirtus, certum decus  
 & premia parit, eo quidem nobilius, quòd strenuè pugnan-  
 tes quo minus arète manus conferant, nullo tormentorum  
 periculo deterrentur. Abyssini monetam non cudiūt, ne à pra-  
 uis ingenijs adulteretur: importata tamen utuntur, sed tan-  
 tum aurea cum Arabicarum literarum nota. Hos nummos,  
 Pardales, & Seraphios appellant, qui nec pondere nec pro-  
 bitate auri Venetū nummum equant. Certis auri argentiq;  
 frustulis ad uarium pondus examinatis, militi stipendia per-  
 soluere, & res uenales in foro coëmere mos est. Toto autem  
 Abyssio regno, patriarcha sacris præest, summumq; Imperi-  
 um habet in sacerdotes, qui sunt innumerabiles, distincti per  
 templa atq; coenobia. In horum mores seuerā exercet censu-  
 ram, & contumaces uel deprauatos à recta disciplina, ana-  
 themate persequitur: eoq; religionis telis adigit, ut deserti  
 ab omnibus, ac eiekti passim dolore atq; inedia miserè conta-  
 bescant & pereant. Patriarcha cum suo senatu sedem habet  
 in urbe Barrara, quæ arduo et nemoroso in colle sita est, cin-  
 cta perpetuis umbraculis ad amoenissimas ambulationes.  
 Nam frondosarum arborum rami ea serie insectuntur, &  
 fornicatim connectuntur, ut in seruentissima regione, meri-  
 dianisq; solibus, æstus nō sentiant: & quod oppacitatis gra-  
 tiam implet, saluberrimis etiam fontibus passim diductis irri-  
 gentur. Quibus umbratilis otij uoluptatibus, uita duritiem  
 sacerdotali lege impositam facile sustinent. Patriarchæ ma-  
 gni sunt ex decumis redditus, quibus etiam regionum uecti-  
 galium quota pars accedit, liberali regum pietate sacris ad-  
 dicta. Has opes in egenos & xenodochia erogat, alitq;  
 graui sumptu infinita propè monasteria cuculatorū, è qui-  
 bus multos quotannis impenso uiatico Hierosolymas mittit,

ad inuisendam sacrosactam urbem, colendumq; Christi Sepulchrum: ut ritè explorata & comperta de rebus Christianis in patriam referantur. Reliquæ quæ supersunt patriarchæ diuitiæ, quum is moritur, ad regium fiscum redeunt, solennibusq; demum habitis comitijs, probatissimus omnium superante suffragio creatur. Is in celibatu uiuit, quando sacerdotibus uxorem ducere, nec tamen iterare nuptias fas sit. De ortu uerò Nili, longa percunctatione reperiebamus, in regno Gogiano, quod à Scouano ad Antarcticum extenditur, esse immensam altissimorum montium congeriem, Caucaaso, & Atlante, hisq; nostris Europæ alpibus multo celliorem. Iuga eius perpetuis obsessa niuibus geluq; rigentia, nubibus sese inferere, & cælum fulcire uidentur. Harum immannū rupiū media atq; infima, densissimis foluis procerimarum arborū uestiri constat. Quæ loca inaccessa homini, lustra cubiliaq; sunt ferarū & belluarū omnis generis. Nam iu-batis leonibus, pãtheris, tigribus, ursis, et apris scatent: canis aut, qui radicibus subsunt, elephantorū greges inerrant. Afferunt quoq; Gogiani regni incolæ his in uallibus dracones gigni alatos, qui anserinis pedibus gradatim humi serant, repeririq; camelopardalim quam gyraffam nostri appellant, Florentiæ quandoq; uisam magni Sulthani munere, qui eam Laurentio Medici dono miserat. Idem affirmant de monocerote, quod animal unicomne à nostris appellatū, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina Barba, bicubitali cornu, armatâ frontem præfert, quod leuore, candoreq; eburneo, & pallidis distinctu spiris, ad obtundenda hebetanlaq; uenena, mirificam potestatem habere dicitur. Cornu enim immisso & per lymphas circumducto, fontes ex-piari perhibent, ut salubriter bibat, si inde uirose bestie præ-

## PAULI IOVII HISTOR.

potarint. Id uiuo animali non detrahi, quum ullis insidijs intercepti nequeat. Cornu tamen sponte decisum in desertis reperiri, ut in cervis accidere uidemus, qui ex senectæ uitij, renouante Natura, uetus cornu exuunt, uenientibusq; relinquunt. Hoc cornu regijs impositū mensis, toxica, si qua sint epulis indita, emisso statim admirabili sudore, conuiujs procedere narrant. Ex his duos uidimus bicubitales brachiali ferè crassitudine, primum Venetijs: quod postea Senatus Solymano Turcarum Imperatori dono misit: alterum pari prope magnitudine, sed præcisa cuspide argenteæ basi insertū: quod Clemens pontifex Massiliã profectus, pro insigni munere ad Franciscum regem detulit. Cæterum de uī tantæ dotis in hac animante nihil plus affirmauerim, quàm quod euulgata fama credentibus suadet: quum antiquorum auctorū nemo, quod legerim, præter unum Helianum Græcum quicquam de hac mongcerotis admiranda potestate memorie prodiderit. Ab his asperrimis immēsisq; rupibus, quæ à chorographis Lunæ montes uocantur, frequenti & copiosa scaturigine, Nili fontes erumpunt in loco uehementer abstruso, qui Beth (hoc est desertum) Abyssina lingua dicitur. Ex his fontibus innumerabiles amniculi, per Gogiani regni spatia modò dissipati, modò coeuntes, in longè maximam toto urbe atq; dulcis paludem effunduntur. Huic Saphæ nomen est, spatiosissq; littoribus tria attingit regna: eaq; affatim opima piscatione foecundat & replet, Gorgianum scilicet, & Beghemedrum, quod est ab ortu Solis, et ab occasu Dambaium. In hac palude amplius uiginti insule numerantur, incolis frequentes, & multis cultæ ædificijs, in quibus turrita templa, & luculenta sacratorum hominum cœnobia eminent: multū enim religionis, & tranquilli otij causa, ab humanarum re-

rum cōmercio, et uestigijs profanæ multitudinis in eas insulas se subducūt. Vna præ cæteris maior atq; munitior, à rege pro carcere seruatur, in quam noxios & rebelles relegare cōsueuit. Ex hac tanta palude, Nilus primo lenis, mox rapidus & præceps sese effundit: uarijsq; meandris & gyris Nigritarum fines lambens, Gogianum regnū, & mox Amararum insolenti cursu profcindit: nec usquam ripis cohibetur, donec ad catractas, quæ sunt antiquis Catadupæ, arctis rupium angustijs strangulatus, ac iratus erumpat. Inde latiore laxatus exceptusq; alueo, lenior fit atq; diffusior: & per magnos flexus, uadososq; sinus, nauigiorum impatiens, ad Meroëm insulam defertur. Hæc Britannia maior est, tresq; in ea reges distincti finibus dominantur, sepe inter se bellum gerentes. Eorum potentia maximus Mahometanus est, & Maurorum stirpis: secundus Aethiopici sanguinis genus idolorum cultu, moribus, & colore fatetur: ultimus Abyssinorum gentis est Christianæ religionis cultor, qui Dauidi paret. Cæterum de Nili incrementis ad subtilium studiorum ostentationem differere, & proferre causas audere, planè ambitiosum esse putauerim, quando hæc illustrium Græcorum pariter & nostrorum ingenia, inani ut arbitror labore, iam pridem exercuerint. Quis enim uel nature, uel cœli & terrarum opificis arcana iure quodam curiosis mortalibus abscondita rimatus est? Quis ingentes illas in ipsis terrarum uisceribus cauernas, uel maxime uasti ingenij luminibus intraspexit, quæ cuncta maria per tantum cui spatium, tot in cursu fluminū nusquā crescentia, perpetuò hauriunt, et exsorbent? Quis deniq; subterraneorū anfractu mensuras, certa ratione deprehēdit: quibus repletis uniuersa exuberantis aquæ moles in apertum cœlū per gibbosa mon-

PAULI IOVII HISTOR.

tium euomatur, & ea quidem optima natura fide, quantum acceperit, irrequieta dispensatione rependentis. Imbecillitatis profecto nostrae non meminimus, quum hæc superba ingeniorum uanitate perscrutamur: unde iam hoc totum rerum scientiæ nomen tot uigilijs, & sumptibus partium profiteri dispudeat, postquam adeo pauca scire, et de singulis ambigere disputando confitemur. Verum Abyssini hoc unum pro constanti certis coniecturis persuasum habent, Nilum ex eliquatis niuibus quotannis augeri, & pro ratione frigoris & caloris, prout Natura indulget ac imperauit, in uarias exundationes excrescere: quum non inepta ratione credant, sub circulo Capricorni, maximis caloribus eam plagam urgeri & exuri, cui subiecta sit tot montium niuosorum rupes, quæ ex orienti Nilo caput præbet. Parisi quidem ratione, non secus atq; apud nos in solstitio æstiuo, solibus cuncta exurentibus, sic ut mora & spatio multorum dierum incrementa annis in Aegypto fieri contingat, quam ex arcano suo, aut læta aut tristia Natura, sæpe nouerca, sæpe mater, Aegypti terris importarit. In Meroe, quæ incolarum lingua Naulebaba, id est, optimorum portuum parens uocatur, præsto sunt magnorum lintrium classes, quæ peregrinos & aduenas à terrestri itinere descendentes, Memphim & Alexandriam secundo ante deuehunt. A Meroe quindecim ferè dierum nauigatione, descendentibus occurrit urbs Syene, obeliscorum lapidicinis clara, & poëtarum carminibus celebrata, qui in ea Solares radios ad perpendicularum incidentes, in neutram partem umbras flectere tradunt. Hæc est initium Aegyptij regni, uocaturq; hodie Guaghera. A Syene demum Nilus tutissimè nauigatur, & utramq; ripam Aegyptij & Arabes incolunt, qui præter nauigantibus uarij commeatus copias præbent.

Nilus

Nilus ipse ab his gentibus, Ababuis, id est, annium pater appellatur. Nam post longum & tortuosum cursum, in multa cornua totam aquarum molem diffundit, quæ Memphim & Alexandriam perducunt: & Canopico ac Pelusiaco ostijs continentur. Quum hæc edere pararemus ueris nuncijs allatum est, regem Dauidem Fato concessisse, quum extra matris tutelam uiginti septem regnasset annos: uixisset autem octo supra quadraginta. Fuit ingenio maxime pio, atq; habili ad omne belli & pacis obeundum munus, itemq; literis usq; ad astronomiæ noticiam optime instructo: Corporis autem habitu mediocri, rotundo ore mali cotonei sub cinere tosti colorem exprimente: uiuacibus item oculis, & capillo non plane more Acthiopum intorto: ut ex uera imagine quæ apud nos est, intueri licet. Quatuor mares & quinque foeminas ex una tantum uxore suscepit, quorum natu maximum aduersa in pugna infœliciter amisit: quum in tempestiue renouato bello, cum Selano rege acerbissimo hoste congressus, superiores uictorias corrupisset. Hoc ictus uulnere, grauissimum concepit dolorem, atq; inde febrem quæ diu sustineri non potuit. Filius itaq; secundus excepit regnum nomine Cladius: qui reparatis copijs, cum Selano prospere confligens, & fratris cædem, & patris iniuriam non toto uertente anno uindicauit. Sed iam unde discessimus reuertamur. Eo itaq; modo Selymus, uti narratum est, terramariq; omnibus hostium prouincijs in potestatem redactis, circiter calendas Iulias secundo anno Alexandriam nauigauit, sedente ad clauum prætorie biremis, Curtoglo Hælycarnasseo prædone clarissimo, ut Byzantium classem, quæ per eos dies appulerat, inuiseret. Qua lustrata, urbisq; moenibus, atq; ipsa Phari arce diligenter inspectis, Memphim



PAULI IOVII HISTOR.

reuerfus est. Interea Mamaluchi, qui Alexandriae custodie-  
bantur, iubente Selymo ad unum omnes in foribus carceris  
contrucidati sunt. Familiae quoque Aegyptiorum, quae opi-  
bus, aut generis claritudine praestabant, numero supra quin-  
gentas, Byzantium migrare iussit: magnaque multitudo foe-  
minarum ac puerorum ex progenie Mamaluchorum, eodem  
conductiis nauibus transuecta. In classem autem praeter thesau-  
ros ac regiam gazam, publica ac priuata opulentissima ur-  
bis ornamenta congescit, tanta rapiendi libidine atque auari-  
tia, ut marmorum eximij operis celatura, aut coloris uarieta-  
te commendata, summa uictoris inuidia parietibus reuelle-  
rentur. Nec multo post per summam uoluptatem incremen-  
tum amnis, qui proximos campos stagnantibus aquis inun-  
dauerat, ita inspexit, ut a senioribus incolarum totius exun-  
dantis amnis mensuras rationesque curiose perquireret. Pro-  
nunciant enim diuersi auctus, qui certis mensurae notis depre-  
henduntur, modo letissimam segetem, modo diram fanem, mo-  
do certam tantum aduersus inopiam securitatem, quum impe-  
riosus ac impotens amnis, benigna aut saeva libidine, exun-  
dans, nunc quosdam camporum tractus adeo copiose irriget,  
ut intra serendi spatium sero decedat, alios segniter parceque  
leui tantum rore aspergat, ad non dubiam sterilitatem uix  
pulvere subacta, ea prorsus alternantis amnis lege, ut Aegy-  
ptij se tum diuites futuros existiment, quum Nilus tempera-  
tus et lenis nequaquam ad summi, aut minimi incrementi no-  
tam accesserit. His rebus studiosè compertis, quum sibi in Sy-  
riam propter rumores, qui de Hysmaelis aduentu, in Mesopotamiam  
afferebantur, redeundum esse arbitraretur, praesidio Turcarum  
Memphi imposito, Cayerbeium toti Aegypto praefecit. Quae res  
lunus bassam eius honoris spe, et iusta cupiditate

piditate accensum, uehementissimè perturbauit. Is enim mortuo Sinambasà, cum uirtute & rebus gestis, tum recentè etiam uitæ periculo elatus, quum neminem sibi exæquari dignitate pateretur, se unum esse reliquum, ad quem summa imprij redire deberet, Selymi & militum iudicio ex omnibus illius amicis ac ducibus, existimabat. Nec deerat militaris fauor, nam ut statim ex uulnere conualuit, quum in magnificentissima Diadarij domo, quam in ipsa uictoria usurpauerat potius, quàm Selymi munere acceperat, conuiuia, quibus milites maximè capiuntur, regio propè sumptu primoribus iuxta atq; gregarijs quotidie pararet, ac sæpe nobiles equos, decora seruitia, uestes, uasa, arma, ultrò omnibus elargiretur, tantam gratiam beneuolentiãq; collegit, ut quum de more in arcem ad Imperatorem eundum foret, longè amplissimo atq; ornatissimo committatu deduceretur: & uulgo ei omnes Aegypti præfecturam destinarent. Quæ omnia Selymi animum offendebant: nam uti erat facile suspicax, & metu sæuus, magnis etiam uirtutibus, quæ nimiam claritatè certamq; potentiam adferrent, inuidebat. Cayerbeio autem summe rei proposito, Imusbasà pudore ac dolore uictus, ut qui superbo animo contumeliã ferre nõ poterat, simulans ægritudinem corporis, quæ animi astuatis erat, per aliquot dies publico abstinuit: & quum magis ac magis, & sua iniuria, & proditoris honore cruciaretur, etiã moderari linguã non poterat. Accidit autem, ut Cayerbeius, quum officij causa ad uisendum eum accessisset, et meridiano tempore ad leuã dan sitim, cõsuetudine Aegyptiorum, saccarum frigida dilutũ militari familiaritate degustasset, paulò post acerbissimis alui doloribus ita conflictaretur, ut ueneno eũ à Iunusbasà petitũ fuisse complures interpretarètur, ac seruatum certio-

ris antidoti præsidio dictarent. Qui rumor, an falsus, incertum: alius tamen quam quisquam putaret, in Selymi animum penetravit: & iam paulò antè audierat nonnullas Aegyptiorum familias, ex his, quæ Byzantium commigrare iubebantur, à Iunusbassa ( ipse enim ei negotio præerat ) ut tutò Memphi in patria permanerent, ingenti pecunia se redemisse. Cuius auaritiæ non obscura ab æmulis ac delatoribus indicia prodebantur, quod regales illos sumptus, quos priuatis stipendijs tolerare non posset, noui uectigalis redditibus egregie sustineret. Hæc quum ad comminuendam gratiam pertinerent, aliud quoq; fraudis uel negligentie crimen accessit, quod illi uitæ exitum urgentibus fatis maturauit. Nam Selymus, sicuti reges solent, qui egregie dissimulando, ut priora puniant, compressa in præsens iracundia, alicuius noui criminis occasionem expectare consueuerunt, dicta factaq; eius obseruans, cum infenso paratoq; animo persequabatur. Paucis enim ante diebus, quam certior fama de profectioe Imperatoris in Syriam euagaretur, milites, qui Memphi in præsidio relinquebantur, causati longinquam militiam maioraq; pericula, & defunctos labores, augeri sibi stipendia flagitarant. Idq; illis facile Selymus ordinum habita ratione præstiterat, mandaueratq; Iunusbassæ, ut ea summa apud castrenses tabulas antiquis rationibus adderetur. Sed ille insania præceps, nihil earum rerum quas iussisset Imperator quaestoribus retulit, ut milites, si uberiore promissoq; stipendio fraudati essent, Cayrbeium tanquam iniuriæ authorè odio habere, atq; despicere inciperent: et propterea Mæphiticæ res militari ab alienatione turbarentur. Vnde Selymus, damnato priore consilio, pro alienigena qui non occulto Aegyptiorum odio, ut in recenti sceleratissimæ proditiõis memoria de-

flagra-

flagraret, cuiusq; imperium ueterani moleste ferrent, hominem Turcam nutati prouinciæ submittere cogeretur. Sed ea omnia, quoniam praua consilia duri rerum exitus euestigiò consequuntur, aliter atque ipse ægro animo destinarat, euenere. Namque profecto imperatore, & iam Hierosolymis appropinquante, Memphitici milites, quòd accipiendi stipendij statuta dies aduenisset, nec sibi quicquam præter ueterem summam persolueretur, rei indignitate commoti, apertius ac uiolentius quàm Iunusbassâ putauisset, insultare & comminari quæstoribus, ac ipsi Cayerbeio palam maledicere cœperunt. Quibus uocibus ille percussus, ut qui nondum in Turcarum consuetudinem deuenerat, una cum quæstoribus, sese purgare militibus, atque orare suppliciter, ut nihil de se temerè crederent, remq; ipsam sedatis ab iracundia animis cognoscere uellent: nec se uel acerbissimam pœnam deprecari, si quid dolo suo factum, aut fraude prætermissum inueniretur. Sed disceptationis is exitus fuit, quum Cayerbeius et quæstores suspicionem periculumq; uitare, & milites ad ulciscendam iniuriam fraudem deprehendere properarent, ut legati ad Selymum mitterentur, qui nondum Iudæa finibus excessisset. Legati itinere celeriter confecto, exercitum supra Larissam Palestinorum consecuti, imperatori, ut primum facultas data est, & militum querimonias, & Cayerbeii ac quæstorum in auertenda fraudis suspicionem sollicitudinem ordine detulerunt. Quæ res Selymi animum alijs quoq; offensionibus alienatum, ad eò uehementer nouis irarum stimulis exagitauit, ut Iunusbassâ protinus ad dicendam causam pertrahi iusserit. Ille, quanquam & culpæ conscientia & supremo timore palleceret, quum in irati imperatoris uultu certissimas scuitiæ notas intueretur, attamen præ-

PAULI IOVII HISTOR.

senti animo respondit, se neque dolo malo, ut pecuniam auerteret: neque ut inde alijs aliquam conflaret inuidiam, stipendia militum secus ac ipse iussisset, augeri uetuisse. Sed id optima factum ratione, ut ærario prospiceretur, quum incredibilem pecuniarum uim præterita bella exhausissent, & iam noui bellorum motus è Perside audirentur, qui non necessarijs sumptibus parcendum suaderent. Contra milites, qui & præda ditissimi euasissent, & in fertilissima urbe Mamaluchorum domos & fundos tenerent, ac Aegyptiorum facultatibus alerentur, & maiora atq; uberiora, quàm ab ullo unquam Othomannorum Imperatore, stipendia acciperent, eum casum quòd minus liberali consilio secum ageretur, si non omnem penitus modestiam exuissent, æquioribus animis tolerare potuisse: ac debere imperatores, qui milites bello pacèq; perpetua liberalitate prosequerentur, ab his aliquando pro disciplina animi continentiam requirere: ne dum priuatim quæstui omnes studuerint, publicè postmodum ad sustinendos maiores sumptus, quum necessariò bella ex bellis ducantur, opes desint. Quando nemo uel uirtute, uel fortuna maximus imperator, res præclaras unquam bello gesserit, si eum omnibus abundè optimis artibus instructum pecuniæ propria bellorum instrumenta defecerint. Talia dicentem Selymus uindicabundus & ferox, loqui plura prohibuit, quoniam si reus longiore oratione merita antea clæ militiæ recitasset, deprecatores ex intimis omnino sibi paraturus esse uideretur: protinusq; cum in conspectu interfici iussit: addens insolentissimi eius serui exemplo, ceteros, qui arroganter imperatori præscribere uellent, officij & conditionis memores in posterum futuros. Ferunt milites, cum magna Selymi inuidia, miserabilem insignis uiri interitum magnopere doluisse.

Narr

Nam ille præter eximiam, & toties cum summa gloria spectatam omnibus bellis uirtutem, tantum Græci ingenij artibus, oris habitu, militariq; facundia, & ipso uite splendore apud omnes & gratiæ & existimationis adeptus fuerat, ut nemo in exercitu esset, qui se non ei aliqua ex parte deditum atq; obstrictum esse fateretur: ac imperatoris seuitiam non damnaret. Meminerat enim ab eo præpropera crudelitate necatum Mustapham, cognomento Calogerum, tantæ quondam authoritatis & potentiæ: & simili quoq; rabie Chendemum ea dignitate, uitæq; innocentia omnium ducum, qui ex magni Mahometis seminario profluxissent, longè peritissimum, indicta causa concidisse. Neq; exciderat animis Bostanges eius gener, & Ducaginoglis, hic insigni curiæ magistratu clarissimus, ille classis ac hortorum præfectura, et uxoris uinculo atq; opibus superbus, qui biennio ante abscisis ceruicibus, in curiæ uestibulo expositi, & miseriæ suæ, et regiæ crudelitatis spectaculum præbuerant. Obseruabatur quoq; omnium oculis, ueluti nouo scelere pristina immanitatis renouata memoria, Bayazetes pater sanctissimus senex, duoq; fratres suo iure, suoq; ætatis & stirpis ordine ad imperium uocati Achomates atque Corchutus: totq; item regiæ indolis adolescentes, superiorum fratrum filij, qui inhumani feriq; hominis execrabili seuitia periissent, ut non immeritò eum omnes simul metuerent, & acerbissimo odio persequerentur: Quando Selymus nullo Deorum metu, nulla humani dedecoris cura, nec prauas, nec detestabiles ulla esse artes, modo uires imperio adstruerent, arbitraretur, & timeri à pluribus, quàm amari certius, atq; ualidius esse, in animum iam pridem impietate atque sceleribus efferatum induxisset. Hisdem ferme diebus Himbracorbassa, quem ad Persarum

PAULI IOVII HISTOR.

fines cum parte exercitus missum fuisse docuimus, ut si Sophus Hysmaël, in ea rerum opportunitate, in Asiam uel Comagenem sibi irrumpendum arbitraretur, & illic quoque iustas uires ad tuendos aditus inueniret, per literas significauit, Persicos apparatus, qui tantum belli rumorem initio hyemis excitassent, media estate penitus refrixisse. Prædatorias tantum manus, quæ speciem præsentis exercitus facerent, atq; ex occasione nonnunquã excurrerent, ab se conspectas esse: cum quibus ipse sæpius in excursionibus prospere conflixisset. Cæterum uno consensu à captiuis, exploratoribusq; referri, Hysmaëlem Hyrcano ac Scythico simul bello implicitum, cunctas regni uires aduersus eas gentes contulisse. Propterea eum, quòd iam propinqua hyeme solitæ niues Tauri iugis imminerent, Asiam aut Syriam eo anno minime esse respecturum. Fuere qui dicerēt, Tartaros Scythas, qui Tanaim inter & Volgam amnes letissimos campos tenent, Selymi cõsilio atq; pecunia sedibus suis excitos, ut ad distinendum Hysmaëlem, Iberis & Albanis, qui in eius ditio-  
ne essent, bellum inferrent, adiuuante præsertim Mahometo socero, Bosphorano rege, qui faciliè eiusdem lingue Tartarorum duces, fœdere atque amicitia sibi iunctos, ostentatis præmijs ad bellum inferendum impulerit. Nos autem, quum à Persis, Armenisq; hominibus talia quereremus, quod Sophus Hysmaël pulcherrimæ, atq; à Dijs propè ipsis oblata occasione defuisset, qua Selymum in Aegypto bellum gerentem, Asia ac Syria penitus exuere, interclusum cum omnibus copijs, præsertimq; tâta ui resistente Tomumbeio, faciliè delere potuerit. Eam fuisse causam reperiebamus, quod nõ eadem Hysmaëli domi ac foris sint uires. Exercitum namq; eius ex euocatis atq; nobilibus magna ex parte constare, qui gra-  
tuitò

tuitò militare consueuerint. Hos, ut sunt totius Orientis for-  
 tissimi equites, singulari studio regnū egregie tueri, & cum  
 finitimis populis acerrimè bella gerere. At si paulo longin-  
 quior expeditio sit sumenda, eam militiam detrectare, quum  
 relinquere uxores, quibus maximè sunt addicti, durum arbi-  
 trentur: nec more suo multa impedimenta trahere, & plu-  
 res ducere equos gens luxuriosissima atq; ornatisima sine sti-  
 pendijs possit. Qua rerum difficultate ad educendos exerci-  
 tus, ipsum quoq; Vsumcassanè maternum Hysmaelis auum,  
 laborasse constat. Id autem eo ægrius ab Hysmaële parari  
 posse uidebatur, quòd propensissima prouinciarum uolun-  
 tate auitum imperium recepisset, sublatis statim onerosis ue-  
 stigalibus, studia hominum, quæ liberalitate atq; iustitia faci-  
 le comparantur, longè firmissimas regni opes esse semper iu-  
 dicauit. Quando ipsis tantum gentium fortunis imperare,  
 animis omnium semel acerbitate tributorum alienatis, non  
 optimi, sed impotentis, ac temporarij regis esse uideretur.  
 Contra Selymus qui ui, scelere, execrandisq; artibus pater-  
 nam sedem inuaserat, in seruilibus et mercenarijs copijs quas  
 & longè ab domo abducere, & per omnes prouincias ra-  
 ptare pro libidine posset, ad profrendos imperij terminos, et  
 ad res immortalis famæ gerendas summa atque certissima  
 præsidia esse statuebat: ut qui in una pecunia, atq; imperij se-  
 ueritate, ueram atq; expeditam potentiam putaret, qua om-  
 nium Othomannorum uictorias obscurare faelici rerum suc-  
 cessu didicisset. Ea, quæ secuta est, hyeme, Selymus circume-  
 undò maritimas & mediterraneas ciuitates, exercitum in Sy-  
 ria aluit: appetente autem Vere, quum Romæ flagrantissi-  
 mo studio Leonis pontificis de bello inferendo iniri consilia  
 aduersum se, supplicationes magna celebritate fieri, & ad



PAULI IOVII HISTOR.

excitandos Christianorum reges summæ dignitatis legatos in omnes prouincias destinari certius cognouisset, relicto in Syria Gazelle, qui cum imperio præset, Bizantium magnis itineribus contendit, ut ex propinquo cõsilia motusq; hostiũ spectaret: haud ignarus interea Aegypti Syriæq; prouincias nullam rerum mutationem esse subituras, quoniam Caierebium atq; Gazellem, qui immortales inter se inimicitias ex ueteribus studijs, & ex recenti etiam proditione conceptas exercebant, non consensuros in unum: sed emulatione ad promerendam gratiam in regendis prouincijs, diligentia, fide, ac temperentia inter se certaturos esse intelligebat. Eadem æstate, qua ad Singam amnem in Syria pugnatũ est (fuit is annus à partu Virginis millesimus quingentesimus sextusdecimus) Galli et Veneti repressis apud Mediolanum Maximiliani Cæsaris conatibus, atque eius copijs in urbem Veronam compulsis, uniuersas uires ad oppugnandam Brixiam contulerunt. Præerat Gallis, Borbonio in Galliam profecto, Odetus cognomento Lotrechius, qui ad non dubiam iusti maturiq; ducis famam contēdebat: quum uim feruidæ alacritatis, uti ab ultima Aquitania semihispanus, mora & ratione sedato impetu temperaret: nec in eo rapacis ingenij sordes, aut dissolutæ ac indignæ uoluptates notarentur: Superiorum eius gentis ducum planè dissimilis, et suscepto oneri, omnino par, nisi superbo ingenio nemini familiaris, alieniq; consilij insolens contemptor, grauitatis atque prudentiæ suæ nomen corrumpere. In Veneto autem exercitu, quum senatus neminem adhuc in tanta ducum inopia, Liuitano sufficisset, Theodoros Triaultius iam pridè Gallico stipendio addictus, imperatorias partes exercebat, uir neq; uehemens, neq; pugnantia auidus: sed qui propter longam militiam, quod pluribus  
quàm

quam quisquam sua tempestatu ducum, Italiae praelijs inter-  
fuisse, consilio optimus habebatur. Erat Brixiae Hicar-  
dus recenti defensione urbis gloria insignis, cum Hispanorum  
& Germanorum adeo exigua manu, ut milites duarum co-  
hortium numerum uix implerent. Cesare namq; infectis re-  
bus in Germaniam redeunte, quum res aduersae multorum  
spes atq; animos comminuissent, milites uulgo domum aut Ve-  
ronam concesserant. Multi quoq; qui diripiende Caesarianae  
pecuniae auctores fuisse dicebantur, iudicium ueriti, ad ho-  
stes per fugerant, nulla comaeatus, nulla stipendij certa spes,  
exhaustis priore obsidione Brixianis relinquebatur: & ma-  
tura tum in agris segetes erant quibus hostis loge ac late cir-  
cumemisso equitatu potiebatur. Quodq; in ea rerum asperi-  
tate grauissimum ducebant, tormentarij pulueris tanta erat  
inopia, ut totus tormentorum apparatus, uix decies impleri  
posse uideretur. Quae omnia, sicuti corporis uitia, tamen si  
plane celari non poterant, uir tamen Hispanus & prouidus,  
sic ea cunctis artibus contegebat, ut intra urbem difficultates  
earum rerum minores, & maiora militum praesidia hosti-  
bus uiderentur. Itaque Gallus & Venetus promotis castris,  
ac exploratis omnibus rebus, inter se conuenere, ut diuiso  
peditatu, atque ea cura minoribus ducibus demandata, ab  
quinque simul diuersis urbis partibus murum quaterent:  
patefactoq; aditu ad irrumpendum, hostes, ut necesse foret  
in plures diductos partes, & multiplicis periculi timore oc-  
cupatos, adorirentur. Id autem facile fieri poterat, quum  
& militum multitudine foris abundarent, & tanta esset tor-  
mentorum copia binis in castris, ut paucorum dierum spa-  
tio urbs amplissimam mœnium corona nudari posse uideretur.  
Igitur quum per aliquot dies continue oppugnando, ingens

## PAULI IOVII HISTOR.

tem murorum ruinam destinatis in locis edidissent, atque ho-  
 stes, qui necessario die noctuq; comportare aggerem, interio-  
 res munitiones erigere, & quod in perpetuo labore dirisi-  
 mum erat, omnes simul propter paucitatem excubare, cogere-  
 bantur, multis praelijs lacesissent, ad extremum, ut iusto pre-  
 lio aggredierentur, cohortes delectas paulo ante optime in-  
 structas, murum subire iusserunt. Pugnatum est uno simul  
 tempore quinque locis per plures horas, magna utrinq; con-  
 tentione: nam recentes atque integræ cohortes fessis & con-  
 uulneratis, sic per uices in pugna succedebāt, ut propugna-  
 toribus etiam superiorum dierum labore defatigatis, nihil  
 spatij ad recipiendas uires relinqueretur. Verum Hispani  
 atque Germani tot bellorum usu periti, sicuti æquitate loco-  
 rum atq; uirtute superiores erant, ita subeuntium impetum  
 multis illatis uulneribus egregiè sustinebant. Sed magno eis  
 subsidio erant, equites ferme centum, qui per pomerij spati-  
 um irrequieto cursu moenia introrsum circuibāt, notabātq;  
 qua in parte maximè laboraretur: ac statim in forum ubi tre-  
 centi ueterani in statione ad subitos casus collocati erant, de-  
 currebant, totq; ueteranos, quot periculi magnitudo depo-  
 scebat, ne pedestri cursu exanimati peruenirent, suis in equis  
 confessores accipiebant, et ad locum iniqui certaminis reuer-  
 tebantur. Ipsi nonnunquā, quū repentinū urgentis praelij di-  
 scrimen præsentanea subsidia flagitaret, ex equis desiliebat,  
 & in pugne locum progrediebantur. Sed ab ea parte quam  
 Nauarus oppugnandam acceperat, longè periculosissimum  
 certamen fuit: nam Cantabri & Vascones intrepide murum  
 subiere: actumq; est utrinq; audacter non missilibus tantum,  
 sed lanceis et gladijs, quū scutis super capita impositis, ueluti  
 testudine facta succederetur: transcendissentq; in urbem nisi  
 testaceæ

testacea mala sulphure & resina repleta, & globi nauali artificio confecti, lethiferum atq; terribilem uomentes ignem, quæ propugnatores superne iaculabatur, subeuntes cohortes deiecissent. Quo malo perterriti Nauarrini, urgentibus mox in ea perturbatione aduersarijs, per ruinas præcipientes acti, aliquot suorum amissis, & pluribus igne ambustis ac confauciatis se receperunt. At Hicardus quinq; prælijs una die atq; uno tempore sustentatis, quum multos uulneratos, & cæteros omnes labore atq; uigilijs confectos esse animaduerneret, nec ulla spe Casariani auxilij teneretur, de deditio-  
ne cum hostibus sibi agendum esse iudicauit. Magna enim eum uirum, quam parua sibi præsidia forent, animo reputantem, amittendi decoris cura agebat, ne si pertinacius hosti & quotidianis prælijs resistere uellet, attritis ad extremum uiribus, deditio-  
nem, quam omnino necessariam fore providebat, iniquiore conditione facere cogeretur. Itaq; aduocatis centurionibus, & ciuium primarijs, protulit tabulas publicas, quibus ab initio regrediente Cesare, eius præfectos fuerat contestatus, se urbem, si quid durius accidisset, extemplo esse dediturum: quando neq; commeatus, neq; militum cæterarumq; rerum debita præsidia, quibus sue fidei commissam urbem tueri posset, sibi relinquerentur. Nō esse neq; sibi neq; præsidarijs succensendum, si in summa rerum necessitate, & uitæ & rebus suis prospiciant, ac optime de semeritæ urbis saluti consulere uelint. Conditiones quas longe æquissimas hostis proponeret, non esse temerè contem-  
endas, quum ad eas mox afflictis ad extremum rebus sit recur-  
rendum. Satis enim pro gloria, quid Hispani, quid Germani uirtute possint, quidue hostes audeant, Brixie pluribus periculis ostēsum esse: & satis superq; pro ipso Cesare dimica-

PAULI IOVII HISTOR.

tum, qui repentina profectioe, rebus & consilijs omnibus subito euerfis, suos omnes deseruerit atq; proiecerit. Proinde rei conficiendæ sibi curam relinquerent: daturum enim se operam, ut non accepisse conditiones, sed dedisse salua præsidij & ciuium existimatione uideantur. Itaq; quum et Gritus, qui tum legatus aderat, nullas non æquas esse conditiones duceret, modò urbe potiretur, per idoneos utrinq; homines actum, ut Hicardus urbem atq; arcem Lotrechio dederet, sicut eam Cardonius, & prosper Columna ab Obegnino quatuor ante annis accepissent. Præsidium uerò armatum more militari cū tubis ac tympanis explicatisq; uexillis exiret, ac liberè, quo uellet, proficisceretur. Centurionibus tamen certisq; cohortium præfectis interdictum est, ne Veronam intra quadragesimum diem se conferrent, quando milites, si absq; ducibus forent, dilapsuri uiderentur: qui tamen omnes fermè Veronam alij alijs itineribus profecti sunt. Expressè quoq; in tabulis cautum est ciuibus Brixianis, et præsertim his qui partiū Cæsaris fuissent, ut nulla domibus uel præstidij eorum iniuria inferrent etiam si apud Gallorum et Venetorum hostes agere uellent, uel se Brixie minime tutos esse existimarent. Sed quum præsidium eductis impedimentis porta egrederetur, & per medios hostium ordines alacriter pertransiret, Galli conspecta hostiū paucitate (uix enim septingenti armati milites erant) pudore confundi, et fremere cœperunt, quod tantulæ copię falsa maioris multitudinis specie obiecta, duorum exercitiū impetum elusissent, uixq; sibi temperare poterant, quin minis & contumelijs abeuntes uiolarent. Lotrechius prior urbem ingressus, ut captæ possessionis formula seruari uideretur, paulò post eam Grito restituit, actaq; nomine senatus Lotrechio ingentes gratias.

tæ, & munera, data, quòd nauiter copijs suis Rempubli-  
 ca iuisset: atq; urbem tanto sanguine toties frustra repetitam  
 integra fide reddidisset. Nec multò post ad conficiendum bel-  
 lum copix in Veronensem agrum ductæ: namq; exulibus Ce-  
 sariensisq; reliquijs unus erat Veronæ tutissimus receptus,  
 propter magnam loci opportunitatem, quòd urbs Triden-  
 tinis iugis atq; Germaniæ proxima, celeriter nouis auxilijs,  
 si urgente hostes paulò asperiores euaderent, confirmari  
 posse uideretur. Collegerat M. Antonius columna, cui sum-  
 ma bellicarum rerum cura ab Cesare demandata fuerat, ex  
 omni genere hominum ualidissimam ueteranorum manum.  
 In his erant Hispanorum Tricenariæ cohortes sex, quibus  
 ante alios Maldonatus & Morellio præerant, uiri etatis ho-  
 nore & fortibus factis insignes. Germanorum uerò quatuor  
 milia, omnes fermè in Italia militare assueti. Ii Georgio Fra-  
 nisperchio nobili è Vindelicia parebant: præterea Castella-  
 to ac Rodulpho alæ strenuis præfectis, & Marco item Si-  
 thio, qui postea M. Antonij testimonio summam inter Ger-  
 manos uirtutis militaris atq; prudentiæ laudem adeptus est.  
 Aderant & quingenti fermè Heluetij, qui militiæ auditi,  
 suis domum abeuntibus, Veronæ remanserant, adhortantè  
 Arnolddo Vnderualdio eorum duce fortissimo qui apud Sfor-  
 tiam prætorij præfectus fuerat. Præter uerò suam cataphra-  
 storum alam ueteranam, aliquot Italici, Hispanici, ac Ger-  
 manici, generis leuis armaturæ equitum turmas habebat,  
 quarum inter alios excellenti uirtute ductores eminebant,  
 Gurlottus Rhauennas, Valastichinus Cantaber, & Sitca-  
 rus Belga. Sed in primis militari gloria florebat egregia  
 Græcorum equitum manus. Ii omnibus Italiæ bellis exerci-  
 tati, clypeos tanquam inutiles deposuerat, quibus antea ipsi

PAULI IOVII HISTOR.

inermes oblongis atq; inflexis utebantur: & pro his thoraces & galeas ita ferre didicerat, ut congregati cum cataphractis auderent. Erant eorum duces duo Boccali, Constantinus, & Emanuel, illustri ueterum Achaiae principum familia orti: & secundum eos Andreas cognomento Bua, corporis atq; animi promptitudine insignis. His fretus copijs M. Antonius, dum Galli et Veneti Brixiam oppugnarent, atq; ipse laborantibus socijs auxilia submittere ulla ratione nequisset, Vincenciam nocturna profectione contenderat: expulsoq; praesidio atq; urbe occupata, ingentem praedam omnium rerum, multosq; captiuos, & aliquot currulia tormenta aueraxerat. Quo aq; magno ei postea usui fuit, frumenta quae in aruis adhuc erant, conquisitis undiq; palustris, ac sarcinarijs iumentis, Veronam asportauerat. Neq; post id factum, ulla hostium locus fuit, qui ab Antonianorum iniuria tutus esse putaretur: quum circumiecta castella aut deserta essent, aut in summo metu uersarentur, atq; omnes milites qui in praesidijs erant, eius uiri uim atq; celeritatem pertimerent: uti superiore etiam hyeme pluribus periculis, & multis acceptis incommodis timere didicissent. Veneti aliquot ante diebus, quam iustis Gallorum exercitus appropinquaret, ut qui capiende urbis peculiari cura plurimum angebantur, non longe à Verona constiterunt, ut hostes pabulatione ac frumentatione prohiberent, ac simul uniuersam regionem, quam subitis incursionibus aduersariorum equitatus infestabat, oppositis maioribus copijs tueretur. Itaq; crebro equestria praelia fiebant, & hinc atq; inde ex occasione, & per insidias, ut quisq; suum hostem opprimeret, uirtute ac dolo singulari studio certabatur. Per eos dies agricola Veronensis M. Antonij praemijs & pollicitationibus inductus, ma-

gnus

gnum facinus, sed tam sibi postea exitiabile, quam hostibus inexpectatum ausus est. Is enim, quum res uenales & hortensia in primis sæpius humeris deferret, atq; ob id Venetis in castris impune uersaretur, simulatione spectandi, ad tormentorum locum, ubi & omnis eorum erat apparatus, minime id curantibus custodibus, processit, funiculumq; igne succensum, ut antea edoctus fuerat, idonea in parte reliquit. Nec mora, ut primam statim paleam & proxima cadis stramenta flammam corripuere, tantus repente incenso puluere ignis obortus est, ut quicquid sulphurei pulueris ad oppugnandam urbem magna impensa, & multo labore paratum conuectumq; fuerat, id totum uno temporis puncto conflavit: tantaq; flammarum uolentia atq; rapiditas fuit, ut omnia concursantis & restinguere conantis exercitus remedia, una mali uelocitate præuenteret. Id solum in graui atq; insperata iactura solatio fuit: incendiarius dum se reciperet, in ipso statim incendij seuentis initio deprehensus. Qui postea ad eruendam ueritatem tormentis excruciatas, & uiuus eodem igne concrematus, dignas scelere atq; audacia poenas persoluit. Eo accepto incommodo, Veneti, quòd omni pulueris copia incendio absumpta, tormentorum apparatus inutilis euadebat, quodq; & tutius, & commodius quæ amissa erant, si se reciperent, reparaturos esse iudicabant, reductis castris, in remotiora ab urbe loca discesserunt: tantamq; paucis diebus diligentiam adhibuerunt, ut longè maiorem uim pulueris quam antea habuissent, Patauio atq; Venetijs in castra, pluribus omnifariam imperatis uecturis, comportarint. Nec multò post Gallorum exercitus, qui eius gentis consuetudine cum in aliena causa tradè & cunctanter, tum alieno in agro tardissime, ut sese atq; equos largius



PAULI IOVII HISTOR.

atq; uberiùs aleret, iter faciebat, circiter calendas sextiles appropinquauit, & Veneti pari consilio ab ea parte, quæ est ultra Athesim, castra promouere: ita tamen, ut neuter exercitus intra maioris tormenti iactum tendere uel consistere auderet. Incredibilem enim tormentorum in urbe esse multitudinem, transfugarum & speculatorum sermonibus compertum habebant: ignari tamè, quanta intus hostes pulueris penuria premerentur. Itaq; duobus magnis exercitibus circumiectū omnem agrum longè lateq; tenentibus, arctius obsideri cœpta, ea ratione, ut non prius ad oppugnandum accederent, quàm inclusos fame ac aliarum rerum inopia debilitatos, ad summam defendendæ urbis difficultates perduxissent. Iam enim cohibitis excursionibus, et facultate frumentandi ac pabulandi magna ex parte sublata, tantum custodiarum diligentia, atq; itinerum obseruatione, ultra citraq; Athesim effecerant, ut Casariani, nisi cū iusta ac ualida peditum & equitum manu, longius frumentari uel excurrere dubitarent. Quod ne sæpius fieret, multitudo & propinquitas aduersariorum & præsentis belli ratio, ne extremis prope rebus aliquod detrimentum acciperetur, prohibebat. Interea M. Antonius, qui hostes propius accessuros, ac mox urbem oppugnaturus esse certiore coniectura iudicabat, munitiones, quas antea instituerat, irrequieto ciuium ac militum labore perficere, ipse in primis uti erat propter architecturæ disciplinarumq; noticiã, summus horum operū artifex, ut alios doceret, exëploq; accenderet, agèdo atq; instrumenta fabrilia contrectando, nullum uel humilis etiã operæ laborem aspernari, omnibus in locis aggeres ædificare, sed maxime ad Mantuanam portam quæ Calcearia dicitur, frequens & multus in opere esse, ac plurimum in eius loci munitione

mitione uersari. Erat turris mediocri altitudine ipsi portæ  
 imposita, atq; ea foris ita aptè oblongo & quadranguli cin-  
 cta propugnaculo, ut peritis etiam per se satis tuta uideret-  
 tur. Sed uitium M. Antonius animaduertat, qui nullam  
 sibi tuendæ portæ facultatem relinqui, si propugnaculi mu-  
 rus acri hostium oppugnatione sterneretur, solerti iudicio  
 providebat. Quamobrem, tametsi ab omnibus propè mili-  
 tibus irridebatur, quòd munitissima in parte tantum operæ  
 ac laboris impenderet, tamen quin munitionē perficeret non  
 destitit, quæ una omnium postea & cunctis salutem, & ipsi  
 in primis singularem laudem peperit. Siquidem portam ante  
 omnia multo aggere repleuit, relicta in medio ad ingentis  
 tormenti usum fenestella, quæ tenui gleba in speciem ab ex-  
 teriore parte similiter obstruebatur. Item ab utroq; latere  
 apud binas munitiones totidem fenestellas effecit, quibus  
 maiores colubrinæ interius collocatæ ex obliquo, ubi incur-  
 sus hostium flagitaret, occultè emitterentur, Nouam quoq;  
 & subterraneam portam, patefacto ab imis mœnibus am-  
 pliorem aditu, in fossam perduxit, unde expediti atq; intenti  
 milites aduersus subeuntem hostium multitudinem ex impro-  
 uiso prosilirent. Atq; hæc ne hostibus proderentur, adeò oc-  
 culte administrabat, quum nocturno maxime tempore, &  
 familiaribus, aut fidiisimis uteretur, ut milites magna ex  
 parte, ac ciues quæ parata essent, ignorarent. Multi namq;  
 ex Hispanis, nulla uerecundia, quòd neq; sine stipendijs pro  
 Cesare militare, neq; ultimam in ediam, quum iam angu-  
 stior annonæ uideretur, experiri se uelle dicitarent, ad Ve-  
 netos simulata in agrum excursionem transibant. Quamquam  
 plures patrij decoris memores, ne uniuersæ genti ea igno-  
 rantia conflaretur, dolore concepto, factum perditorum ho-

PAULI IOVII HISTOR.

minum improbarent, atq; eis quum uindictæ uel iudicio locus foret, extrema supplicia cōminarentur. In his fuere Suares Roscius, Plasolla, Christophorus Magius, Iamperres, & Ioannes cognomine Latro, & nonnulli alij leones uerius quàm milites, quæstui assueti, qui paulò ante signiferorum, & centurionum loca, melioribus fato extinctis, audacia potius & commilitonum fauore, quàm propria uirtute meruerant. Hos & ipse Maldonatus paulò post, nullo antea actæ militiæ pudore, subsecutus est: uir militari laude dignus, nisi auaritia atq; superbia inductus, iam senex antè partam longo labore dignitatem, eo scelere, & postea fœdissimo ac horribili uitæ exitu, maculasset. Per eos etiam dies Bernardinus Caldareus Veronensis equitum præfectus, quum in diuidenda præda, seditione inter milites suborta, eius equites Emanuele alic Græcorum ducẽ interfecissent, & pluribus de causis spectatæ fidei à Cesarianis esse diceretur, ad Venetos transfugerat. Nulla interim dies erat, qua non equestri prælio subiectis in campis certaretur: fuitq; aliquando admiratione dignum, quòd pauci Græci equites totidem cataphractos Gallos captiuos adducerent. Nam singulari uelocitate grauitèr armatorum impetum ludificabantur, ac rursus præteruolantes & subiti ex transuerso ictus ingeminabant, clauaq; præsertim ferrea hostis cassidem, & eius equi caput feriebant, tanta arte, ut fessos atq; attonitos facillè postea ad deditiōem, quæ traditione gladij fiebat, compelleret. Quòd si confertis turmis Galli ingruerent, liberiore campi spatio fuga sibi consulebant, si uerò Græci in angustias uel arctiora loca retrudebantur, ubi stataria pugna dimicandum foret, nec solitis in fugam gyris eludere congregientem hostem facilep offent, circumuenti atq; oppressi, audaciæ pœnas luebant.

bant. Nonnunquam etiam per lusum extra ordinem, interpo-  
 sita fide, ab binis uel ternis utrinque certabatur, ut tum accidit  
 quum inductis inducijs, ut tuto omnes spectaculo interessent,  
 quatuor nobilissimi, ijdem atque omnium longe fortissimi Gal-  
 li equites, inter quos Ambra peditum praefectus excellenti  
 uirtute iuuenis erat, totidem ex hostibus prouocarunt. Prae-  
 ferebatur certamini titulus: si qui in urbe equestri gloria il-  
 lustres essent, qui pro adamata muliere decurrere, atque ha-  
 stam ferro praepilatam infringere uellent, hos contra in sta-  
 dio parem ad numerum staturous Gallos, et suae atque alienae  
 uirtutis sine fraude periculum esse facturos. Prodiere Gurlot-  
 tus Rhauennas, Summontius Neapolitanus, et duo Hispani  
 Vascus Cunnius atque Guinnea, concursumque est infestis ha-  
 stis magno ardore, summis utrinque uiribus, adeo ut pari  
 uirtute, pari que periculo contendisse omnes iudicarent. Sum-  
 ma tamen laus haud obscure Caesarianis cecidit: nam quum Sum-  
 montius et Vascus superiores euasissent, et Guinnea ephip-  
 pio fuisset excussus, Gurlottusque et Ambra mutuo ictu pe-  
 netratu usque ad interuallam tunicam solidissimis thoraci-  
 bus, cum uirtute constantia, pares exitissent, nulli dubium  
 erat, si res ad gladios deducta fuisset, duobus iam Gallis pesi-  
 me affectis, qui tum afflictis superstratis et morientibus equis  
 iacebant, uictoriam ad Caesarianos esse redituram. Sed statim  
 dirempta est pugna, ne tanta uirtutis homines, qui non hosti-  
 li rabie, sed ingenuo quodam corporis atque animi uigore  
 concurrerant, postquam primum et maximum uitae pericu-  
 lum euitassent, non gloriae, sed sati casibus se obiectare ui-  
 derentur. Interea Lotrechius et Theodorus, quum certius  
 cognouissent obsessos, desperatis semel stipendijs, et cibarijs  
 magna ex parte consumptis, ob crebra suorum transfugia

metu consternatos, ciues uerò usq; ad miserandam egestatem  
 & rerum tædium, omnibus domi & foris conflictatos incom-  
 modis, diutius quin se dederēt, extremas miseras non esse tol-  
 leraturos, mœnia aggredi statuerunt: atq; ita perductis fossis,  
 perfectisq; solitis munitionibus, ut tuto mœnibus succedi  
 posset, prolatoq; omni tormentorum apparatu, urbem ab  
 duobus lateribus oppugnare cœperunt. Gallus eam partem  
 quæ à Manuana porta perpetuo tractu ad Citadellam patet  
 (Sic enim appellant retractionem urbis angulum, & uetere  
 munitione firmissimum) sibi oppugnandam accepit. Vene-  
 tus autem ad Vicentinam, quæ Episcopalis nuncupatur,  
 confedit. Et quoniam inter bina castra præterfluebat Athe-  
 sis, qui eo in loco uado transiri non poterat, ut uterq; exer-  
 citus mutuis auxiliis subitò traducendis alteri præsidio foret,  
 annem latissimo ponte iunxerunt: et ad tutelã eius cohortes  
 stationarias ad extrema pontis capita cum tormentis impo-  
 suerunt. Itaque urbs diuersis duobus in locis undecim ferme  
 continuos dies oppugnata, tantaq; ui, ac tanta utrinque  
 perseuerantia, ut Veneti eam mœnium partem, quæ ad Vi-  
 centinam pertinet, supra centum & quinquaginta passuum  
 in longitudine patentem, perpetua murorum strage edita,  
 deiecerint. Galli uerò per interualla quinque in locis ingen-  
 tes quinq; aditus patefecerint, superstantibus inte-  
 medijs totidem intacti muri portionibus in pinnarum similitudinem.  
 Quæ ruinarum & stratorum passim mœnium uasti as pas-  
 suum ferme ducentorum spatium amplectebatur. Idq; ea ra-  
 tione fiebat, ut hostes, qui interiora cadentiũ murorũ fossa et  
 perpetuis aggeribus munire cogebantur, multò maxima (ut  
 in extenso ac longiore opere) continui laboris necessitate im-  
 posita conficerentur: ac simul, ut tormenta, quod recta fron-  
 te

te fieri non poterat, ex obliquo per diruti & patentis muri interuallum, in latera hostium intus pro statione agentium, atque opus molientium, non fortuitis, sed destinatis ictibus emitterentur. Erat tanta pilarum uis, ut non solum muri, sed quum supra mœnia ferebatur, etiã edificiorũ tecta corruerent: multiq; passim in urbe, plures in munitionibus uel incidentibus pilis, uel defractorum lapidum fragmentis eliderentur. Nulla namq; gentes, nulli duces memoria nostra, uel maioribus opibus, uel ampliore tormentorum apparatu urbem oppidumue oppugnarãt: Nulla, ipsi qui oppugnabãt, Italia in parte, tormentis, aut machinis maiorem murorum uastitatem factam fuisse meminerãt: adeo ut supra uiginti milia ferrearum pilarum, una ea oppugnatione, & paucis quidem diebus iaculati fuerint. Periere e Cesarianis tormentorũ ictibus discerpti, Ioãnes Moteseltranus clarioris nominis eques, Pellanda architectus insignis, et Fontana Insuber, in conflandis dirigendisq; tormentis peritissimus. Sed in tanta periculi asperitate, ea erat & ducis uirtus, & militum diligentia, & ciuium fides, quũ omnes certatim singulari studio in opere uersarentur, neque sibi die noctuq; parcerent, ut quantum muri ab acerrimis indefessisq; hostibus sterneretur, tantũ ipsi pari temporis spatio adauctis & prolatis aggeribus commo dissimẽ resarcirent. Intra enim cadentium mœnium ruinas, M. Antonius fossam perduxerat, atque interiore labro munitiones erexerat. Vbi uerò pomerij depressum solum foret, nec abrais ab hoste mœnibus æquaretur, murices passim, & tabulas e quibus frequentes clauorum cuspides prominebant, opportunis in locis occulte posuerat. Præterea testarum & globorum ingentem parauerat multitudinem, quibus missilis & pinguior flamma uoto, artificio con-

PAULI IOVII HISTOR.

tuebatur. Tormantaq; quorum magnum habebat nume-  
 rum, idonea in parte, ubi periculum ostenderetur, ordine col-  
 locarat. Curabant Germani duce Franispherchio, adiunctis si-  
 bi Heluetijs, ea in parte quae à Venetis oppugnabatur: atque  
 haec eadem agendo imitandoq; diligentissime administra-  
 bant. Porro Antonius tabernaculo iuxta moenia in ipsis mu-  
 nitionibus erecto, ubi certamen & plurimum periculi futu-  
 rum esse putabatur, cum reliquis copijs aduersus Gallos con-  
 stiterat. Iam peruentum erat ad summas rerum difficultates:  
 iam cuncta obsessos, praeter unam spem, atque unam animi  
 uirtutem constantiamq; defecerant. Frumenti parua, casei au-  
 tem, & carnis salitæ, uel pecoris nulla copia in urbe reperie-  
 batur: & quod in primis corpora atq; animos Germanorum  
 infregerat, tanta uini penuria erat, ut quicquid in ipsa spe  
 propinqua uindemia superesset, id totum sacrificio atq; agris  
 militibus seruaretur. Dux ipse, quum primores exercitus  
 quotidianis coenis adhiberet, & quadraginta diebus nihil  
 praeter aquam bibisset, tanta comitate omnes abstinentiae et  
 frugalitati insuescit, ut facile atq; alacriter ceterarum etiam  
 rerum inopiam tolerarent. Lentem enim, & sabam: pani-  
 ceaq; pularia in quotidiano usu: equinas uero atq; asellorum  
 carnes magno in honore habebant: & tum praesertim opipa-  
 re apud ducem epulabatur, quum aliqui Gallorum equi ut erant  
 praepingues, ac suis strigosioribus & fame prope enectis mi-  
 nime comparandi, in excursionibus occidebantur. Nam con-  
 spectis statim equorum cadaueribus, portis frequentes euo-  
 labat, concisosq; in frustra humeris in urbem cum plausu re-  
 ferebant. His rerum angustijs quum premeretur Antonius,  
 neq; pluribus literis ac nuncijs ad Caesarem transmissis, quic-  
 quam certi de eius auxilijs audiret, atq; indies copias tot af-  
fectas

fectas in commodis magis ac magis deficere, atque extenuari,  
 nihilq; iam seniegris corporibus præter fortem fidemq;  
 animum superesse conspiceret: antequam omnis exercitus  
 desperatione atque extrema inedia conficeretur, audendum  
 sibi aliquid de eruptione existimauit. Itaq; re ad consilium de-  
 lata, docuit quàm luctuosus atq; ignominiosus, ipsiq; in pri-  
 mis nobilissimæ ac fidelissimæ ciuitati, miserabilis rerum exi-  
 tus futurus esset, si in suprema ingentis belli necessitate, Cæ-  
 saris auxilia sibi expectanda iudicarent. Fortibus uiris for-  
 tia consilia, quæ necessitas omniratione ualidior offerre ui-  
 deretur, in tempore esse præsumenda, conandumq; ac impi-  
 grè agendum, dum uires ad rem benè gerendam superes-  
 sent. Nec in una laboris atque inediæ patientia, sed in uirtu-  
 te, atq; audacia, & spem melioris Fortunæ, & summam to-  
 tius belli uictoriam positam esse arbitrarentur. Placere sibi  
 eruptione facta, pontem occupare atque interscindere, ac si-  
 mul omnibus copijs Venetos adoriri, quando factu facillimū  
 foret, ut qui nihil minus, quàm eruptionem ab obsesso hoste  
 fieri posse putarent, subitum atq; improuissimum pugnacissimi  
 ac toties uictoris exercitus impetū, minime sustinerent. Qui-  
 bus pulsus, Gallos nec consistendi animum, nec sese recipiendi  
 sine tormentorum iactura, spatium habituros. Quantum au-  
 tem ad se pertineret, ut maiorem spem prosperi euentus con-  
 ciperent animis, ad exæquandum periculum pedibus in pri-  
 ma fronte pugnaturū: & Dijs bene iuuantibus, si forti consi-  
 lio strenui milites non deessent, finem egregia cū laude ærum-  
 nis omnibus impositurum. Præfecti, & centuriones qui ade-  
 rant, nulla interposita dubitatione, fermè omnes Antonio  
 assenserunt. Nam tametsi consilium primo aspectu pericu-  
 losum atq; asperū ducebāt, tamen tanta erat omnium uirtus



PAULI IOVII HISTOR.

Tantaq; pugnandi cupiditas, ut quo audacius consilium erat, eo certius et spetiosius esse uideretur. Curauere cum cetera corpora, atque arma expediuere, ut sequenti die ancipitis consilij alea laceretur. Sed quum rebus omnibus ordine constitutis instructi et parati essent ad erumpendum, et iam prima signa ad portam ferrentur, repentinus ab Calcearia porta tumultus exortus, interpellantibus Gallis, ab incepto M. Antonium reuocauit. Namque Lotrechius, si portam propugnaculum celeri atque acerrima oppugnatione stereretur, prius quam obijci noua munitiones possit, facile se in urbem peruasurum ratus, conuectis in eum locum omnibus propemaioribus tormentis, propugnaculi muro portam nudauerat: patefactoq; aditu Lescutum fratrem (is tum peditatus curam gerebat) expeditas cohortes adducere, et per ruinas immittere iusserat. Subiere ad portam impigre Galli, et frequentes totum propugnaculi spatium compleuere, ut inde in urbem transgrederentur, quum Antonius, qui priore excussus consilio, celeriter in eam partem decurrerat, locum delectorum militum presidio firmavit: edixitq; gnarus eorum quae occulte parauerat, ne iniussu ullum in subeuntes tormentorum emitteretur. Ceterum alij atq; alij intrepide subeuntibus, ut confertissima hostium multitudine interiorem propugnaculi aream plenam esse animaduertit, subito tormentorum illud maximum, quod ante ibi conditum fuisse docuimus, sua manu collibratum atque inflammatum, in oppositos emisit. Idem fecere magistri, qui tormentis in dextram ac leuam collocatis praerant: tantaq; hominum strages puncto temporis edita est, ut pauci ex ea multitudine, quae propius accesserat euaserint. Nam non pilis tantum tormenta quibus constipata acies certa ac miserabili clade lacerabatur,

tur, sed etiam taxillis ferreis, uarijsq; metallorum frustulis  
 usq; ad summa ora compleuerant, quæ flammarum & pile  
 impetu expulsa, grandinis modo sic in omnes partes lethali  
 uiolentia dispergebantur, ut thoraces earū rerum ictus mini  
 mē sustinerent. Incubere demum Hispani, & cum his Itali  
 cataphracti, qui ea die pedibus rem gerebant, & pauidos,  
 atq; ea procella dislectos multis illatis uulneribus repulerūt.  
 Desiderati sunt paulò minus ducenti milites in partibus Gal  
 lorum, uulnerati autem plures, è quibus multi etiam, quòd  
 eius generis uulnera igne ac sulphure uiciata difficillimè cu  
 rarentur, postea interierunt. Eo die Antonius, tacito suorum  
 omnium consensu, summam prudentiæ opinionem adeptus  
 est: quā amici pariter atq; amuli, qui eum superioribus die  
 bus Calceariam, ueluti inani quadam haud necessarij laboris  
 perseverantia, munientem irriserant, eius opera atq; artifi  
 cio in repentino maximi discriminis casu, urbem haud dubiè  
 conseruatam esse faterentur. Nec multo post literæ è Germa  
 nia alate, quibus Cæsar significabat magna peditū atq; equi  
 tum auxilia se cum ingente comæatus copia propediem ad  
 soluendam obsidionem esse missurum. Qui nuncius, sicuti  
 Galli primam eruptionis occasione improuisi dimicatione  
 sustulerant, ita in posterum totum destinatæ eius rei consili  
 um interrupit. Quoniam M. Antonius, quanquam milites  
 ostendendæ uirtutis auidi, id egerrimè ferrent, in tam pro  
 pinqua spe auxiliorum, nihil temere sibi tentandum arbitra  
 batur. Ceterum Lotrechius, quum eo accepto incommodo,  
 nihil neglectum apud hostes, nullāq; mœnium partem quam  
 ipse tormentis deiecisset, non omni munitionis genere ualla  
 tam esse conspiceret, noua ratione ad fallèdum hostem oppu  
 gnare constituit. Superstabat inter binas stratorū mœnium

## PAULI IOVII HISTOR.

ruinas, eiusdem muri pars, septuaginta ferme cubitorum in longitudinem, quæ ratione superius memorata ex interuallo relinquebatur. Eam partem ab imo subruere, atque excisis fundamentis, in urbem una impulsione propellere conabatur, ut quum integra eamoles perpetui muri procidisset, priusquã ullæ ab hostibus munitiones ab interiore parte extruerentur, armatorum acies, patente quàm amplissimo aditu, in urbem irrumperent. Igitur missi complures, qui imas mœnium radices dolabris uectibusq; succinderet: qui quum impune sub muro uersarentur, quod summa mœnia defensoribus nudata erant, breui opus eò perduxerunt, ut murus ab exteriori parte sensim excauatus, appositis trabibus, quæ ruinam eius prohiberet, suspenderetur. Ea res serò deprehensa ab hostibus, Antonio atq; alijs magnam cum timore sollicitudinem iniecit. Nam in tanta temporis exiguitate, nec fossam, nec aggerem perficere poterant, nec satis quod usui potissimum foret, suspensis ac timentibus occurrebat. Antonius tamen, quod subitarium in eo periculo auxilium esse putabatur, cõuecta è foro in eum locum multiplici materia, prælongis ac ualidissimis tibicinibus nutantem nurum cõtraria ratione fulciuit. Quorum tignorum tanta uis fuit: quoniam diuisa ad pinnarum altitudinẽ, atq; ab imo diuaticata erant, ac hostilium trabium longitudinem superabant, ut in opus molientes, murum, qui iam totus ab imo cæsus pluribus rimis fatiscebat, in exteriorem partẽ momento prouoluerint. Complures è militibus, qui parati ad irrumpendum in proxima parte ruinam in diuersum expectabant, omnesq; ad unum qui ad subruenda fundamenta successerat, repentino muri casu oppressi, miserabiliter perierunt. Sed dum Antonius in erigendis tibicinibus, ardentius atque incautius in opere

opere uersaretur, maiore sclopetto ita idus est, ut plumbea pila per brachium adacta, corpus etiam sublato humeri osse per alam in tergum, quatuor effectis uulneribus emerferit. Dissimulauit in presens grauissimi uulneris dolorem atq; periculum, uir ante alios fortis, dum murus ille prorueret. Quo demum prolapsa, & tot hostibus eius ruina oppressis, ueluti expiato uulneris dolore, in tabernaculum concessit: eaq; mox fuit lethalis plagæ acerbitas, ut diu pertinaci febre conflictatus, summū uite periculum adijisse crederetur. Lotrechius, tametsi hominem, qui omnibus bellis acerrimus Gallorum hostis exitisset, publicè oderat, atq; ut erat potius undæ orbis & militaris gloriæ auidus, plurimum aduersarij ducis incommodo letaretur, tamen quum singulis uiri casum magnopere doluisset, & medicum obtulit, & quotidie ad eum guatissimarum rerum munera, sicuti morbus & afflictæ urbis miseria flagitare uidebantur, officiosè humanissimeq; transmisit. Erat enim M. Antonius maximarum uirtutum gloria, quæ nullis in eo ingentibus uitij obscurabatur, etiam apud hostes illustris. Idq; ei præsertim omnium beniuolentiam conciliabat, quòd præter proprium animi uigorem, etiam staturæ proceritate, firmitate membrorum, & uirili quodam decore uultus, armorum omnis generis, atq; in primis equitandi peritia cæteros eius tempestatis duces antecire diceretur. Quin & ipse paucis ante diebus, quum Lescutus, & Franciscus Borbonius sancti Pauli regulus, egregia uirtute & singulari dignitate florentes, uisendi eius studio adducti, ut porta egredi, et in cõspectū deuenire uellet ad iungēdas dextras, quod priuatæ beniuolentiæ testimoniū foret, obnixè petiissent, interposita statim fide, ad amplexandos publicos hostes, summa securitate comitateq; prodierat.

PAULI IOVII HISTOR.

At Veneti, tanetsi ad Vicentinam portam, non intercisis al-  
 ternisq; mœnium spatijs, oppugnant, ut Gallos fecisse do-  
 cuimus, sed continenti murorum strage, & perpetuis ruinis  
 nudauerant urbem, tamen neq; in duce ea uis animi, neq; in  
 exercitu tantum audacie fuit, ut mœnibus succedendum, &  
 praelio aliquid sibi tentandum per ruinas esse iudicarent: mox  
 & operum quæ intus erigebantur magnitudine deterriti,  
 & sociorum infœlici exemplo adducti ad effodiendos cuni-  
 culos se contulerant. iamq; solidam turrim, quæ ad campum  
 Martium uergit, Ioannis Comenis industria (is tum cohortis  
 prefectus erat eius artificij non ignarus) in aliquod ruinæ  
 discrimen adduxerant, quum Cesarianæ copie superatis Al-  
 pibus in Pulicellam uallem se demiserunt. Erant ad octo milia  
 hominum, cum magna pecoris & casei copia, multisq; fa-  
 rinæ dolijs, quæ ratibus secundo Athesi deuehebantur. Is præ-  
 erat Guliermus Rochandulphus, qui superiore hyeme Brixia-  
 an obsidione liberarat. Eius aduentus uno sermè tempore,  
 obsidentibus, atq; obsessis nunciatus est. Nam quantum iustis  
 confectis itinerebus procederetur, tantum ipsi interdium fu-  
 mo passim per uillas facto, noctu uerò magnis excitatis igni-  
 bus, significabant: & ab agrestibus qui pretio literas defer-  
 re consueuerant, Venetorum Gallorumq; custodiæ sæpenu-  
 mero fallebantur. Placuit utriq; duci, & Gritto in primis,  
 postquam Germanorum aduentu, omni spe potiunde urbis  
 manifestè deciderant, uniuersas uires in una castra conferre:  
 ne intercedente annee, si cum duplici hoste aucipiti praelio  
 contendendum foret, aliquod insigne detrimentum accipe-  
 rent. Theodorus, quòd nouo hosti propinquior erat, redu-  
 ctis tormentis uasisq; collectis copias ponte traiecit, & ad  
 Gallorū castra se cōtulit. Quod quum fieri ab Venetis hostes

è muro conspicerent, subito tormenta quæ in editioribus locis collocata erant, in extremum abeuntium agmen miserunt, qua procella aliquot interfecti sunt: & in his Basilius Ripa Liuiani alumnus, qui ob singularem rei bellicæ peritiã, paucis ante diebus alicuius præfecturam adeptus fuerat. Erupere demum sub signis Germanorum cohortes, & non contemnendam uini & commeatus copiam tabernaculaq; aliquot, & castrensium apparatus instrumenta nacti, cuncta in urbem plaustis cõuexere. Ab Antonianis quoq; equestri eruptione cum nouissimis Gallorũ uno ferme tempore pugnatũ est: cæsiq; aliquot, & plures capti. Sed ea omnium opinio fuit Gallorũ copias tormentis ea die propè deleri potuisse, dum subducto oppugnandi apparatu retro Mantuana uia in tutũ se reciperent, si uel mediocrẽ sulphurei pulueris quantitatem, cuius summa in urbe penuria erat, habuissent. His enim poena grauissima erat cõstituta, qui frustra, uel iniussu ducum paulò magis tormentũ emisissent: ut id totum quod supererat extremis casibus seruarietur. Lotrechius nõ multò post Villafraucã, Theodorus uerò inde ad secundũ miliare Bouiliantũ castra reduxere, ita tamen ut Galli appetẽte hyeme uniuersitate subiret: Venetus uerò exercitus sub tentorijs ac pellibus haberetur. Nec multò post Rochandolphus urbem ingressus est, egitq; Veronæ paucos dies, ne qui aduentu suo obsidionem sustulerat, introducta auxiliorum multitudine, afflictis diuturna fame Veronensibus duriorẽ priorẽ calamitatem importasse uideretur. Itaq; permutatis aliquot cohortibus, ut præsidium laboris uicissitudine recrearet, in Germaniam discessit. Per eos quoq; dies Venetis in castris mediã nocte tumultuatum, seditione ob scortum, ut tum credebatur, inter Italos pedites & persugas Hispanos orta:

resq; eò ab iurgijs & contumelijs paucorum petulantia processit, ut quum in nocturna trepidatione quisq; ad arma discurreret, iusta propè acie inter se conflixerint: admissumq; ea nocte foedum ac miserabile facinus foret, nisi Lotrechius, quie proximis castris ad tumultum adcurrerat, iam supra centum interfectis & compluribus uulneratis, exardentem seditione minis atq; authoritate compressisset. Profecto Rochadulpho, tametsi Cesariani, quod in prasens in urbe fames esse desierat, graui obsidione leuati, ingruente hyeme, nihil sibi esse timendum arbitrarentur, attamen hostibus remotiora ac superiora loca tenentibus, sic omnibus obsidionis malis pressi atq; afflicti sunt, ut duriozem propè quam antea annonæ inopiam senserint. Namq; Veneti quum absistere incepto turpe ducerent, atq; si pertinacius obsiderentur hostes, eos tantas diuturni belli atq; inedia acerbitates minimè esse toleraturos intelligerent, diuisis copijs itinera aditusq; omnes, quibus ab Germania inferri commeatus posset, occupauerunt. Mercurius cum maiore leuis armaturæ equitum parte summis in campis, qui locus ad Alpium radices pertinet, hybernabat: uir uel fato quodam, uel prudentia per triginta amplius annos, quibus in Italia militauit, omnibus excursionibus foelix. Federicus autè Gonzaga cognomento Bozulus, cum aliquot cohortibus supra Clusiam confederat. Sic. n. locum appellabant, ubi Athesis coeuntibus geminis rupibus coarctatus, minimam aluei latitudinè ostendit. Angustijs imminet uetus castellum cum turre, quod Germanorum prasidio tenebatur. Intercepere apud eas fauces, ne quicquam locum tuentibus Germanis, Veneti pedites aliquot nauigia commeatu onusta, quæ secundo flumine dimittebatur. Reliquæ quoq; copie certis atq; opportunis in locis ita constiterant, ut quæ

in hyberna deductæ essent, nihil quantum cura ac diligentia præstari poterat, obsidionem intermitterent: ac penè acrius quàm æstate fecissent, bellū gerere uiderentur. Sed tantis laboribus, ac Veneto tandem bello exoptatum finem imposuit memorabile fœdus, quod in finibus Lingonum et Sequanorum apud Nouiodunum ietum est inter Franciscum Gallorum regem & Carolum Belgarum principem, quem meriens auus Ferdinandus omnium regnorum heredem testamento reliquerat. Siquidem adolescens Hispanorum ingenijs & potentissimorum regulatorum uolūtatibus diffusus, ne absente se, ueluti per interregnum, rebellandi occasio præberetur, omnibus rebus postpositis, in Hispaniam sibi maturandum esse iudicaret. Quod neq; tutò, neq; expedite fieri poterat, nisi prius cum Francisco certis legibus amicitia firmaretur. Timebatur namq; rex iuuenis & acer, tantis subnixus opibus, qui dudum Heluetijs prælio demictis, etiam Maximiliani Cæsaris conatus egregie repressisset: & tum maxime repetiturū se armis Neapolitanum regnum, & Ioannis Nauarræ regis paulò ante in Gallia defuncti filium adolescentem in paternū regnum reducturum minaretur. Itaq; conscriptæ Nouioduni fœderis tabulæ per legatos in has condiciones, ut Carolus regnum Nauarræ Ioannis filio, qui inde expulsus esset, restitueret: si id iudicibus, quos constituere summæ rei arbitros deberent ex æquo & iure uideretur. Item centū milia aureorum nummum, quotannis Gallo penderet, ut eo tributi nomine aliquod Gallis Neapolitano regno ius esse uideretur: amicitiaq; & mutuuum fœdus affinitatis uinculo confirmata. Nam Carolum sibi Franciscus generum adsciuit, sic ut ei puella, quæ in cunis adhuc erat desponderetur. Gallus quoq; ad componendum Italiæ statum, et ad res Medolanensis imperij



PAULI IOVII HISTOR.

confirmandas, ut Verona Venetis redderetur, postulauit, eâ lege, ut à Venetis redemptionis nomine ducenta milia aureorum nummum, duabus pensionibus, Cæsari persoluerentur. Quibus conditionibus, sicuti Carolus ad eundem Hispaniæ cura anxius, haud cunctanter subscripserat, ita Cæsar oblata sibi ingenti pecuniæ summa conditionem minimè detrectauit: ut qui nepotis consilia, atq; ipsam spem, ac rationem omnem obtinendi imperij importuna tergiuersatione corrumpere nolebat: præsertim quum urbem quam nisi graui impensa, et summa cum difficultate tueri retinereq; nõ poterat, magno pretio uenditaret. Vt tamen salua existimatione, quæ haud dubiè tam fœda pactione polluebatur, Italiæ possessione decedere uideretur, non Veneto sed Caroli legatis urbem dedit, qui eam mox Lotrechio, ut constitutum fuerat, tradiderunt. Gallus quoq; , triduo postquam urbem ingressus est, sicuti Brixia ex formula factitatũ fuisse memorauimus, Gritto eam cum arcibus magna omnium alacritate restituit. Is fuit Veneti belli exitus quo iam octauum annum Italia deflagrabat: illudq; imprimis memorabile uidetur, quod Veneti ab initio oppugnati ab cunctis propè Europæ regibus, atq; omnibus prælijs uicti, uniuerso tamen bello uictores euaserint. Quo fit ut eorũ respublica, quæ uno ciuium consensu et priuatis potius quàm publicis opibus stetit, fato quodã tot insensissimarũ gentium impetum sustinuisse uideatur. Quando, si Romanæ potentiæ magnitudinem, et clades quas Annibal dirus hostis intulerit, cum Venetorum fortuna, uera aestimatione, pensauerimus, funestiozem propè eis Abduan fuisse, quàm Romanis Cannas, et Trebia et Trasimene insœlices pugnas, Brixiana ac Vicentina stragibus æquatas esse fatendum sit. Sed ea uel præcipua patrum, ac ipsius fortissimi

fini Senatus principis Lauredani laus fuit, perpetuis anna-  
 lium monumentis celebranda: quòd aduersissimis etiã obruti  
 tempestatibus, ad exemplum Romanæ constantiæ atq; uirtu-  
 tis, nunquam de republica desperarint. Vnus tamen ante ali-  
 os Gritius togatus Imperator, meritã seruata patriæ laure-  
 am feret: & tum maximè eternæ laudis gloria florebit, quã  
 sæculi presentis inuidia uiuidæ uirtutis comes aliquando de-  
 cesserit. Ceterum M. Antonius, qui iam ex uulneribus con-  
 ualuerat, quoniam certus rumor de his quæ Nouioduni in-  
 ter se reges, non abnuente Casare pepigissent, afferebatur,  
 ne pudendæ deditiõni interesset, relicta Ioannibaptistæ spi-  
 nello rerum cura, & remisissis in agrum Romanum equiti-  
 bus suis, ad Casarem in Germaniam contendit. Milites uerò  
 trium exercituum, quum perfectò bello magna ex parte di-  
 mitterentur, & insperatam pacem ueluti egestatis initium  
 ægerrimè ferrent, paulò post Francisci Mariæ Ruuerei au-  
 spicijs, qui urbino exactus fuerat, grauisissimum in Piceno atq;  
 Umbria pontifici maximo bellum intulerunt. Cuius belli sa-  
 mam, quum amplissimi etiam nominis principes liuore atq;  
 superbia inducti aliquandiu pessimis artibus aluissent, exitu  
 rerum manifestè perspectum est, eam demum esse regum  
 omnium fidem, ut pro libidine sanctissimas foederum  
 leges atrectare, uiolareq; non dubitent, quum  
 semel presenti tantum commodo, atq;  
 ipsis temporibus seruiendum  
 esse censuerint.

FINIS LIBRI XVIII.

# BENEDICTI VARCHII

AD PAVLVM IOVIVM EPISCO-  
PVM NVCKERINVM HISTO-  
riarum Scriptorem.

## EPISTOLA.



Auli Ioui, totum cuius iam clara  
per orbem,  
Fama uolat, celeriq; altum petit  
æthera penna,  
Duratura diu, atq; omnes uentu-  
ra sub annos:  
Non quod Pæonias iam pridem, et  
Apollinis artes

Callueris, multosq; hominum subduxeris orco:  
Nec quòd præscorum nostratia nomina primus  
Piscibus imponens, Latias clara ueris oras:  
Aut quòd magnorum effigies, atq; ora uirorum  
(Qua tuus æquoreis Benacus non minor undis  
Assurgit, fremituq; imitatur murmura Ponti)  
Non sumptu exiguo, atq; ingenti pinxeris arte,  
Cuiq; sua ornatis addens insignia uerbis  
Ellogia, illorum uarios testantia honores,  
Quæ præclara licet per se uideantur, & alti  
Ingenij factura fidem, tamen illamet ipsis  
Historijs collata tuis (ceu sydera Sole)  
Vanescent, propriasq; amittunt singula uires,  
Hic siquidem tete maior, teq; ipse relinquens  
Post terga, extremum properas superare cacumen:

Vel potius summo consistens uertice montis  
 iam dudum foelix operum, letusq; laborum,  
 Despectas alios infra, tutusq; quiescis,  
 Quo nunquam nostro quisquam peruenit in euo,  
 Forstian, & nunquam posthac uenientibus annis  
 Perueniet quisquam tanta ad fastigia laudis:  
 Quid nam opere in tanto primum tantiq; laboris,  
 Atque cui, multis pleno, magnisq; periclis,  
 Mirer ego? ingeniu ne audax tam multa quod unum  
 Tamq; loqui diuersa parauerit? an seriem, qua  
 Cuncta suis disposta locis miro ordine narras?  
 An potius clari eloquij numerosq;, salesq;?  
 Verborum, & proprias uario discrimine uires?  
 Queis Reges populosq; omnes ueterisq;, nouiq;  
 Orbis (ubi Ammerica nostri de nomine ciuis  
 Alta iacet) prisca uerus nouitate recenset.  
 An magis ut causas omneis, belliq; gerendi  
 Consilia, & rerum rationem reddere pergis?  
 Vnde hominum mores uarios addiscere, & ampla  
 Ornamenta queat Patriæq;, sibiq; parare,  
 Quicunque illa semel docto perlegerit ore.  
 Tu quo castra loco metanda, & qualibus armis  
 Offermanda, quibusq;, & qualibus oppugnanda,  
 Sæpe doces, sæpe idem urbes defendis, & idem  
 Expugnas, tu quæ fallacia foedera, quæ sint  
 Fida mones, populumq; leuem, timidumq; senitum  
 Arguis, & nulli tutum confidere monstras.  
 Quæ si nostrorum Regum imprudentia, & illa,  
 Illa animis hominum regnandi dira cupido

Sciisset, nunquam Italiae (quod cauerat olim  
Mediceus prestans animis, & uiribus heros)  
Externis iterum patuissent claustra Tyrannis.  
Illius si consilium: si facta secuti  
Essemus, caelo demissi ciuis ab alto,  
Nunquam iterum peregrina manus, nunquam aduenamiles,  
Quem sua non uirtus, sed nostra ignauia, nostraque  
Inscitia, & procerum exciuit discordia demens,  
Poeninas fauces, caelo tractusque propinquos,  
Molis inaccessae superasset culmina: nunquam  
Impius, & nostris allectus ruribus hostis,  
Ab misera, et longum digna, atque indigna ferentis  
Italiae in praedam uertisset, & oppida, & urbes:  
Italiae fera gens populasset littora nunquam:  
Italiam nunquam strauisset barbarus ensis.  
Heu quoties post interitum, post funera magni  
Laurentis, Itali nostro de sanguine uepres  
Rorarunt, Italo quoties de sanguine riuu  
Creuerunt, quoties Italo maduere cruore  
Aequoraque campi que omnes, syluaque lacusque:  
Nam quae tam longe est tamque ardua, & auia rupes?  
Quae tam seposita ualles? quae fluminis ora?  
Quod mare? qui scopulus? quo non furor efferus, atque  
Praedandi illorum rabies peruaserit ultro?  
Testes qui nostris spumarunt osibus albi:  
Sebetus, Lyrus, Tarrus, Paduus, Abdua, Rhenus.  
An non Etruscos umbrosa cacumina montes,  
Et Florentinos excelsa palatia colles,  
Nunc ferro excindi, sauis nunc ignibus uri

Vidimus

Vidimus, & crebris responsantem ictibus ipsi,  
 Ipsi (inquam) intrepidi reboantem audiuius Arnū  
 Quem non Hispanis audax Germania castris  
 Duxue Italo Gallus confusus milire fortis  
 Terruit, & vires totius pertulit orbis.  
 Quin etiam Latium, & rerum pulcherrima Roma,  
 Roma Deum auspicijs fundata, atq; amula caelo,  
 Concidit istorum indignis euersa ruinis.  
 Sed si non aliam uenturo numina COSMO  
 Inuenere uiam, liceat periisse tot urbes,  
 Totq; uiros ferro mortaleis isse sub umbras  
 Ante diem: liceat tot amara, atq; aspra tulisse.  
 Iam priuata placent, iam publica damna uidentur  
 Commoda, iam tanti est Arniq; Tybrisq; ruina.  
 Concurrant iterum, sed eodem sydere, & iisdem  
 Auspicibus, qua se Cælo mons Murlius aequat,  
 Agmina nec uirtute pari, nec uiribus æquis,  
 Et causa (si Dijs bene creditur) inferiori,  
 Quo sua uictoria renouetur laurea COSMO.  
 Et nos sub tali uiuamus principe tuti.  
 Quandoquidē hic uiridis primo sub flore iuuenta,  
 Maternam referens pietatem animosq; paternos,  
 Sublimi accitus regno, claroq; locatus  
 In folio, Patrum auspicijs, populiq; fauore,  
 Porrectas patriæ non detrectauit habenas,  
 Tempore tam dubio, tali in discrimine rerum,  
 Accipere, & semet tantis offerre periclis,  
 Communi propriam postponens ipse salutem,

Publicaꝫ antefers priuatis commoda daminis,  
Indole demꝫ quanta referam, quã pectore forti  
Prefferit, & rerum iustas laxarit habenas?  
Vtq; afflicta diu bello, ac ciuilibus armis  
Resq; uirosq; locosq; leuauerit, ut sua cuique  
Forma prior, priscumq; decus, nomenq; rediret?  
Sic etiam ingenti pluuia, uentoq; grauati  
Exoritur cum Sol, tolluntur, ad æthera flores,  
Et seges inclinata, solo sese erigit alto.  
Hic quoties sua signa, suosq; ad bella tribunos,  
Inuictas equitum turmas, peditumq; cateruas,  
Pro Patriæ rebus, pro religione Deorum,  
Cæsaris aut magnis non paruas uiribus addens,  
Emisit, toties uicticia rettulit arma,  
Et referet posthac, iustis quia militat æther:  
Huic quoq; non tantum Ethruscæ, Musæq; Latine,  
Verum etiam Argolicæ sese debere fatentur:  
Quas miseris, totoq; expulsas orbe recepit,  
Et fouet, amplexus Maiorum exempla suorum.  
Quin etiam si non uates præsagia fallunt,  
Ni frustra augurium cœlo demittitur alto:  
Diuino si quid debemus, ut omnia Bembo  
Credere debemus, si non sunt omnia falsa,  
Tempus erit, cum Dijs & te bone COSME fauente,  
Discussis, quæ nunc offuscant nubila mentes,  
Inuidiaq; procul Scythicis algente sub oris,  
Romanus Tusco, fasces submittet Apollo.  
Aut certè non maior erit, Tyberisq; fluuenta  
Aequabit,

Aequabit, si non excedet nobilis Arnus.  
 Hunc sibi, quem frustra mille optauere maritum  
 Insignes animis, forma & prestante puella,  
 Magnanimi herois formosa, & sancta uirago,  
 Perpetuo casti coniunxit foedere lecti,  
 Innumeros heroas, & innumeras heroinas  
 Diuorum auspicio paritura, ducemq; datura  
 Ausonia, & sacris Romanum qui regat orbem.  
 Hunc unum Caesar primis expertus ab annis,  
 Terrarum dominus Caesar uindexq; Deorum,  
 Ingenium, pueriq; fidem, curasq; uiriles,  
 Inuictumq; animi robur miratus, & artes,  
 Extulit, Imperioq; bonus praefecit auito,  
 Vnum hunc excelsas Tybris qui possidet arces  
 Etruscus pater, & terras qui numine torquet,  
 Suspicit, & miro Iuuenem complexus amore:  
 Ingentes ob uirtutes celebratq; fouetq;  
 Vt dubium nulli iam sit, quin magna Deorum  
 Cura sibi hunc alios inter delegerit omnes,  
 Qui misera Auonia tandem terraq; mariq;  
 Et uelit, & possit fessis succurrere rebus,  
 Ferreaq; antiquum conuertere saecula in aurum.  
 Sed quid ego à primo digressus carmine, tanquam  
 Enumerare alto labentia sidera olympo,  
 Aequor & angusta totum concludere in urna,  
 Sperarim, laudes magni, & praemia COSMI  
 Deterere imprudens, & candida lumina Solis  
 Stultior obscuris uelle illustrare tenebris,



15247/1

1535542

A 1479307

Decipi? ad te redeo, me me mihi reddo,  
(Obstreperere ut coruus cygno tibi desinat ater)  
Paule Ioui, qui tunc multum, longeque profecto  
Vidisti (ut reliquis in rebus) cum tua tanta,  
Tamque bona egregie misisti munera, tanto,  
Taque bono egregioque Duci, quo iustius unquam,  
Nec vidit quidquam prudentius auricomus Sol.

FINIS.

in uolacione ipsius  
isrl' e ab egyptia  
seruitute liberat.  
Ante quinq; dies  
pascche id e decima  
luna domū inferri  
et ipsa die pascche  
id e quidecima luna.  
ad uesperū uillus  
e imolari signis eni  
q; nos suo sanguine  
redepimus. Ante quī  
q; dies pascche id e  
hodierna die mag  
no pcedēciū septimū  
q; p̄lor gaudio ac  
laudatione deduc  
uit i templū dei  
et erat condie docēo  
in ca. **I**nsurrexere  
tūc tunc uiri ūq; abscq;  
mīa q̄lierū me iherfice  
et nō pepererūt in facie  
meā spucere et lanceis  
suis uulnerauerūt me  
et cōuulsa sūt oīa ossa mea

Ego ac estinabā me  
tūm mortuū sup tram  
**D** Et detulerūt i escā meā  
fel et in siti mea pota  
uerūt me aceto Ego

Insurrexere **Ad laud' a'**  
**D** ūs d̄s auxiliator me  
et uero nō sū cōfusus  
**Confite' a'** Grātias  
tūc detert me et i uoie  
dn̄i vindicabor i eis  
**Confite' a'** Judica cau  
sam meā defende q̄a po  
tens es dn̄e **D̄s d̄s a'**  
Cū angelis et pueris fi  
deles iueniāt triūpha  
tori mortis clamātes  
olāna i excelsis **Gādū**  
**te a'** Confidant q̄ me  
psequūt et nō cōfūdar  
ego dn̄e d̄s meus lau

**H** **ps** Pange lingua  
hoc sentite in  
uobis qd̄ et i xp̄o **cap**  
ih̄u: q̄ cū in forma  
dei esset nō rapinā

